BIBLIOTECA NAZIONALE VITTORIO EMANUELE
6
1 F
1

Ex Bibliotheca
majori Coll. Rom.
Societ. Jesu

Digitized by Google

Digitized by Google

6-1.F-1

IOH. NICOLAI FVNCCII

Marburgenſis

DE

VIRILI AETATE LATINAE LINGVAE

TRACTATVS,

Quo

Maximus cum robore vigor et gloria ſermonis Romani, a temporibus L. Corn. Sullae et Ciceronis, ad Octauiani Caeſaris Auguſti obitum, demonſtratur.

MARBVRGI CATTORVM

Ex Officina PHILIPPI CASIMIRI MVLLERI

Anno clↄ Iↄ CCXXVII.

ACADEMIAE SECVLARI.

Digitized by Google

[illegible]

[illegible]

[illegible]

[illegible]

[illegible]

[illegible]

II

SERENISSIMO

ATQVE

CELSISSIMO

IVVENTVTIS PRINCIPI

DOMINO

FRIDERICO

HASSIAE

LANDGRAVIO

PRINCIPI HERSFELDIAE

COMITI CATTIMELIBOCI

DECIAE ZIEGENHAINAE

NIDDAE ET SCHAVMBVRGI

DOMINO SVO CLEMENTISSIMO

AD PATERNAE ET AVITAE VIRTVTIS GLORIAM
GRASSANTI

Digitized by Google

AD INSIGNEM

HASSIACAE DOMVS AVGVSTAE

FLOREM VERASQ. DELICIAS

NATO

AD COMMVNEM REIP. SPEM

ET SVAVE LITERATORVM REFVGIVM

DESIGNATO

VT SECVLVM

QVOD BENE VORTAT DEVS

RITE POSSIT AVSPICARI

A NATALIBVS TERTIVM

ACADEMIAE MARBVRGENSIS

RECTORI MAGNIFICENTISSIMO

IPSO IMMINENTE FESTO SECVLARI

VVLGATVM

DE VIRILI AETATE LAT. LINGVAE

TRACTATVM

D.

AVCTOR.

Digitized by Google

CELSISSIME PRINCEPS,

CVm de virili aetate Latinae linguae lucubrationum mearum qualiumcunque partem, ſub auſpiciis anni Academiae patriae ſecularis et feſtiui, cum orbe literato communicare inſtituerim: ſolicite mihi quaerendus non fuit, cui maxime humanitatis Patrono et Principi deuouerem tantillum laboris: vt gratiam ſibi auctoritate publica lepidus nouus libellus conciliaret. Diſſertationis argumentum eſt de maximorum in rep. virorum erga bonas literas amore meritisque: vt omnes artes, quae ad humanitatem pertinent, et vinculum habent quoddam quaſi commune, cum Latina lingua ad ſummum perfectionis gradum peruenire potuerint. Iſtud vero Auguſtae Cattorum Domus ſuaſit non eſſe immemorem: ex qua tot retro ſeculis infinita in manſuetas vbique Muſas beneficia manarunt.

Digitized by Google

narunt. Adeo deſes et barbara, in communi prouinciis omnibus barbarie, nunquam fuit Haſſia, quam nobis Patriam eſſe gratulamur, quin, Summi Numinis adſpirante gratia, Landgrauios excitarit literatos, et literatorum amantiſſimos: et quod ipſe Thuanus *) ſuo tempore non diffitebatur, bonis artibus egregie inſtrui Principes in eorum Familia, multis coruſcante luminibus, gentile propemodum habuerit. Poſt reſtauratam vero literarum elegantiam, dictu difficile eſt, quanta tot Heroum liberalitas ſcientiis incrementa dederit. Teſtis eſt, vt nihil nunc de aliis dicam, Academia Marburgenſis, quae tempore opportuno eam per duo ſecula perceptam felicitatem publice laudat, et ſacra inſtituit, quae Deus O. M. fauſta eſſe iubeat, deſignato Rectore Magnificentisſimo, Auguſtae Stirpis Haſſiacae propagine, FRIDERICO Principe. Ecquis non miratur iuuentutis florem ſolicita Virorum Doctiſſimorum cura et induſtria formatum, ad eamque perductum, naturali

*) *Hiſtor. lib. 105. ad ann. 1593. pag. m. 503.*

turali ac ſui ſtemmatis gentilitio inſtinctu, beneuolentiam erga bonas artes: vt non immerito, fata qui experiuntur ſua, literatores vniuerſi ſpem ſibi certam in eo et ſolatium ponant; Academia vero Marburgenſis, ſua celebrans vertentis ſeculi auſpicia, ſub tanto Principe, Phoenicis inſtar, reuiuiſcere videatur? En Tibi, Serenissime Princeps, in fidem gratamque Tui Regiminis auſpicatisſimi memoriam, quod a ludi magiſtro proficiſci poteſt, munuſculum chartaceum trado atque conſecro: vti ſaltem ego tempore, quod vno ore omnes ſibi promittunt, ſalutari ſalutis et publicae laetitiae expertem me minime gentium fore, teſtarer publice.

> *Iam* enim *fides et pax, et honor, pudorque*
> *Priſcus, et neglecta redire virtus*
> *Audet: apparetque beata pleno*
> *Copia cornu.*

Principis et magni animi eſt, felices reddere ciues, et nihil magis cupere, quam vt incolumis florensque populus vbique habeatur. Ita verus amor

Digitized by Google

amor vel excitatur, vel nutritur, qui firmior regni murus eſſe ſolet. Eſt Pater, eſt Auus, eſt Proauus, eſt longa in Cattis Principum ſeries, quorum inſiſtere veſtigiis, et imitari exempla, virtuti placet. Viue, et feliciter age omnia, CELSISSIME PRINCEPS, ingens ſpes Auitae Domus et Reip. Viue diu, ad communem omnium voluptatem effloreſce, et tantas in adoleſcentia virtutes effunde, quibus certe conſtet, fore vt Regiminis praeclari felicitas olim ſarta maneat tectaque, et Decus Tibi a Proauis tributum operibus multis cumulari poſſit. Vale. Marburgi Cattorum ipſis Kalendis Mart. cIↃ IↃCCXXVII.

CELSITVDINIS TVAE

Humillimus

I. N. FVNCCIVS.

DE

VIRILI AETATE LATINAE LINGVAE *TRACTATVS.*

CAPVT I.

Quomodo Latina Lingua robur et perfectionem ſuam obtinuerit.

§. I.

Tranſitio ad aetatem L. L. virilem, quae deſcribitur. 2. *Eam fuiſſe in Romana Rep. a temporibus Sullae ad obitum Auguſti.* 3. *Quo temporis ſpatio Romanorum lingua diuulgata fuit longiſſime.* 4. *Diuulgationis cauſſa.* 5. *Qua ratione Latina lingua eo tempore non ſolum diuulgata, ſed ad maximam quoque gloriam ſuam prouecta ſit.* 6. *Ipſo armorum ſtrepitu auditam fuiſſe Muſarum ſuauiſſimam vocem.* 7. *Reipubl. ſtatus turbulendus.* 8. *Bellicoſiſſima natio, vt Imperatores ſalui eſſent, ab armis ad artes reuocanda erat, et beneficiis cumulanda.* 9. *Romanorum ſtimulus ad gloriam et nominis celebritatem* 10. *Principum liberalitate fouetur,* 11. *Ciuitatum Graecarum exemplo.* 12. *Inter praemia eruditionis erant coronae et* 13. *Statuae.* 14. *Principum familiaris conuerſatio cum Eruditis,* 15. *quos in cauſſis grauioribus libenter audiebant.* 16. *Hinc omnes ad literarum ſtudia trahebantur:* 17. *vt parentes filiolos erudirent ipſi, vel erudiri per alios curarent domi, et* 18. *in ludis publicis: vbi ſtudiorum*

quod vno ore nunc depraedicant omnes, et ipſe Cicero, ſummus orator, tum temporis, inſtar virginis adultae, curioſius paulo eſſe cuſtodiendum putauit. *a*) Aureum ſeculum illud fuiſſe oportet, quo ſcriptores aurum potuere cumulatim protrahere ex veterum ſcriptis, velut ſtercoribus, quam Virgilii Poetae vocem alibi notauimus. *b*) Aureum ſeculum illud fuiſſe oportet, felix item omnibus & exoptatiſſimum, quod linguam ſuam probe cultam ad perfectionem vſque habuit, imo perfectam ad aſtra tulit. Aureum ſeculum illud fuiſſe oportet, quod bonas artes liberalius excepit, ac viros omnium diſciplinarum, elegantiorum maxime, celeberrimos, quibus aetas nulla alia pares vidit, ſplendidiſſimorum inſtar luminum eſſe claros atque lucere fecit: vt pater eloquentiae Tvllivs ipſe nullus dubitauerit ſcribere: *c*) *Ego, quantum his temporibus tam eruditis fieri poterit, profecto illum conſecrabo omni genere monimentorum ab omnium ingeniis ſcriptorum, et Graecorum, et Latinorum.* Rhetores nobiliſſimi, et verae eloquentiae ſtudioſiſſimi quique, non tam lingua Graeca, cuius ad id tempus ac etiamnum Romani erant doctiſſimi, *d*) quam vernacula ſua lingua Latina declamabant tunc, et commodius excitabantur in ea ſublimi arte dicendi. Scientiarum magiſtri, quotquot fuere, fuerunt autem in ipſa vrbe et extra eam plurimi, antiquiores loquendi modos, et

quic-

a) Cicero de claris oratoribus cap. 96. *Domi teneamus eloquentiam, tueamurque, vt adultam virginem, caſte.* *b*) De Adoleſcentia L. L. c. 2. §. 8. p. 76. Donatvs in vita Virgilii: *Cum is aliquando Ennium in manu haberet, rogareturque quidnam faceret; reſpondit, ſe aurum colligere de ſtercore Ennii. Habet enim Poeta ille egregias ſententias ſub verbis non multum ornatis.* *c*) Ad Atticum lib. 12. epiſt. 1. *d*) Vid. Svetonivs de claris Rhetoribus cap. 2. Cicero de claris Oratoribus cap. 90. Idem de Finibus lib. 1. c. 1.

quicquid ex obſcurioribus ſeculis ſupererat ſordium vel barbariei, hoc aeuo penitus abrogarunt. Literarum, maxime Latinarum, ſtudia, hucuſque neglecta fere, tunc ſerio tractabantur, et quanta potuere, maxima cura nullibi non excolebantur: quae a fera agreſtique cultu et vſu ad humaniorem dicendi conſuetudinem omnes reuocabant. Latina lingua in foro cauſſae agebantur perquam aſſidue et docte: accuratas conciones quotidie fere habebant: vt Romana iuuentus audiendi cupida, negotio haud magno, totum genus dicendi penitus cognoſcere potuerit. *e*) Nemo capeſſere Rempublicam, nemo aliquem honoris gradum contingere viſus eſt, niſi aliqua polleret doctrinae aut virtutis gloria. Si quid erat, erat autem ſemper aliquid, tractandum, eruditiſſimi viri, et illi varia ſcientia ornatiſſimi, tam eleganter tantaque dicend copia ſtudebant pertractare illud, vt alter alteri iugiter laureolam praeripuiſſe videretur. Nihil ipſis iucundum magis erat cognitu atque auditu, quam ſapientiſſimis ſententiis, verbisque grauibus ornata et perpolita oratio: aut *gratia linguae maxima*, vt inquit Poeta, *f*) *quae docte ac prudenter ſingula profert*. Sermones aeque ac libros crebro conferebant, ad abſentes literas frequentes ſcribebant, et ſcribebant omnia Latine. Hinc non potuit Latina lingua diutius fuiſſe inculta, aut neglecta cultoribus ſuis, quae pulcherrimos fructus in publicis priuatisque rebus promittebat: et gloriam neſcio quam prae ſe ferre videbatur. Nihil quicquam audiebatur, niſi quod elegans, quod concinnum, quod graue, quod copioſum, quod gratis, aurium iudicio, numeris apte diſpoſitum, adeoque omni perfectionis genere abſolutum optimumque fuiſſet. Nullae remanſerunt ſordes in Latinitate, nullae maculae,

e) CICERO in Bruto cap. 89. *f*) PALINGENIVS Zodiaco vitae lib. 2. v. 271.

Digitized by Google

culae, aut naeui, nihil peregrinum, nihil aſperum, aut quod delicatiſſimis aliquando diſplicuiſſet. Eloquendi modus erat rectus, vocis ſonus ſimplex: neque nunc aliquid deſiderabatur, quin Latinitas, ea lingua Romanorum vernacula, ſtatam ſuam iuſtamque perfectionem obtinuiſſe merito dici potuiſſet: cum et MARCVS TVLLIVS *g*) illud eloquentiae genus, quod prolixe deſcribit, ſummum et perfectiſſimum eſſe iudicauerit, cui nihil prorſus addi queat.

§. II.

Eam perfectionem cordatiores critici docent Latinae linguae accidiſſe, L. Cornelii Sullae temporibus, anno V. C. circiter DCLXX. Poſtquam Lucius Plotius, ille quem Cicero in oratione pro Archia quoque laudauit, iam non magis Graecas literas, vt conſueuerant ante, ſed Latinas potius docere publice inſtituit. *h*) Deinceps ea in flore ſuo perſtitit incorrupte ſeruata et propagata annis circiter XCVII. vſque ad obitum Octauiani Auguſti Imperatoris, qui contigit anno ab vrbe condita DCCLXVII. Fecerunt alii, quod ſcimus, aliam Latinae linguae periodum, et iuuenilem confundentes cum adulta et virili aetate, hanc deſcribere coeperunt a bello Punico ſecundo, i. e. ab anno V. C. DXXXVI. Deſinunt vero nobiſcum in morte Octauiani Auguſti: vt ſecundum illorum ſententiam aetas haec Latinae linguae feliciſſima duraue-

g) Oratore cap. 1. *h*) Illud diſcimus ex SVETONIO de claris Rhetoribus cap. 2. *Lucius Plotius Gallus: de hoc Cicero ad Marcum Titinnium ſic refert: equidem memoria teneo, pueris nobis, primum Latine docere coepiſſe Lucium Plotium quendam: ad quem quum fieret concurſus, quod ſtudioſiſſimus quisque apud eum exerceretur, dolebam mihi idem non licere. Continebar autem doctiſſimorum hominum auctoritate: qui exiſtimabant, Graecis exercitationibus ali melius ingenia poſſe.*

Digitized by Google

durauerit annos circiter ducentos triginta et vnum. Illud vero, quod perſuademus nobis, alibi *i*) ſatis ſuperque refellimus: vt aliis argumentis corroborare dicta, vel multa multorum teſtimonia in partes noſtras trahere, prorſus nihil interſit. Vnum tamen atque alterum ſubnectere placet, quibus merito fidendum, MARCI TVLLII *k*) oratoris conſummati, et linguae patriae ſuae iudicis optimi. Poſtquam ille dixit L. Craſſum ſibi quatuor et triginta annis praeſtitiſſe, ac triennio minorem fuiſſe, quam M. Antonium, qui eloquentiſſimi homines aetatis ſuae fuerant; addit ſe hoc idcirco poſuiſſe, *vt dicendi Latine prima maturitas, in qua aetate exſtitiſſet, poſſet notari.* Idem ille Caeſari demum perfectam bene loquendi laudem tribuit, quam maxima ſibi cura et ſtudio indefeſſo parauerit. *l*) Et de Lucilio, qui in adoleſcentia Latinae linguae vixit, celeberrimo HORATIVS *m*) diſerte inquit:

Si foret hoc noſtrum fato dilatus in aeuum,
Detereret ſibi multa, recideret omne, quod vltra
Perfectum traheretur, et in verſu faciendo
Saepe caput ſcaberet, viuos et roderet vngues.

Ad Auguſtum vero, *n*) vt notaret, ſimul eo tempore maximam Reip. obtigiſſe felicitatem:

--- *Tua*, inquit, *Caeſar aetas*
Fruges et agris rettulit vberes,
Et ſigna noſtro reſtituit Ioui, etc.
. . . . .
Et veteres reuocauit artes,
Per quas Latinum nomen, et Italae
Creuere vires, famaque, et imperi

Porre-

i) De Adoleſcentia L. L. cap. 1. §. 2. 8. ſeqq. et paſſim. *k*) In Bruto cap. 43. *l*) Ibid. cap. 72. *m*) Serm. lib. 1. ſatyr. 10. (*n* Carmin. lib. 4. od. 15.

Porrecta maieſtas ad ortum
Solis, ab Heſperio cubil

Conſentit omnino maximus Poetarum VIRGILIVS, *o*) qui velut publica voce teſtatur Auguſtum noui ſecu.. auctorem fuiſſe, vbi ad Aſinium Pollionem de nato:

Vltima Cumaei venit iam carminis ae..
Magnus ab integro ſeclorum naſcitur or..
Iam redit et virgo, redeunt Saturnia reg..
Iam noua progenies coelo demittitur alto.
Tu modo naſcenti puero, quo ferrea primum
Deſinet, ac toto ſurget gens aurea mundo:
Caſta faue Lucina ...

Quid quod ipſe ille Octauianus Auguſtus de ſe gloriari nullus dubitauerit, eo vſque ſaluam ac ſoſpitem remp. in ſede ſua ſedulo procuraturum, vt optimi ſtatus auctor diceretur? Imo profeſſus eſt palam, vrbem, quam dixeris haud immerito caput orbis, Romam relinquere marmoream, cum lateritiam acceperit eam. *p*) ..d tantum faſtigium Romana maieſtas literarum ſtudiis euecta eſt; eosque fructus percepit, vt ipſi a barbarie ad cultiorem vitam, ab inſcitia ad humanitatem variamque doctrinam traducerentur.

§. III.

Quod adoleſcente Romanorum lingua notauim.. *q*) illam, quae primum exiguis finibus contenta fuerat, c.. ..cto Romanorum imperio, veteri Latio, quo videbatur .. ..cluſa, prouenientem ſe longe lateque diffudiſſe: hoc maxime tempore valet, quo ab omnibus Latina lingua auide arrepta, cum amplitudine ſummam dignitatem gloriamque accepit: vt de..

o) Ecloga 4. *p*) Vid. SVETONIVS Auguſt. cap. 28. *q*) De Adoleſc. L. L. cap. 1. §. 7. conferatur LIPSIVS de recta pronunciat. Latinae linguae c. 3.

Digitized by Google

vt deinceps nihil concederet Graeco ſermoni, qui primas adhuc in ipſo Latio et in Italia tenuerat. Imo vero nunc Latina lingua Graecam in Graecia magna, quam vulgo appellabant partem Italiae infimam, opinato citius exſpirare fecit. Nec amplius ſolis Italiae finibus contenta, quum eſſet vrbs Roma caput orbis, et illius commercium vel imperium vbiuis terrarum produceretur, in exteras quoque et longe diſſitas prouincias emanauit. Etenim data opera eſt, vt imperioſa ciuitas non ſolum iugum, verum etiam linguam ſuam domitis gentibus per ſocietatis pactum imponeret. *r)* Praetores non alia, quam Latina lingua decreta ediderunt. *s)* Nullius legationes, ſupplicationes, appellationes, Senatus audiuit, niſi oratione Latina. Et cautum fuerat iam ante Ciceronis tempora, ne quis Romae oraret Graece. *t)* Procul dubio ad propagandam nominis Romani gloriam. Quo ſenſu IVVENALIS: *u)*

--- Non poſſum ferre, Quirites,
Graecam vrbem ---

Et VALERIVS MAXIMVS: *x)* *Magiſtratus priſci quantopere ſuam*

---

r) AVGVSTINVS de ciuitate Dei lib. 19. c. 7. *s)* TRYPHONIVS l. 48. D. de re iudicata: *Decreta a Praetoribus Latine interponi debent.* Vbi [illegible] gentium FORCATVLVS, in ſphaera ſua legali, audiendus eſt, qui id *Latine* putat, pro ea oratione accipi, quae a quoquo facile poſſit intelligi. *t)* VALERIVS 2. tit. 1. confer. GOTHOFREDVS ad citat. l. 48. D. de re iudicata, et GRAVINA dialog. de Latina lingua, operum pag. 671. ſeqq. *u)* Satyr. 3. verſ. 60. *x)* Lib. 2. cap. 2. n. 2. confer. SVETONIVS Tiber. cap. 71. et LIVIVS lib. 40. cap. 43. vbi teſtatur *Cumanis*, Oſca aut Graeca lingua loquentibus, *eo anno*, agit autem de rebus geſtis ſub annum vrbis DLXXIII, *petentibus permiſſum, vt publice*, i. e. in ſcriptis decretisque publicis, *Latine loquerentur, et praeconibus Latine vendendi ius eſſet.* Vnde patet etiam tunc, poſt Punica bella Romanorum finibus valde auctis, ſuam quoque linguam non parum auxiſſe,

ſuam populique Romani maieſtatem retinentes ſe geſſerint, hinc cognoſci poteſt, quod inter cetera obtinendae grauitatis indicia, illud quoque magna cum perſeuerantia cuſtodiebant, ne Graecis vnquam, niſi Latine reſponſa darent. Quin etiam ipſa linguae volubilitate, qua plurimum valenti, excuſſa, per interpretem loqui cogebant; non in vrbe tantum noſtra, ſed etiam in Graecia, et Aſia: quo ſcilicet Latinae vocis honos per omnes gentes venerabilior diffunderetur. Hinc nemo inter ingenuos tam vaſti imperii extitit, qui, absque Romanae i. e. Latinae linguae peritia ſe ſua libertate frui poſſe, exiſtimauerit. Saltem STRABO de Hiſpanis, qui Boeticam prouinciam incolebant, atque Turdetani dicebantur, diſerte: *y*) οἱ μέν τοι Τουρδιτανοὶ, καὶ μάλιϛα οἱ περι τὸν Βαῖτιν, τελέως εἰς τὸν Ῥωμαίων μεταβέβληνται τρόπον, ὀυδὲ τῆς διαλέκτȣ τῆς σφετέρας ἔτι μεμνημένοι. λατῖνοι τὲ οἱ πλεῖϛοι γεγόνασι, καὶ ἐποίκους εἰλήφασι Ῥωμαίους. ὥϛε μικρὸν ἀπέχȣσι τȣ̃ πάντες εἶναι Ῥωμαῖοι. *Turditani autem, maxime qui ad Baetin ſunt, plane Romanos mores aſſumſerunt, ne ſermonis quidem vernaculi memores, ac plerique facti ſunt Latini, et colonos acceperunt Romanos: parumque abeſt, quin omnino Romani ſint facti.* Idem de Celtiberis, et qui in propinquo vtrinque ad Iberum accolunt vſque ad maritima, teſtatur, cum toga formam indutos Italicam. *z*) Vniuerſae Hiſpaniae demum Veſpaſianus Imperator iactatus procellis reip. Latii ius, atque adeo ciuitatem Romanam, dedit. *a*) Sed eam interim, et paulo poſt Auguſti tempora, Latinos oratores et poetas tuliſſe, ex Pomp. Melae, Iun. Moderati Columellae, Quintiliani, vtriusque Se-

 necae,

y) Geograph. lib. 3. p. m. 104. *z*) l. c. p. m. 115. *a*) Vid. PLINIVS Hiſt. natur. l. 3. c. 3. in fine.

necae, Lucani, Martialis, aliorum exemplo ſatis notum eſt. Vtrum vero, quod MARINEVS SIC *b*) ſibi perſuadet, ſi neque Gothi neque Mauri, Barbarae gentes, in Hiſpaniam veniſſent, tam Latinus eorum ſermo fuiſſet factus, quam fuit Romanorum, tempore Tullii, valde dubito. Atque etiam Gallos, quibus demum Galba Imperator ciuitatem Romanam tribuit, *c*) ſuos habuiſſe Rhetores aliosque Latine doctos, ex Eumenii Rhetoris oratione panegyrica pro reſtaurandis ſcholis luce meridiana clarius apparet. Suo tempore APOLLINARIS SIDONIVS *d*) teſtatur, *quod in Arverniam undique gentium confluxerint ſtudia literarum: ubi ſermonis Celtici ſquamam depoſitura nobilitas, nunc oratorio ſtilo, nunc etiam camoenalibus modis imbuebatur.* Durocortori Remorum liberalia ſtudia et ipſa eloquentia Latina ita florebant, vt Cornelius Fronto, nobilis ex Hadriano aevo Grammaticus atque Rhetor, *e*) apud CONSENTIVM veterem Grammaticum, eam Muſarum ſedem Athenis comparauerit. Caligula Imperator inſtituit certamina facundiae Lugduni in Gallia, in quibus oratores victos ſpongia linguave ſcripta ſua delere oportebat, niſi ferulis obiurgari aut flumine mergi maluiſſent: quod metuentes oratores dicturi ad aram, quae Lugduni inſignis erat, pallebant. *f*) Atque etiam hoc IVVENALIS innuit: *g*)

Palleat, vt nudis preſſit qui calcibus anguem,
Aut Lugdunenſem rhetor dicturus ad aram.

Alibi:

b) De rebus Hiſp. l. 5. *c*) Vid. TACITVS Hiſt. l. 1. c. 8. *d*) Lib. 3. epiſt. 3. *e*) Cuius fragmenta proſtant in Auctoribus Latinae linguae a Dionyſio Gothofredo in unum corpus redactis pag. 1327. ſeqq. *f*) Vid. SVETONIVS Calig. c. 20. *g*) Satyr. 1. v. 43.

Alibi: *h*)

Gallia cauſidicos docuit facunda Britannos,
De conducendo loquitur iam rhetore Thule.

Temporibus Tiberii nobiliſſima Galliarum ſoboles Auguſtoduni liberalibus ſtudiis, Tacito *i*) auctore, operata eſt. Magis vero mirandum quod Lucius Plotius ipſe, quem Cicero laudat, quod primum coeperit Latine docere, ex Galliis prouenit *k*) Vt nihil nunc de Maſſilia, ſtudiorum ſede et magiſtra, dicam. *l*) De Britannis quoque Tacitvs *m*) refert: *ingenia* habere *ſtudiis Gallorum* anteferenda, *ut qui modo linguam Romanam abnuebant, eloquentiam concupiſcerent.* In ipſa Pannonia cultum Romani ſermonis obtinuiſſe, ex Velleii Patercvli *n*) relatione diſcimus: *In omnibus autem Pannoniis non diſciplinae tantummodo, ſed linguae quoque notitia Romanae; pleriſque etiam literarum uſus et familiaris animorum erat exercitatio.* Nec minus per Graeciam, Aſiam atque Africam, magnas terrae partes Romani gloriam et vſum ſuae linguae propagarunt: adeo vt, inſtitutis vbique ſcholis, Latinitas aeque in exteris regionibus, quam in ipſo Latio atque in Italia florens a rhetoribus doceretur. *o*) Pari modo, vt Graeci olim ipſi ſuam propagauerant linguam: ut fata linguarum et artium cum ipſis regionum fatis procedere et aequali paſſu ambulare videamus. Vel quis adeo in omni hiſtoria hoſpes eſt, quem lateat Graeciam cum imperio antehac, interpoſitis coloniis, ſcientia et lingua ſua impleuiſſe totam Aſiam mino-

h) Satyr. 15. v. 111. *i*) Annal. lib. 3. cap. 43. *k*) Vid. Tranqvillvs de clar. Rhetor. cap. 2. *l*) Tacitvs Agricolae vita cap. 4. *m*) Agricolae vita cap. 21. *n*) Hiſt. Lib. 2. cap. 110. *o*) Confer. Brerewodi Scrutinium linguarum cap. 3.

minorem, inde Rhodum, Cyprum, et inſulas finitimas, quotquot fuerunt: neque tuta ab illis manſiſſe loca, quae longius paulo ſita ſunt, Siciliam et Italiam, cuius ſaltem pars inferior inde magna Graecia dicta fuit: *p*) quin Maſſilienſium opera Galliam ipſam, et Hiſpaniam per Emporienſes ſubagitauerint. Denique in Syria, et orientis magna parte, apud ipſos Parthos Romanorum lingua increbuit: *q*) vt, quod CICERO *r*) teſtatur, *illa vox et imploratio*, CIVIS ROMANVS SVM, *ſaepe multis, in vltimis terris, opem inter barbaros et ſalutem* tulerit.

§. IV.

Mittimus gentes, vt oratio noſtra redeat, quo aberrauit. Occaſio Romanis et cauſſa duplex fuit, qua linguam ſuam immenſum augere et effundere potuerunt: miſſio coloniarum, et ciuitatis conſortium. Colonias Romani, firmando imperio, per omnes gentes et prouincias ſpargebant. quae ſuperabant plerumque, aut aequabant ſaltem, veterum ciuium partem. In colloquiis ergo Romanos inter atque gentes deuictas linguarum non potuit non eſſe communicatio: ita quidem vt ſuccumberent victi, victores ſuam vernaculam propagarent ac latius ſpargerent. Res ipſa et ingenium humanum poſtulat, vt ad mores cultumque victoris ſe omnia componant flectantque: quidni diceremus colonos victricibus armis paſſim introduxiſſe linguam, cuius lenis et lenta mutatio nemini grauis, hominibus vero curioſis etiam grata et iucunda eſt. Acceſſit vrbis conſortium. Nam Romani, paulatim magis munes ac be-

p) Confer. Diſſert. de Pueritia LL, cap. 1. §. 4. *q*) Vid. PLVTARCHVS in Craſſo, et IVSTVS LIPSIVS de recta pronunciat. Latinae linguae cap. 3. *r*) Verrina oratione vltima cap. 57.

Google

ac benigni, ius illud grande ciuitatis non ſolum cum adſitis gentibus, Etruſcis, Vmbris, Samnitibus, aliis Italiae populis communicarunt; ſed etiam longe diſſitos, Graecos et Barbaros ſuorum priuilegiorum participes fecerunt. Participes facti haud immerito ſibi duxerunt dedecori, ſine conſcientia linguae et praeterquam quod Romane aut intelligerent aut ſonarent, Romanos ciues audire. Imo turpis et cum inſigni periculo coniuncta fuit Latinae linguae ignorantia. Certe Claudius Imperator, teſte SVETONIO *s)* *ſplendidum virum Graeciaeque prouinciae principem, verum Latini ſermonis ignarum, non modo albo iudicum eraſit, ſed etiam in peregrinitatem redegit.* Adeo Romani honorem ſuum agi palam in honore ſuae linguae cenſebant. Hoc etiam PLINIVS *t)* habuit beneficii loco, et in laudibus Italiae poſuit: *quod tot populorum diſcordes ferasque linguas ſermonis commercio contraxerit ad colloquia, et humanitatem homini dederit.*

§. V.

Hac vero diſſertatione cumprimis docendum eſt, virorum quorumque maximorum ingenio et inſigni opera, Latinam linguam bene excultam, atque ita elaboratam fuiſſe, vt perfecta, et omnibus ſuis partibus abſoluta conſtitutaque habeatur. Quo defunctus labore mihi videbor, ſi in cauſſas primo accuratius inquiſiuero perfectionis illius, atque palam fecero, quorum maxime inſtituto Latina lingua ſublimiorem obtinuerit locum, atque in celſiſſimam dignitatis ac ſplendoris ſedem euecta ſit: tum etiam clariſſimorum virorum in variis artibus atque ſcientiis merita propoſuero: tandemque exemplis eorum demonſtrauero

s) In eius vita cap. 16. *t)* Lib. 3. c. 5.

ſummam eloquentiam, cuius praecepta tenuere omnes, qui viam oratoribus monſtrant, ac methodo oppido noua ſuis artem dicendi tradunt.

§. VI.

Priusquam in elegantioris Latinitatis, atque adeo ſummi eius et literarum nitoris, cauſſas accuratius paullo inquirere poſſumus, ex eius aeui hiſtoria reipublicae Romanae ſtatum, et varias mutationes, et diſcrimina rerum, breuibus repetere debemus: vt, quod mirum et forſan incredibile videtur aliquibus, ipſo armorum ſtrepitu ſuauiſſimam auditam eſſe Suadae vocem, et in cruore tot ciuilium bellorum inuentam non vulgarem artium bonarum laudem, populum denique, omnium maxime deuotum Marti inhumano, Muſis leniſſimis pacisque ſtudioſiſſimis in ipſo vrbis ſuae ſacrario ſedem gloriamque maximam dediſſe, appareat. Tum enim eruditionis praemia infinita fuerunt, diuitiae, honores, magiſtratus: et, vt SVETONII *v*) verba mea faciam, *magno ſtudio hominibus iniecto, magna etiam profeſſorum ac doctorum profluxit copia, adeoque floruit, vt nonnulli ex infima fortuna in ordinem ſenatorium atque ad ſummos honores proceſſerint.*

§. VII.

Roma, caput orbis, coeperat dudum extollere ſe, et neſcio quod imperium prae ſe ferre. Reges ipſa, vt poſſet magis libere res ſuas agere, nec irrito conatu eiecerat, totamque ſucceſſu temporis Italiam ſubegerat, iamque in eo erat occupata, vt trans mare quoque potentiam ſuam propagare poſſet. Ex adverſo illi tum ſtabat Carthaginienſium reſp. Romanae haud impar virtute, nauigandi peritia

v) De clar. Rhetor. c. 1. confer. CICERO de oratore l. 1. c. 4.

peritia etiam ſuperior, quae Hieroni Syracuſano Regi aduerſus Mamertinos rebellantes veniens auxilio Siciliam captabat. Eam Carthaginienſium, quos vulgo Poenos vocant, inopinatam vicinitatem Romani, nunquam paris, nedum ſuperioris, imperii patientes, aequo animo ferre non poterant, et ipſam ne peterent aliquando Italiam remque publicam ſuam verebantur quam maxime: inſulae vero ſibi proximae commodo et fertilitate ipſi trahebantur, quam horreum vrbis imperiique ſui olim eſſe futuram exoptabant. Hinc Bellum Punicum primum, *x*) quo Romani, opem ferentes Mamertinis, Hieronem vincunt, Siciliam occupant, Poenorum claſſem apud Liparas ſubmergunt fugantque, et in Africam traiecti tres et viginti annos Carthaginienſium vires experiuntur, tandemque pacem cum illis ineunt, Q. Luctatio Catulo & A. Manlio Coſſ. anno ab V. C. ɔxɪɪ. qui conuenit, ſecundum Ioh. Funccii calculum, cum anno mundi 3724. ſecundum recentiores 3709. Viginti et duobus annis poſt, alterum Romani aduerſus Poenos bellum decernunt: *y*) quod aegre ferebant illos Hiſpaniam tenere. Belli occaſionem praetendebant Saguntum ſociam ciuitatem deletam, et pugnabant Marte primum ipſis aduerſo. Hannibal enim fortiſſimus Carthaginienſium imperator, et iuratus Romanorum hoſtis, itinere ſtupendo ex Hiſpania per Alpes in Italiam profectus quater Romanũ exercitum proſtrauit, et ipſam vrbem

x) Vid. Livivs epit. lib. 16. ſeqq. Cornel. Hamilcare. Polybivs l. 1. Florvs l. 2. c. 2. Orosivs l. 4. c. 12. Evtropivs l. 2. Horativs l. 3. od. 5. Silivs Italicvs ex profeſſo bella, quae Romani aduerſus Poenos geſſerunt, carmine deſcripſit. *y*) Vid. Livivs Lib. 21.—27. Florvs l. 2. c. 6. Evtropivs l. 3. Orosivs l. 4. c. 14. 15. Avgvstinvs de ciuitate Dei l. 3. c. 19. Corn. Nepos Hannib. Sil. Ital. l. 4. ſeqq. Plinivs l. 33. c. 50.

vrbem cum omni imperio occupare potuiſſet, ſi victoria vti, ſicut vincere didiciſſet. Quum vero ille Capuam digreſſus exercitum luxuria et loci deliciis eneruaret, tempus erat ac facultas Romanis recolligendi vires, qui, Marcello duce, apud Nolam Hannibalem, victoriis elatum, ſuperant: Poenos in Italia reprimunt: ſed impetu longe maiori, quicquid eorum in Sicilia ſupererat, eiiciunt Marcelli virtute, et regnum Syracuſanum exſtinguunt. Etiam pari felicitate Scipio Africanus Carthaginienſibus Hiſpaniam eripit, tandemque ipſam Carthaginem oppugnat: vt Hannibal a ſuis domum reuocaretur, atque Italia omni periculo eſſet libera. E continenti Hannibal ſuis auxilio veniens in Africa acerrimo proelio ſuperatur, et Poeni poſt bellum ſeptendecim annorum coguntur iterum ab Romanis pacem, ſed duriorem, accipere: adeo vt illis nequidem naues habere liceret. Poſthaec tota Graecia, Syria, regiones aliae Romanorum victricibus armis ſuccubuere. Longo poſt tempore Carthaginienſes contra foedus ſibi comparare claſſem, et Maſiniſſam Numidae Regem, Romanorum ſocium, debellare auſi ſunt. Quae cauſſa fuit belli Punici tertii, z) L. Martio Cenſorino et M. Manlio Coſſ. anno ab v. c. ıɔcv. coepti. Suaſit tum Cato in ſenatu, vt Carthago deleretur: Scipio Naſica vero, vt ea ciuitas, ad virtutis aemulationem, ſeruaretur. Sed obtinuit Cato. Vrbs terra marique obſidione cingitur, multa vi et labore expugnatur anno quarto, et XVII. dierum incendio deletur. Ita creuit in immenſum Romanorum potentia, quotidie accedentibus provinciis

z) De tertio bello Punico vid. LIVII epit. 49. ſeqq. FLORVS l. 2. c. 15. VELLEIVS PATERC. l. 1. & init. 2. STRABO Geogr. l. 16. PLINIVS l. 15. c. 18. SOLINVS cap. 40. PLVTARCHVS in Scipion. ceteri.

uinciis aliis in Europa, Aſia & Africa, quoad imperium orbis maximum ſibi vindicarent. Interea temporis Roma non potuit eſſe vacua bellis inteſtinis. Cum publica in dies magis magisque augeretur priuatorum auctoritas; diuitiae eſſent immenſae; patriciorum et magnatum inuidia, plebis et tribunorum poteſtas ire in diuerſa videretur: parem ferre nemo facile poterat, et luxuriabant animi, rebus plerumque ſecundis: vt bellicoſa et procliuis ad arma Romanorum natio, quum ab exteris nihil timeret, in ſua viſcera perniciemque ſuam ruere non dubitauerit. Tribus praeſertim triumuiratibus reſpublica miſere affecta et conquaſſata fuit. Primo ſibimet ipſis et bono publico aduerſabantur *Marius*, *Cinna*, et *Sulla*. *a*) Anno ab V. C. IↃcLXVI. L. Cornelius Sulla Conſul a Senatu Aſiam prouinciam, et ſic Mithridaticum bellum ſortitur; C. Marius vero, ſexies Conſul, per Sulpicium Tribunum plebis hoc bellum ſibi decerni poſtulat. Sulla vrbe egreſſus circa Nolam moratur. Marius intra moenia tumultuatur. Quod cum audiret Sulla, reuertitur et in ipſa vrbe cum Marianis proelio confligit, atque Marium ipſum, annos ſeptuaginta natum, fugauit: qui ad mare properans ab omnibus deſeritur. Hinc latere voluit in paludibus: *b*) ſed proditur, et retractus, Minturnas in carcerem abducitur trucidandus. Vnde ſingulari fortuna elapſus traiecit in Africam, ſuasque res inſtaurauit. Interim Sulla in Aſiam aduerſus Mithridatem proficiſcitur, et L. Corn.

a) Vid. LIVIVS epit. 77. ſeqq. FLORVS l. 3. c. 21. VELLEIVS PATERC. l. 2. c. 18. ſeqq. APPIANVS belli ciuilis lib. 1. PLVTARCHVS in Mario & Sulla. LVCANVS lib. 2. *b*) Vnde OVIDIVS 4. Pont. 3. v. 47.

In coeno latuit Marius cannaque paluſtri.

Cinnam conſulem conſtituit, qui eiicitur a collega, Cn. Octauio, ſed Capuae apud exercitum de iniuria conqueritur, milites per Italiam vagatus contrahit, cum Mario ſe coniungit, et agmine diuiſo in vrbem reuertitur; quotquot inimicorum vterque obuios habet, trucidat et conſulatum obtinet IↃcLXVIII. Paulo poſt Marius diem obiit ſupremum. Cinna vero, Sullae ex Aſia victori armata manu obuiam iturus, occiditur a milite ſuo, cum naues ingredi nollet. Tandem Sulla, C. Marii reliquiis in Campania victis, immani crudelitate *c*) in omnes, qui a ſe vnquam diſſenſerant, Romae deſaeuiit, alios trucidauit, alios in exilium miſit: *d*) ſemetipſum vero Dictatorem perpetuum conſtituit. Poſt Sullae obitum, vt alius triumuiratus *e*) eſſet, *Cn. Pompeius Magnus* et *M. Licinius Craſſus* Conſules anno ab V. C. IↃcLXXXIV. cum *C. Iulio Caeſare*, Pompeii ſocero, tot victoriis incluto, ſocietatem ineunt primas reip. partes occupandi, quicquid illis Cicero, Cato et omnes patriae libertatis patroni obloquerentur. Ita factum eſt, vt Caeſari Gallia, Pompeio Hiſpania, Craſſo Parthia decerneretur. Craſſus cum in bello Parthico interficeretur, *f*) Caeſar vero in occidente maiores progreſſus faceret, eaque felicitate ad res nouas excitatus poſtularet a ſenatu, vt in conſulatus ſecundi petitione abſentis ſui ratio haberetur: Pompeius ſoceri

---

c) VALER. MAX. l. 9. c. 2. *d*) Primus Sulla exemplum proſcriptionis inuenit. VELLEIVS l. 2. c. 28. *e*) LIVIVS epit. 106. ſeqq. FLORVS l. 4. c. 6. SVETONIVS Caeſare. PLVTARCHVS in Craſſo et Pompeio. VELLEIVS l. 2. DIO CASSIVS l. 40. IVLIVS CAESAR, LVCANVS, EVTROPIVS, APPIANVS, plures alii, quos enumerare longum eſt. *f*) Variant auctores in M. Craſſi interitu. Et quod de auro in os occiſi, vel propter ludibrium, infuſo proditum eſt, DIO CASSIVS l. 40. dubitanter memoriae prodidit.

ceri ſui potentiam metuens ipſi aduerſabatur, et Hiſpaniam prouinciam ſuam per legatos regere malebat, quam Romam reip. ſedem relinquere. Iratus ergo Caeſar cum legionibus Romam venit, Pompeio cum ſuis fuga elapſo, aerarium vi effregit, et, quantum opus eſſet ad bellum, inde pecuniam ſumſit. Hiſpaniam, vt tergum ſibi tutum praeſtaret, illis qui Pompeio adhaerebant deuictis, in poteſtatem ſuam redegit. Deinde Pompeium ipſum cum ſelecta manu proſecutus eſt, tantoque impetu concuſſit, vt exigua naui in Aegyptum profugeret: vbi iuſſu Ptolomaei Dionyſii, vltimi Aegyptiorum regis, in Peluſio portu interficitur. *g*) Ita Caeſar monarchiam obtinuit, quoad ipſe idibus Martiis IↃCCX. in Pompeii curia, Bruti, Caſſii et aliorum conſpiratione XXIII. vulneribus interficeretur. Anno ſequenti ab V. C. IↃCCXI. *h*) *Octauianus Caeſar Auguſtus*, a Iulio Caeſare adoptatus et ex teſtamento heres, praeter omnium opinionem, tertium triumuiratum et ſocietatem iniit cum *M. Antonio*, hoſte iudicato, et *M. Lepido*, qui-

bus

g) Omnia haec futura praedixit CICERO ad famil. l. 6. epiſt. 6. Et ipſe Pompeius in fuga confeſſus eſt, Ciceronem plus vidiſſe, ſe ſperaſſe meliora. Philipp. Orat. 2. cap. 15. Confer. Celeb. HARSCHERI Diſſert. de Diuinat. Ciceronis. *h*) Poſt Mutinenſe bellum in inſula amnis Labinii, ſpecioſo quidem hoc titulo, vt remp. bello ciuili collapſam conſtituerent ac refirmarent. Ideoque cudebantur nummi his notis inſigniti: M. ANTONIVS. IMP. AVG. IIIVIR. R. P. C. i. e. *Imperator, Augur, Triumuir Rei Publicae Conſtituendae.* Alius: IMP. CAESAR. DIVI. F. IIIVIR. ITER. R. P. C. Ea triumuiratus ſocietas primo in quinquennium facta erat. LIVII epitom. 120. Illo vero tempore exacto, ἑαυτοῖς τὴν ἡγεμονείαν ἐς ἄλλα ἔτη πέντε ἐπέτρεψαν, *in alind ſibi quinquennium principatum prorogauerunt.* DIO CASSIVS l. 48. extremo. Confer. SVETONIVS Auguſt. c. 27. FLORVS l. 4. c. 6. LIVIVS Epit. 119. ſeqq. VELLEIVS l. 2. PLVTARCHVS in Antonio.

bus ad vrbem properantibus, ingens motus fuit, cum multi proſcriberentur, multi occiderentur, et inter hos optimus orator, ſed Antonii acerrimus hoſtis, M. Tullius Cicero capite manibusque truncaretur. Percuſſores Caeſaris, Brutus et Caſſius, orientis robore confirmati, anno IↃCCXII. ad Philippos Thraciae ab Octauiano et Antonio victi, ambo ſibimet ipſis manu violenta mortem conſciuerunt. Ab ſocietate primus excidit Lepidus, quod Caeſarem in Sicilia hoſtiliter offenderat. Mox etiam Antonius, qui Octauia, Caeſaris Octauiani ſorore, quam in matrimonio habebat, repudiata, Cleopatram vxorem duxit; et Romanis Aegyptum ab imperio auellere viſus eſt, et ipſum Romanum imperium captare, et mouere bellum. Quam ob rem aduerſus eum Octauianus exercitum eduxit hoſtemque ſuum et reip ad Actium vicit: vt in Aegyptum rediret, ac rebus deſperatis, manus ſibi violentas inferret: Cleopatra vero, quae libidinum pretium ab Antonio Romanum imperium petierat, verita ludibrium triumphi, aſpidum, quos admouit, morſu interiret. Ita ſublatis aemulis, bellisque ciuilibus finitis, Octauianus, Auguſti cognomine, cum ſummis honoribus omne imperium obtinuit.

§. VIII.

Rebus ſic ſtantibus, Romae principes viri et qui cum imperio erant, vt maiorem auctoritatem ſibi, et beneuolentiam vulgi conciliarent, ſuam atque etiam regnandi cupiditatem facilius implerent, et ſecure ipſi in ſummo reip. faſtigio ſedentes ex animi ſententia viuere poſſent: populum ad arma procliuem *i*) bellicoſiſſimumque, et in eo maxima ingenia bonarum

i) Vid. BOECLERVS de factionum in rep. Rom. cauſſis, Diſſert. tom. 2. p. 559.

rum artium ſtudio a virtute bellica retinuerunt, atque res ſuas agere, maiori gloria et nominis fama, et neſcio qua perenni felicitate, adegerunt. Eruditos proinde beneficiis cumulare inſtituerunt cateruatim: eaque Muſis praemia propoſuerunt, quae, ſi caſtra fuerint ſecuti, et Marti ſe totos conſecrauerint, nulla fore quilibet videre facile poterat. *k)* Accedebat prudentiſſimum Maecenatis conſilium *l)* Auguſto, vt imperium obtineret datum: quo inter alia ſaluberrime illi perſuadebat curioſam et ſolicitam Romanae iuuentutis educationem, et inſtaurationem ſcholarum: cumque duo ſint reip. tempora, pacis et belli, vtrique velit ciues omnes ſubditosque praeparari; *pueros quidem in ludum literarium ablegatos pacis artibus imbui; adoleſcentes vero armis militiaeque praeparari: ſic aduerſus quaecunque ingruentia reip. pericula, ſubſidia comparari et adminicula: ſic adultos omnes ferendo oneri pares fore. m)* Neque illi obſcure demonſtrauit, *n)* quomodo illi tractandi ſint, qui in virtutibus atque literis bonis omne praeſidium et munimentum ſuum collocarunt. Et hos quidem maiori etiam, quam merita ipſorum poſtulant exiguntque, honore afficiendos ſtatuit. Nec immerito. Quamuis enim honeſta, nullo vel diuitiarum, vel honorum intuitu, verum ſuapte virtute, ab optimis quibusque petantur: vulgo tamen praemia, vt allacrius bonis literis artibusque vacare ſecum conſtituant, eſſe quaedam quaſi incitamenta, et ſtimulos addere multis ſolent.

C 3 §. IX.

k) Confer. CASAVBONVS ad Perſii prol. v. 1. comment. p. 4. *l)* Apud DIONEM lib. 52. *m)* Confer. BOECLERI Maecenas. Diſſert. acad. tomo poſteriori p. 730. ſeqq. *n)* Ibid. pag. 745.

BIBLIOTECA ... ROMA VITTORIO EMANUELE

Digitized by Google

§. IX.

Fuit etiam Romanis tantum non omnibus quidam quaſi innatus ardor mentis ad gloriam, atque deſiderium πάντων ὑπερέμμεναι ἄλλων, vt non ab re PERSIVS *o*) dixerit ſuo tempore:

- - - an erit qui velle recuſet
Os populi meruiſſe, et cedro digna locutus,
Linquere nec ſcombros metuentia carmina, nec thus?

Quibus verbis neminem eſſe putat, qui nollet famam populi et laudem promereri, et dicere ea, quae conſequuntur diuturnitatem: vt cedri ſucco peruncta neque tineas, neque cariem ſentiunt: tantumque abeſſe, ſua vt velint ſcripta aromatis et ſalſamentis, garo e ſcombris vel ipſis ſcombris inuoluendis mandentur: quum chartas ineptas maneat hoc fatum, vt thuris piperiſque fiant cuculli. *p*) Inde factum eſt, vt alter alterum vi vocis voluerit ſuperare, et lingua elegantiaque praeſtare omnibus: nec quenquam fuiſſe putem ſub ſole et in vniuerſo terrarum orbe populum, cui maior paulo virtutis indoles conceſſa, et tantum patriam ſuam linguam exornandi ſtudium, omni ſenſu implicatum inſederit. Qua de re omnes veterum, quotquot eo ſeculo vixerunt ſcriptorum paginae loquuntur. *q*) Quis non admiratione obſtupefactus audit M. Tullium

o) Satyr. 1. v. 42. *p*) Conf. MARTIALIS l. 3. epigr. 2. et 49.

q) Magnifica ſunt, quae HORATIVS Carm. l. 1. od. 1. de ſemet-ipſo praedicat:

Me doctarum ederae praemia frontium
Dis miſcent ſuperis etc.
Secernunt populo - - -
Quod ſi me lyricis vatibus inſeres,
Sublimi feriam ſidera vertice.

Et

lium conſularem virum et ſummum oratorem ab Attico poſtulatum de ſcriptionis vitio, ſuppudentem in omnes partes ſe vertiſſe vſque adeo, vt ex iniecto ſibi ſcrupulo et dubitatione magnam cepiſſe moleſtiam ipſe fateatur? *r*) Quam aegre idem ille fert, Nepotem ea, in quibus ipſe ſibi complacuiſſet, ne ableganda quidem putaſſe? Quamobrem cautius ſibi poſthac agendum, et accuratius paulo ſcribendum fore, exiſtimat. *s*) Plura in eam ſententiam clariſſimorum virorum exempla in medium proferemus: vbi ex profeſſo de verborum delectu, et maxima cura, quam veteres Romani habuerint, inferius paulo dicendum nobis erit.

§. X.

Illi Romanorum ardori ſtimulum addiderunt praemia, libertas, ius ciuitatis, fama, Principum munificentia, exempla Graecorum, incitamenta alia, quae ingenia illorum ad varias artes diſcendum, docendum, ſcribendum, atque ita ad maximam vſque literarum ac ſuae linguae culturam prouocarunt. Omnes proni ſumus ad amplectendum id, quod eximium eſſe intelligimus, et delectamur illis potiſſimum rebus, quae vſum et exiſtimationem nobis afferunt. Verum enim vero ſapientia et artes, interque

Et Ovidius Remedio Amoris:

Tantum ſe nobis elegi debere fatentur,
Quantum Virgilio nobile debet opus.

r) Cicero ad Atticum lib. 7. epiſt. 3. *Venio*, inquit, *ad Piraeea, in quo magis reprehendendus ſum, quod homo Romanus Piraeea ſcripſerim, non Piraeeum. Sic enim omnes noſtri locuti ſunt, quam quod in addiderim. Non enim hoc vt oppido praepoſui, ſed vt loco* &c. *Sed quoniam Grammaticus es, ſi hoc mihi ζήτημα perſolueris, magna me moleſtia liberaris.* *s*) Cicero ad Attic. L. 16. 5.

terque has maxime eloquentia, ſuo iure laudem ſibi vendicant, quae ſi tribuitur illis, nemo non facile capitur literarum amore. Socrates haud incelebris Philoſophus dicere ſolitus eſt, vnicum eſſe bonum, ſcientiam, malum contra vnicum, inſcitiam. *t*) Et Ariſtoteles interrogatus, quo differrent docti ab indoctis: *ὅσῳ*, inquit, *οἱ ζῶντες τῶν τεθνηκότων*. *v*) Sed quanti Romae tum literas humaniores fecerint, ipſe TVLLIVS nos docet. *x*) *Haec ſtudia*, ipſius illa commendantis verba ſunt, *adoleſcentiam alunt*, *ſenectutem oblectant*, *ſecundas res ornant*, *aduerſis perfugium ac ſolatium praebent: delectant domi*, *non impediunt foris*, *pernoctant nobiſcum*, *peregrinantur*, *ruſticantur*. Idem: *y*) *Grauis etiam illa eſt et plena dignitatis dicendi facultas*, *quae ſaepe valuit in Conſule deligendo* &c. Paucis interiectis: *non mirum*, *ſi ob hanc facultatem homines ſaepe etiam non nobiles conſulatum conſecuti ſunt*: *praeſertim quum haec eadem res plurimas gratias*, *firmiſſimas amicitias*, *maxima ſtudia pariat*. Alibi: z) *Erant autem huic ſtudio* eloquentiae *maxima*, *quae nunc quoque ſunt*, *expoſita praemia*, *vel ad gratiam*, *vel ad opes*, *vel ad dignitatem*. L. Cornelius Sulla, Romanus Imperator, teſte ATHENAEO, *a*) vſque adeo delectatus fuit mimis, et *γελωτοποιοῖς* i. e. *ridiculis*, vt iis agri publici multa donaret iugera. Clodio Rhetori Antonius in Sicilia duo millia iugerum campi Leontini, et quidem immunia, aſſignauit. *b*) Pompeius M. Rhodum profectus, quum ſophiſtas audiſſet, ſingulis talentum donauit,

t) DIOGENES LAERTIVS in vita Socratis. *v*) Eodem teſte in vita Ariſtot. *x*) In oratione pro Archia. c. 7. *y*) Orat. pro Muren. c. 2. *z*) De oratore lib. 1. c. 4. confer. SVETON. de claris Rhetor. cap. 1. *a*) Lib. 6. *b*) CICERO Philipp. orat. 2. c. 17. SVETON. de clar. Rhet. c. 5.

uit, *c*) praemium minime contemnendum. Nam talentum Atticum, quod ab hiſtoricis praeſertim celebratur, valuit ſexaginta libras ſeu minas, quae conficiunt ſex millia denarium vel drachmarum: illa proinde ſexagies denos coronatos valent. *d)* Iulius Caeſar omnes medicinam Romae profeſſos, et liberalium artium doctores, quo libentius et ipſi vrbem incolerent, et ceteri appeterent, ciuitate donauit. *e)* Ille vero honos, vel propter maxima quaeque emolumenta, ſummus erat extero et nulla pecunia aeſtimandus. *f*) Auguſtus Imperator Verrium Flaccum Grammaticum, vt nepotes ſuos formaret, cum tota ſchola in Palatium perduxit, ac illi ſeſtertia centena in annum dedit. *g*) *Seſtertium* vero *h*) genere neutro idem eſt quod mille ſeſtertium vel ſeſtertiorum, et conuenit cum XXV. coronatis: vt *centena ſeſtertia* duo millia coronatorum, et praeter haec quingentos efficiant. Quem latent Maecenatis praeſtita literatis omnibus beneficia et interceſſiones pro ſalute reip. literariae neceſſaria apud Caeſaream Octauiani Auguſti maieſtatem: *i*) qui et ipſe omnis generis doctos proſequebatur, et in oculis ferebat. Exempla proſtant oppido multa, eaque euidentiora, quam vt commendatione aliorum indigeant. De Virgilio et Vario poetis, vt hoc vnicum ex infi-

 nitis

c) Teſte PLVTARCHO in vita Pompeii. *d*) Vid. I. F. GRONOVIVS de ſeſtertiis l. 3. c. 3. KRIEGK diatr. de peregrin. Roman. acad. §. 43. WALCHIVS Parerg. acad. p. 127. *e*) SVETONIVS Iul. Caeſ. cap. 42. *f*) Confer. LIPSIVS de magnitudine Romana lib. 4. c. 10. *g*) SVETONIVS de illuſtr. Gramm. c. 17. *h)* Quod CASAVBONVS ad Sueton. Veſpaſ. c. 18. et WALCHIVS Parerg. Acad. p. 121. notarunt. *i*) Quamobrem MARTIALIS lib. 8. epigr. 56.

Sint Maecenàtes, non deerunt, Flacce, Marones,
Virgiliumque tibi vel tua rura dabunt.

nitis in medium proferam, quousque bene meritus fuerit Auguſtus, incomparabile et certiſſimum eruditorum columen, HORATIVS *k*) ipſe, tanti Principis alumna et beneficiorum particeps inter alia celebrat, nec illis immerito eſſe collata ea munera dicit:

At neque dedecorant tua de ſe iudicia, atque
Munera, quae multa dantis cum laude tulerunt
Dilecti tibi, Virgilius Variusque Poetae.

§. XI.

Artes bonae ſemper et vbique, tum etiam vel maxime apud Graecas ciuitates ſuos inuenere patronos, ſuos fautores habuere. Zeno propterea, quod iuuenes accedentes diſciplinae cauſſa, et verbis et exemplo docuiſſet, ab Athenienſium magiſtratu ornabatur aurea corona, vt populo commendaretur. *l*) VALERIVS MAX. *m*) teſtatur, Crotoniatas Pythagorae domum Cereris ſacrarium feciſſe, et ſuam, admiratione ſtupefactus, epicriſin ſubiungit: *quantum illa vrbs viguit, et Dea in hominis memoria, et homo in Deae religione cultus eſt.* Alexander Magnus animalium naturas deſcribendi negotium, et LXXX. talenta laboris praemium Ariſtoteli hoc eſt, vt quidam rationem ineunt, coronatorum aureorum millia quadringenta octoginta dedit. *n*) Eam Graecorum liberalitatem vel maxime Romani imitabantur, quorum excellentes quique viri et Imperatores, et Conſules, et Dictatores ob literarum amorem, et ſtudia, et ſummam in artium liberalium cultores benignitatem celebrantur: vtpote qui continuis et poſteritati memorandis

k) Lib. 2. epiſt. 1. *l*) Vid. DIOGENES LAERTIVS in vita Zenonis. *m*) Lib. 8. c. 15. *n*) Confer. ATHENAEVS lib. 1. & 2. PLINIVS hiſt. natur. lib. 8. c. 16. MELANCHTHON in oratione de vita Ariſtotelis. SLEIDANVS de monarchiis lib. 1. p. m. 42.

dis praemiis omnes ornarunt literatos, ac ciuibus ſuis magnum docendi diſcendique ardorem commouerunt: vt artes et ſcientiae, et cum illis gloria linguae, ſtatam perfectionem ſuam nanciſci viderentur. Quis enim neſcit literarum et literatorum fortunam a Principibus eorundemque aula pendere? Nec ab re iudicat ERASMVS: *o*) *vt honos alit artes, ita genus vitae ſordidum, nullus ſtudiorum comes, nullus aemulus, nemo mirator, nemo fautor, nullus honos, nulla praemia etiam ex diligentiſſimo ignauiſſimum reddunt ſtudioſum.*

§. XII.

Inter praemia doctorum haud infimum locum obtinent coronae, quibus eorum ſancta, velut ex certamine victorum, capita cingebantur. *p*) Eruditionis et vniuerſae doctrinae filia et nuncia eſt Facundia: vt haec ſine illa nequeat eſſe vel ſubſiſtere, illa vero ſine hac latens et obſcura ſit: quum ſola Facundia doctrinae arcana ſatis reuelare poſſit. Adeoque vt doctrinae in vniuerſum conſecratae fuerunt coronae, ſapiens antiquitas ſpeciatim illas Facundiae tribuit. *q*) Facundiae corona maxime conuenit Poetis, quorum ars ipſius linguae beneficio et perfectione conſiſtit, vt oratione ligata fortium virorum res geſtas canerent et ea, quae vel prodeſſe vel delectare aliquomodo valeant. Itaque lauro et myrto coronabant optimorum poetarum capita. Et ipſe HORATIVS *r*) vbi memorat ſe, cum puer eſſet, a palumbibus fronde noua tectum fuiſſe, ſubiungit:

D 2 *vt*

o) Centur. 7. epiſt. 29. *p*) De coronis doctrinae vid. CAROL. PASCHALIVS coronar. l. 5. c. 11. ſeqq. *q*) PASCHALIVS l. c. p. 319. edit. Pariſ. Facundiae coronam ex Latinis TACITVS nominat. Annal. l. 16. c. 4. *r*) Carm. l. 3. od. 4.

- - - vt premerer ſacra
Lauroque collataque myrto
Non ſine Dis animoſus infans.

Quam ipſe *s*) audacter petit:

- - - mihi Delphica
Lauro cinge volens Melpomene comam.

Eam alibi *t*) Apollinarem vocat, eandemque Pindarum mereri ait:

- - - immenſuſque ruit profundo
Pindarus ore,
Laurea donandus Apollinari.

Illud coronae praemium apud Romanos in tanta dignitate et aeſtimatione fuit, vt oratores aeque ac poetae illius conſequendae incredibili deſiderio flagrarent, et omni labore ad eam gloriam peruenire contenderent. Ita Nero *v*) *in orcheſtram ſenatumque deſcendit; et orationis quidem carminisque Latini coronam, de qua honeſtiſſimus quisque contenderat, ipſorum conſenſu conceſſam ſibi recepit.* Erant autem coronae ſigna honoris ac praecipuae dignitatis, quam ingeniis magnis et facundiae tribuebant, veluti praemium, quo literarum ſtudia maxime digna aeſtimabant.

§. XIII.

In literatorum honorem etiam ſtatuae ponebantur. Eius rei clariſſimum teſtimonium exhibet auctor dialogi de cauſſis corruptae eloquentiae: *x*) vbi *minimum*, inquit, *inter tot ac tanta locum obtinent imagines, ac tituli et ſtatuae*

s) Carm. l. 3. od. vlt. *t*) Carm. l. 4. od. 2. Plura veterum Poetarum teſtimonia vide apud PASCHALIVM de coronis l. 5. c. 12. 13. 14. *v*) Teſte SVETONIO in eius vita cap. 12. *x*) Apud TACITVM cap. 8.

tuae. Quae neque ipſa tamen negliguntur: tam hercule quam diuitiae et opes, quas facilius inuenies qui vituperet, quam faſtidiat. His igitur et honoribus, et ornamentis, et facultatibus, refertas domos eorum videmus, qui ſe ab ineunte adoleſcentia cauſſis forenſibus et oratorio ſtudio dederunt. Eiuſmodi ſtatuam Orbilius *y)* et Verrius Flaccus, Grammatici *z)* obtinuerunt. Medico Antonio Muſae Romani ſtatuam, aere collato, iuxta ſignum Aeſculapii ſtatuerunt. *a)*

§. XIV.

Nihil mirum hoc feliciſſimo literatorum aeuo, omnium artium ſcriptores ſua quaeque non niſi maxima cura et elegantia dediſſe: cum Imperatores ipſi diſciplinas non ſolum fouerent et beneuole quoſuis exciperent doctos; verum etiam, grauiſſimarum occupationum vix habita ratione, aliquando maxima cum voluptate praeberent aures ſua monumenta recitantibus. Ita Virgilius Auguſto poſt Actiacam victoriam Atellae, virium reficiendarum cauſſa, commoranti, per continuum quatriduum Georgica ſua legit: ipſo Maecenate vicem lectoris ſuſcipiente, quoties offenſione vocis interpellaretur. *b)* O ſi Maecenates olim vel Auguſti ſupereſſent doctis! De Aeneide vero etiam Auguſtus, vt ſibi prima ὑπογραφὴ, vel quodlibet colon mitteretur, ſupplicibus atque minacibus per iocum literis efflagitauit. Quod nequidem a Virgilio obtinere potuit: qui, perfecta demum materia, illi tres libros recitauit, ſecundum videlicet, quartum et ſextum. Sed hunc praecipue

 propter

y) SVETONIVS de illuſtr. Grammat. c. 9. *z)* Ibid. c. 17. *a)* SVETON. Auguſt. c. 59. Huius Antonii meminerunt PLINIVS hiſt. nat. l. 9. c. 8. et lib. 19. c. 1. HORATIVS l. 1. epiſt. 15. *b)* DONATVS in Virgilii vita.

propter Octauiam, quae, cum recitationi intereſſet, ad illos de filio ſuo verſus, *Tu Marcellus eris*, defeciſſe fertur: atque aegre refocillata, dena ſeſtertia pro ſingulo verſu Virgilio dari iuſſit. *c*)

§. XV.

Saepe numero Maecenas et ipſe Auguſtus Poetas, cum primis Virgilium, adhibuere in conſilium, eorundemque dicto obſequentes fuerunt. Ita Mantuanus poeta Maecenati, quid ſatietatem homini non afferat, interroganti reſpondit: *omnium rerum aut ſimilitudo, aut multitudo ſtomachum praeter intellectum facit*. Rurſum, quo pacto quis altam et felicem fortunam ſeruare poſſet: *ſi quantum*, inquit, *honore ac diuitiis aliis praeſtantior ſit, tantum liberalitate et iuſtitia alios ſuperare nitatur*. Auguſto vero percontanti, quomodo ciuitas feliciter gubernaretur: *ſi prudentiores*, inquit, *temonem tenuerint, et boni malis praeponantur: itaque optimi ſuos habeant honores; nulli tamen aliorum iniuſti quidquam fiat*. Eidem, an conduceret tyrannidem omittere, et omnem poteſtatem annuis conſulibus, et ſenatui remp. reddere; an conferat priuato homini, in rep. ſua ſe tyrannum facere: *omnibus ferme*, dixit, *remp. aucupantibus moleſta ipſa tyrannis fuit, et ciuibus: quia neceſſe erat, propter odia ſubditorum, aut eorum iniuſtitiam, magna ſuſpicione magnoque timore viuere. Sed ſi ciues iuſtum aliquem ſcirent, quem amarent plurimum, ciuitati id vtile eſſet, ſi in eo vno omnis poteſtas foret. Quare ſi iuſtitiam, quod modo facis, omnibus in futurum nulla hominum facta compoſitione diſtribues; dominari te, et tibi condu-*

c) DONAT. l. c. confer. Diſſert. noſtra de Adoleſcentia L. L. c. 1. §. 5.

conducet, et orbi. Beneuolentiam enim omnium habes, vt Deum te et adorent, et credant. Eius ſententiam ſecutus Caeſar principatum tenuit. *d*)

§. XVI.

Ea non vulgaris doctorum glòria, et auctoritas, et neſcio quae tandem in omni eruditionis genere et ſtatu emolumenta Romanos ad bonarum artium ſtudia et amorem ſummum trahebant. In ſtudiis aemulatio haud contemnenda erat, cuius beneficio alter alterum ſuperare, et in rep. literaria literatiſſimus non tam videri, quam eſſe quiſque volebat. Nemo vel ex primo & ſenatorio ciuium ordine, vel ex infima plebe aſpernabatur, quae in ſe bona et ad vnum omnibus maximopere commendata habebantur. Et patres filios ſuos, quos incolumes et ſaluos, et feliciſſimos eſſe valde cupiebant, Muſis conſecrabant: vt virtute et gloria excellere, et grata patriae officia praeſtare, et ad ſalutem reip. libertatem anhelantes eſſe natos, videri queant.

§. XVII.

Atque hinc, quod a teneris aſſueſcere multum eſt, filiorum educatio Romanis, bonarum artium amantiſſimis, curae cordique fuit. Et primo quidem cauebant maximopere, ne ſi qua puerorum eſſet bona indoles et natura, vitiis aliorum et prauis, quae plurimum valent, exemplis inquinaretur. Hoc vero totis viribus agebant, vt grata iuuentus et a teneris ad virtutem et artes honeſtas quoquo modo traheretur. Id quod pluribus et egregie deſcribit Auctor de cauſſis corruptae eloquentiae: *e*) *Iam primum ſuus cuique filius ex caſta parente natus, non in cella emtae nutri-*

d) Referente DONATO in vita Virgilii. *e*) Apud Tacitum cap. 28.

nutricis, ſed gremio et ſinu matris educabatur, cuius praecipua laus erat, tueri domum et inſeruire liberis. Eligebatur autem aliqua maior natu propinqua, cuius probatis ſpectatisque moribus, omnis cuiuſpiam familiae ſoboles committeretur, coram qua neque dicere fas erat, quod turpe dictu, neque facere, quod inhoneſtum factu videretur. Ac non ſtudia modo curasque, ſed remiſſiones etiam luſuſque puerorum, ſanctitate quadam ac verecundia temperabat. Linguae prima elementa pueri diſcebant domi, et in contubernio parentum. Ita Gracchi fratres in Corneliae matris non tam gremio, quam ſermone fuerunt educati: *f*) et filios ſuos Tullius ipſe maluit docere, quam alium eorum magiſtrum quaerere. *g*) T. Pomp. Atticus a patre diti et inprimis literarum ſtudioſo eruditus eſt omnibus doctrinis, quibus aetas puerilis impertiri debet. *h*) Atque Iulia Procilla matrona fuit, teſte CORN. TACITO, *i*) rarae caſtitatis, in cuius ſinu indulgentiaque Iulius Agricola filius educatus, per omnem honeſtarum artium cultum pueritiam adoleſcentiamque tranſegit. Sic quoque Aurelia Caeſaris, et Attia Auguſti mater praefuerunt educationibus et principes liberos

f) CICERO de claris orat. c. 27. & 58. Diſſert. noſtr. de Adoleſc. L. L. c. 5. §. 12. *g*) CICERO ad Atticum l. 8. epiſt. 4. confer. Idem ad Q. Fratrem. l. 2. epiſt. 11. *Maxime vero mihi curae erit, vt Ciceronem tuum, noſtrumque videam, ſcilicet quotidie, ſed inſpiciam, quid diſcat quam ſaepiſſime: et, niſi ille contemnat, et magiſtrum me ei profitebor. Cuius rei nonnullam conſuetudinem nactus ſum in hoc horum dierum otio, Cicerone noſtro minore perdocendo.* Et l. 3. epiſt. 1. *Cicero noſter, dum ego adſum, non ceſſauit apud Rhetorem De eius eruditione quod labores, nihil eſt, quoniam ingenium eius noſti, ſtudium ego video.* *h*) Vid. CORN. NEPOS in vita Attici c. 1. *i*) In vita Agricolae cap. 4.

Google

liberos produxerunt. *k)* Haec vero diſciplina eo pertinebat, vt ſincera et integra et nullis prauitatibus detorta vnius cuiusque natura, toto ſtatim pectore arriperet artes honeſtas: et ſiue ad rem militarem, ſiue ad iuris ſcientiam, ſiue ad eloquentiae ſtudium inclinaſſet, id ſolum ageret, ac vniuerſum hauriret. *l)*

§. XVIII.

Habebant praeterea ludos, quibus magiſtri praefecti erant, publicos. *m)* Ita LIVIVS *n)* de Camilli ad Tuſculanos ingreſſu: *intentos opifices ſuo quemque operi, et ludos literarum ſtrepere diſcentium vocibus* vidit. Alibi: *o) Mos erat Faliſcis eodem magiſtro liberorum et comite vti; ſimulque plures pueri, quod hodie in Graecia manet, vnius curae demandabantur.* Neque ſolum triuiales, quas vocant, ſcholas, et magiſtros literarios habuere, qui prima iuuentutem elementa docebant: verum etiam grammaticos et rhetores, qui maiori dignitate, ingenio et eruditione excellentiori erant in ciuitate. *p)* Nam elementis literarum imbuta, et quodammodo praeparata ad altiores diſciplinas, Romana iuuentus, modo priuatim et domi, modo in ſcholis et plurium conuentu, linguae et artibus Graecis, quae tunc maxime in vſu erant, perpetuo dabat operam. *q)* Auſpicium fiebat a poetis, quos inter Homerum, ceu principem vitae et morum, imprimis eloquentiae doctorem, amabant. *r)* Cum illo Menandrum, Euripidem, Sophoclem et alios coniungebant. Ex hiſtoricis Thucydidem, Herodotum, Xenophontem, et quos eloquentiae

k) Auctor de cauſis corruptae eloquentiae cap. 28. apud Tacitum. *l)* Ibid. *m)* Vid. Diſſert. noſtra de pueritia L. L. c. 2. §. 5. ſeqq. *n)* Lib. 6. c. 25. *o)* Lib. 5. c. 27. *p)* Vid. WOWERVS de polym. *q)* Confer. Diſſert. noſtra de pueric. L. L. c. 2. §. 4. *r)* Vid. PLINIVS l. 2. epiſt. 14.

aut philoſophiae arbitrabantur praemittendos eſſe, ad perpolienda ingenia, eligebant. Harum literarum doctores dicebantur grammatici, quorum alii fuerunt τεχνικοὶ, alii ἱϛορικοὶ ſeu ἐξηγητικοὶ, alii κριτικοί. *s*) Ex omni lectione obſeruabant, quae notatu maxime digna, et vtilia erant, ad varios vſus et maiores in aliis atque aliis diſciplinarum generibus faciendos progreſſus. Vti vero linguae vtriusque commoda magis perciperent ac diligenti opera in partes ſuas traherent, obtinuit inter eos ex Graecis in vernaculam, et reciproco labore in Graecam linguam ſua vertendi conſuetudo. Inde FABIVS *t*) *vertere*, inquit, *Graeca in Latinum veteres noſtri oratores optimum iudicabant.* Et paulo poſt: *ſed et illa ex Latinis conuerſio multum et ipſa contulerit.* Sic quoque iunior PLINIVS: *v*) *Vtile in primis et multi praecipiunt, vel ex Graeco in Latinum, vel ex Latino vertere in Graecum: quo genere exercitationis proprietas ſplendorque verborum, copia figurarum, vis explicandi, praeterea imitatione optimorum ſimilia inueniendi facultas paratur. Simul quae legentem fefelliſſent, transferentem fugere non poſſunt.* Neque ſolum vertebant Graecos, verum etiam, vt excellens quoddam archetypum et exemplar haberent, illos ſummo ſtudio imitari conabantur, et exprimere nunc elegantiam et formam dicendi, nunc ipſum pertractationis modum, et rerum inuentionem optimam. Quicquid enim agimus, quicquid ſapimus, ab imitatione dependet. Et illa, quoad fieri poteſt, modo pueriles agit ſenſus,

s) Vid. VOSSIVS de arte grammatica. l. 1. p. 12. 20. 21. 23. WOWERVS de Polym. c. 9. PERIZONIVS obſeru. ad Sancti; Mineruam. p. 12. 13. SCIOPPIVS de arte critica p. 2. PITISCVS annot. ad Sueton. de illuſtr. gramm. p. 1079. 1090. et lex. antiq. Rom. tom. 1. p. 882. WALCHIVS parerg. academ. p. 56. *t*) Inſtit. Orat. l. 10. c. 5. pr. *v*) Lib. 7. epiſt. 9.

et iuuenum exercet ingenium; modo viros egregia et opera et arte, nec ſine voluptate, occupatos tenet. Vel quis ignorat, Demoſthenem Ciceroni propoſitum fuiſſe exemplar dicendi, et omnis elegantiae ſpeculum? Salluſtius Thucydidem, Liuius Polybium, Virgilius Theocritum, Heſiodum et Homerum, alii alios, imitati ſunt. Sed ad iuuenilem inſtitutionem reuertamur. Et ea fuit ſtudiorum ratio, vt cum linguis earundemque variis exercitationibus philoſophiam coniungerent, ſine qua procul dubio artes reliquae facillant, neque differendi facultas aliqua, neque argumentorum inuentio eſſe poteſt. *x*) Studium iuris quoque excolebant aliasque diſciplinas, quas ordine ſuo proſequi omnes, longum et ab inſtituti noſtri ratione alienum foret.

§. XIX.

Praecipuum Romanae iuuentuti fuit ſtudium eloquentiae, *y*) quam omnibus viribus excolere, et cum illa vernaculam ſuam linguam ad ſummum honoris faſtigium prouehere contendebant. Neque in ſcholis grammaticorum et rhetorum ſumtibus, neque in exercitationibus tempori, neque in longo rerum vſu laboribus et ſudori parcebant: vt grauiſſimorum in vtraque lingua oratorum imagines ſibi proponerent; ſuum ad exempla eorum conformarent ingenium, et totum orationis corpus, maiori alacritate et inſigni quadam patrii ſermonis gloria, ſibi fingerent atque pararent. Ab ineunte adoleſcentia conquirebant vndiquaque floſculos et quaelibet artis diuinae emolumenta: vt commoda ſcirent dicendi et animos auditorum permouendi maxima, et in promtu haberent omnia, quae ad com̃unes fructus proferri, et ex penu eloquentiſſimo

x) Cicero de oratore L. 1. c. 18. *y*) Vid. Differt. noſtra de adoleſcent. L. L. cap. 5. §. 3.

Digitized by Google

ſimo in vſum fori, et in omnium conſpectum, ſuo loco et tempore, protrahi potuerunt. Quam dicendi facultatem vt faciliori perciperent methodo, ſemper ab ore dependebant oratoris facundiſſimi et in omni eruditionis genere verſatiſſimi: hunc ſectabantur; hunc maximo proſequebantur amore; hunc ſedulo audiebant; hunc neque in concionibus neque in iurgiis deſerere volebant: vt magiſtri ſui praecepta non ſolum haurirent, verum etiam in publico eum perorantem auſcultarent, et omnes eius actiones inſigni modeſtia conſpicerent; atque adeo magis magisque doctrinam illius ad res ipſas applicare conſueſcerent z) Procul etiam omni dubio hinc fieri ſolebat, vt vt vera ſtatim et incorrupta eloquentia imbuerentur, et vn icum haberent ſtudiorum ducem, tamen omnes eiusdem aetatis patronos in plurimis cauſſis et iudiciis cognoſcerent, haberentque ipſius populi diuerſiſſimarum aurium copiam, ex qua facile deprehendere poterant, quid in vno quoque vel probaretur, vel diſpliceret.

§. XX.

Iuuentutem ſuam Romani non ſolum priuatim et publice

z) Auctor dialogi de cauſſis corruptae eloquentiae cap. 34. *Ergo apud maiores noſtros iuuenis ille, qui foro et eloquentiae parabatur, imbutus iam domeſtica diſciplina, refertus honeſtis ſtudiis, deducebatur a patre, vel a propinquis, ad eum oratorem, qui principem locum in ciuitate tenebat. Hunc ſectari, hunc proſequi, huius omnibus dictionibus intereſſe, ſiue in iudiciis, ſiue in concionibus aſſueſcebat, ita vt altercationes quoque excipere, et iurgiis intereſſe, vtque ſic dixerim, pugnare in praelio diſceret. Magnus ex hoc vſus, multum conſtantiae, plurimum iudicii iuuenibus ſtatim contingebat, in media luce ſtudentibus atque inter ipſa diſcrimina, vbi nemo impune ſtulte aliquid, aut contrarie dicit quo minus et iudex reſpuat, et aduerſarius exprobret, ipſi denique aduocati aſpernentur, &c.* Confer. CICERO de amicit. c. 1.

blice literis et artibus probe inſtitui curauerunt; ſed etiam mature dicto modo in conſpectum ſenatus ſecum duxerunt: *a*) vt tenerrima aetate imperterriti res grauiſſimas audire, ipſis orationibus forenſibus elegantiſſimis intereſſe, et apti ſuo tempore iudiciorum ſectatores fieri potuerint. Tum dicebantur *togam virilem ſumere*, qui habitus erat Romanorum honeſtus, quemadmodum pallium Graecorum. *b*) Sumebatur autem anno decimo ſeptimo ab adoleſcentibus: quo virilia auſpicari officia, *c*) et in forum duci a patre, vel a propinquis, conſueuere. Aliquando ſumebatur virilis illa toga citius, ſi videlicet pueri felicius adoleuiſſent. De Octauiano Auguſto SVETONIVS: *d*) *Quadrimus patrem amiſit: duodecimum annum agens auiam Iuliam defunctam pro concione laudauit. Quadriennio poſt virili toga ſumta, militaribus donis triumpho Caeſaris Africano donatus eſt, quamquam expers belli propter aetatem.* Claudius vero deſtinauit eandem Britannico dare, *e*) quem nondum quatuordecim annos natum fuiſſe ex TACITO *f*) conſtat. Idem PLVTARCHVS in Bruto de Caſſii filio ſcribit; vbi togam virilem *ἀνδρεῖον ἱμάτιον* appellat. DIO *g*) eandem *ἐσθῆτα ἀνδρικὴν* vocat. Hanc togam Graeci etiam nominant *ἀπόρφυρον*; et Latini *puram*, *h*) quae nullo ſcilicet purpurae praetextu diſtincta eſſet, *i*) item *liberam* *k*) et *liberiorem* *l*) quod tum liberius agerent ſine pae-

 dago-

a) Vid. §. ſuperiori Auctor de cauſſis corruptae eloquent. c. 34. *b*) Vid. CICERO orat. Philipp. 5. 5. pro Sext. c. 55. VELLEIVS. l. 2. c. 9. HORATIVS arte poet. v. 288. VALERIVS MAX. lib. 2. c. 2. n. 2. *c*) VELLEIVS l. 2. c. 99. n. 2. Confer. dialogus de oratoribus, quem Tacito tribuunt. *d*) In eius vita cap. 8. *e*) SVETONIVS in eius vita c. 42. *f*) Annal. l. 13. c. 15. *g*) Lib. 45. *h*) CICERO ad Attic. l. 9. epiſt. vlt. *i*) CICERO ad Attic. 9. 6. et PLINIVS l. 8. c. 48. *k*) PROPERT. 4. 1. 132. *l*) OVIDIVS triſt. 4. 10, 28.

dagogo. Eam virilem togam et mature ſumebat Cicero, *m*) et ad cauſſas priuatas publicasque adibat, non vt in foro diſceret, quod plerique fecerunt, ſed vt vires ipſe ſuas experiretur, et doctus olim in forum veniret. *n*) Erat autem a patre deductus ad Scaeuolam, ſumta virili toga, vt quoad poſſet ac liceret, a ſenis latere nunquam diſcederet. *o*)

§. XXI.

Declamandi conſuetudo tum frequens et excitata fuit. Nam inſtituebant, exercitii gratia, vt oratores perfecti et praemeditati olim euaderent, imitari veras litigantium controuerſias; actione adhibita et vocis moderatione vna cum motu et geſtu corporis, quem forenſes cauſſae requirebant. Id quod iam dudum Graecis in vſu fuit. *p*) Hoc genus orationis, vt apud PLATONEM *q*) eſt, δημηγορίας vocabant, quaſi populares ſermones, de omni re propoſita confectos argumentis probabilibus, quae fidem inuenire facile in vulgus poſſint. Sed Latini *Declamationes* vocare coeperunt propterea, quod iidem clamores adhibebantur in fictis huiusmodi cauſſis, qui et in veris vſurpari ſolebant. Declamationis vero apud Romanos, ſi fidem SENECAE habemus, ante Ciceronem, ne nomen quidem, nedum vſus fuit. At CICERO ipſe *r*) de ſe teſtatur omnium longiſſime cauſſas declamitaſſe. Neque ante Ciceronis tempora quenquam Romae credo illam Ariſtotelicam dicendi doctrinam ſecutum fuiſſe: quanquam ille eam in tribus de oratore ſermonibus tribuat Lucio Craſſo et Marco Antonio. Deinde ad Senecae et Plinii et Quintiliani

m) Vid. FABRICII vita Ciceronis anno V. DCLXII. §. 25. p. m. 39. *n*) CICERO in Bruto cap. 90. *o*) De amicitia cap. 1. *p*) Vid. STVRMIVS de imitatione oratoria lib. 1. c. 13. *q*) In Theaeteto. *r*) Tuſcul. quaeſtion. lib. 1. cap. 4. Et in Bruto cap. 90. *Commentabar*, inquit, *declamitans* (*ſic enim nunc loquuntur*) *ſaepe cum M. Piſone &c.*

liani tempora, amplius ad Baſilii et Gregorii Nazianzeni aetatem in Graecia et Romae apud rhetores fuit aſſidua in ſcholis: imo et colebatur domi ab locupletioribus ciuibus, vt factitatum eſſe ab Lollio HORATIVS *s*) oſtendit. Teſte SVETONIO *t*) Octauianus Auguſtus Imperator *eloquentiam ſtudiaque liberalia ab aetate prima et cupide et laborioſiſſime exercuit. Mutinenſi bello in tanta mole rerum, et legiſſe, et ſcripſiſſe, et declamaſſe quotidie traditur.*

§. XXII.

Poſt fictas et hinc inde exercitii gratia ſuſceptas cauſſas, in foro frequentes non ſolum perdiſcebant verae eloquentiae vſum; ſed ipſi etiam mature nobili quadam actione artis ſuae faciebant periculum. Vt plurimum vero iuuenes eloquentiae et iuris ciuilis ſtudioſi apud Centumuiros primum cauſſas ſuſcipiebant. Qua de re iunior PLINIVS *v*) conqueritur: *ad hoc perpauci, cum quibus iuuet dicere: ceteri, audaces atque etiam magna ex parte adoleſcentuli obſcuri a declamando huc tranſeunt. Tam irreuerenter et temere, vt mihi Attilius noſter expreſſe dixiſſe videatur, ſic in foro pueros a centumuiralibus cauſſis auſpicari, vt ab Homero in ſcholis.* Ne quid ergo temere ſuſcipiant, iuuenibus ſuis Romani ſolebant praeficere quendam magnae auctoritatis virum, quo duce et comite vterentur forum ingredientes ac primam dicentes cauſſam: vt ſtarent illius auſpicio conſiliisque, quoad rebus grauioribus magis aſſueti laudem ipſi accuſando, vel, quod magis placebat, reum aliquem factum defendendo mereri, aut alia quacunque ratione in foro victoriam reportare poſſent. Vnde maximus orator: *x*) *quum ſint plura cauſſarum genera, quae eloquentiam deſiderant, multique in noſtra repu-*

s) Lib. 1. epiſt. 2. ab exord. *t*) Auguſt. c. 84. *v*) Lib. 2. epiſt. 14. *x*) CICERO de officiis l. 2, c. 14.

republica adoleſcentes et apud iudices, et apud ſenatum, dicendo laudem aſſecuti ſint, maxima admiratio eſt in iudiciis; quorum ratio duplex eſt: nam et ex accuſatione et defenſione conſtat: quarum etſi laudabilior eſt defenſio, tamen etiam accuſatio probata perſaepe eſt. Ita Lucius Craſſus ex accuſatione C. Carbonis eloquentiſſimi hominis laudem ſibi peperit. M. Antonius adoleſcens Cn. Papirium Carbonem accuſauit. Et P. Sulpicius C. Norbanum inutilem ciuem in iudicium vocauit. *y*)

§. XXIII.

Poſtquam romana iuuentus in forum ingreſſa fuit, vel etiam antea peregrinationes ſtudiorum gratia ſuſcipiebant, et proficiſcebantur ad literarum ſedes et emporia ſapientiae, quae in aliis regionibus erant: vt bene coepta bonarum artium fundamenta magis perficerent exornarentque. *z*) Atque etiam illi, qui toga virili ſumta, caſtra ſequebantur et ſtipendia merebant, non vt belli gloriam, ducis faſtigium aliasque dignitates militiae aucuparentur, verum vt ſenatores aut proconſules futuri non ſint rerum bello gerendarum ignari; in ipſis caſtris literarum ſtudia proſequebantur, et ſummi aliquando duces non temperarunt ſibi, quin noctis ſaltem particulam quandam Muſis conſecrarent, ſuamque virtutem et bellandi peritiam cum liberalibus ſcientiis copula ſuauiſſima coniungerent. Atque hoc ipſum Romani religione confirmarunt, vno delubro Muſarum et Herculis ſacra complexi tam arcto vinculo, vt nihil fuerit quod in admirationem aeque rapiat, quam haec diuerſiſſimi ingenii Deorum conſociatio

y) Plura videantur apud celeberr. WALCHIVM parerg. academ. p. 60. ſeq. *z*) Vid. Diſſert. noſtra de pueritia L. L. c. 2. §. 6. ſeqq. WALCHII parerga academ. p. 68. ſeqq. Auctores vtrobique citati; cum primis IOACHIMVS ZENTGRAVIVS de peregrinatione academica, ad Ciceron. l. 1. offic. c. 1. init. diſſertatione ventilata Argentorati 1691.

Digitized by Google

ciatio. *a*) Ex peregrinatione aut militia domum reuerſi, et ſcholas et forum conatu maiori frequentare pergebant, cauſſas ſuſcipiebant, et eloquentiam, quoad fieri potuit, ad ſummum euehere contendebant. Quis non Ciceronem admiratur linguae ſuae et vniuerſae eloquentiae flagrantiſſimum? Ille non veritus eſt, literas humaniores, quarum hodie ex ſtudioſa iuuentute pudet pigetque plurimos, tractare prolixius, et poſt operam forenſem, etiam cum fungeretur praetura, Antonii Gniphonis grammatici ſcholam frequentare. *b*)

§. XXIV.

In foro verſabantur maximi quique oratores, de quibus agemus poſtea, et inſtitutum publicum laudabimus. Principes ipſi poteſtatem ſuam habitis in Senatu orationibus euoluebant: quibus aut hortabantur, aut monebant, aut obiurgabant ſenatum, ſententiamque ſuam proponebant in ſuſcepta rerum deliberatione ad condendum ſenatus conſultum: quod cumprimis hoc tempore prorſus non diſcrepare videbatur a ſententia principis, auctoritate Domus Auguſtae ſtabilita: vnde vulgo ſenatus conſulta et principis orationes promiſcue ſumuntur. *c*) Has orationes per ſeſe recitabant principes, bonis artibus litteriſque magis cultis: quorum ſeries ab Auguſto ad Vitellium fuit: *d*) per Quaeſtores vero ſequi-

a) Vid. LIPSIVS in admirandis veter. Romae. Confer. PLVTARCHVS quaeſt. Rom. oper. p. 625. *b*) Vid. SVETONIVS de illuſtr. gramm. c. 7. MACROBIVS Saturn. l. 3. c. 12. *c*) Vid. BRISSONIVS antiq. l. 1. cap. 16. GRAVINA orig. iuris ciuilis l. 1. c. 115. p. m. 83. confer. BOECLERVS de orationibus Principum, diſſert. tom. 2. p. 1120. ſeqq. *d*) AVRELIVS VICTOR de Caeſaribus cap. 8. de Vitellio: *Hi omnes*, inquit, *quos paucis attigi, praecipueque Caeſarum gens, adeo litteris culti atque eloquentia fuere, vt ni cunctis vitiis (absque Auguſto) nimii forent, tantae artes profecto texiſſent modica flagitia.*

oris ſeculi Principes recitari curarunt: quamuis etiam optimi Principes aliquando, infirmatis faucibus, praeconis voce ad populum concionati fuerint, quod de Auguſto SVETONIVS *e*) memoriae prodidit. Idem *neque in ſenatu, neque apud populum, neque apud milites locutus eſt unquam, niſi meditata et compoſita oratione: quamuis non deficeret ad ſubita extemporali facultate. Ac ne periculum memoriae adiret, aut in ediſcendo tempus abſumeret, inſtituit recitare omnia. Sermones quoque cum ſingulis - - - grauiores, non niſi inſcriptis, et e libello habebat: ne plus minusue loqueretur ex tempore.* *f*) Nihil dicam de cauſſarum patronis, quos continuo mira facundia pro roſtris ſtetiſſe, et maxima vi oris et eloquentia clientes ſuos defendiſſe, vulgo notum eſt. Dixi clientes ſuos defendiſſe: non enim accuſantis, ſed accuſati cauſſam plerique agebant, *g*) quem veluti paterna cura et ſollicitudine complecti et ipſi omnia praeſtare videbantur, quae filiis ſuis patres praeſtare debent. *h*) Ita TVLLIVS ipſe *i*) qui ſui ſimilem vidit nunquam, ad Coelium ſcribit: *Noui ego vos magnos patronos: hominem occidat oportet, qui veſtra opera vti velit.* ASCONIVS *k*) hanc inter patronos et aduocatos aliosque fori miniſtros differentiam ſtatuit: *Qui defendit alterum in iudicio, aut PATRONVS dicitur, ſi orator eſt; aut ADVOCATVS, ſi aut ius ſuggerit, aut praeſentiam ſuam commodat amico; aut PROCVRATOR, ſi abſentis negotium ſuſcipit; aut*

---

e) In eius vita c. 84. extr. *f*) Ibid. confer. DION. lib. 53. init. *g*) Nec obſtat locus CICERONIS de offic. l. 2. c. 14. ſupra allegatus: dum enim accuſabant, cauſſarum patroni non erant, vt vt laudem aliquomodo ſibi ex illa actione promeruerint. *h*) Inſtitutum Romuli de Patronis et clientibus vide apud PLVTARCHVM in Romulo. et DIONYS. HALIC. antiq. Rom. l. 2. c. 2. *i*) Ad famil. l. 2. epiſt. 14. *k*) In Diuinat. Ciceronis.

aut COGNITOR, *ſi praeſentis cauſſam nouit, et ſic tuetur, vt ſuam.* Cum ergo illi in foro quaeſtionem agebant, vel cauſſam quamcunque ſuo et clientum nomine dicebant: nemo poterat impune aliquid non ſatis rectum proponere, quo minus et iudex reſpuere illud, vel aduerſarius exprobrare conaretur. Atque etiam populus illis adſtabat; et inter ciues erant non pauci delicatiſſimarum aurium, qui aſſenſum oratori vel publice dabant, vel orationem ſibi diſplicere teſtabantur. *l)* Hoc ſtimulus erat omnibus, qui in publicum prodire vel pro roſtris dicere inſtituebant, vt appoſite ad rem, et elegantiſſime, et apte ad perſuadendum, et poſt longam meditationem, loquerentur. Inter omnes cauſſas illuſtrior et ſplendidior illa erat, quae reip. aut patrocinii, aut paternarum inimicitiarum gratia ſuſcipiebatur. In illis enim ſaepe res ſuas diuinitus tractabant, et magna vis animi, magnus impetus atque dolor vultu, geſtu, digito ſignificabatur. Liberum erat flumen optimorum et grauium verborum. Sententiae erant integrae, verae, nouae, ſine pigmentis et fuco puerili: vt iudicem non ſolum incendere, ſed ipſi etiam ardere viderentur. Ne quid autem fruſtra dicatur, aut obliuione, quae omnibus communis eſt, obruatur forſan inopinata: ipſi oratores non ſolum ſcripto conſignare ſolebant omnia; verum etiam publice cauſſas, actiones, decreta, et ſi quid notatu dignum erat, maxima cura in diariis ſiue diurnis commentariis, ad conſeruandam memoriam, exhibere neceſſario debebant. Exempli gratia damus egregium tabularum diurnarum fragmentum:

l) Auctor de cauſſis corruptae eloquentiae cap. 34.

Digitized by Google

AD V. KAL. SEPTEMB.

M. TVLLIVS. CAVSAM. DIXIT. PRO. CORN. SYLLA. APVD. IVDICES. DE. CONIVRATIONE. ACCVSANTE. TORQVATO. FILIO. QVINQVE. SENTENTIIS. OBTINVIT. TRIB. AERAR. CONDEMNARVNT.

FASCES. PENES. SYLLANVM.

TRIB. PL. INTERCESSERVNT. SC. DE. TRIBVTIS. LAODICIAE. VT. DARENT. PRAEDES.

PRAETOR. VRB. FILIAM. EO. DIE. DARET. NVPTVM. EDICTO. MONVIT. SE. IVS. NON. DICTVRVM. ET. VADIMONIA. OMNIA. IN. DIEM. QVINTVM. DISTVLIT.

TESTAMENTVM. MELIONIS. ALLATVM. MYCENIS. PRAETOR. PEREGRINVS. RESCIDIT. Q... EXPRESSVM. ERAT. AB. EO. TORMENTIS.

C. CAESAR. IN. HISPANIAM. VLTERIOREM. EX. PRAETVRA. PROFICISCITVR. DIV. PRIVS. RETARDATVS. A. CREDITORIBVS.

Q. TERTINIO. PRAETORI. IVS DICENTI. NVNCIVS. ALLATVS. EST. DE. MORTE. FILII. FICTVS. AB. AMICIS. COPPONII. REI. DE. VENEFICIO. VT. CONCILIVM. DIMITTERET. ILLE. PERTVRBATVS. DOMVM. SE. RECIPIEBAT. SED. RE. COMPERTA. PERSEVERAVIT. IN. INQVIRENDO.

C. ACTIVS. COPPONIVM. VENEFICII. POSTVLAVIT.

DIVINATIO. ACTIVM. INTER. ET. SEPASIVM. MINOREM. DE. ACCVSANDO. ACTIVS. OBTINVIT. Q... SEPASII. VXOR. SOROR. ESSET. NVRVS. COPPONII.

RIXA.

RIXA. AD. FORNICEM. FABII. ET. CAEDES. GLADIATORVM. DVORVM. EX. LVDO. CVRIONIS.

AD. IIII. KAL. SEPT.

FVNVS. METELLAE. PIAE. VESTAE. VIRGINIS. ILLATAE. SEPVLCHRO. SVORVM. MAIORVM. VIA. AVRELIA.

CENSORES. LOCAVERVNT. REFICIENDVM. TECTVM. AII. LOQVENTIS H. S. XXV.

Q. HORTENSIVS. SVB. VESPERVM. ORATIONEM. HABVIT. PRO. ROSTRIS. DE. CENSVRA. ET. BELLO. ALLOBROCVM.

RELIQVIAE. CONIVRATORVM. CVM. L. SERGIO. TVMVLTVANTVR. IN. HETRVRIA.

CAVPO. AD. TRES. TABERNAS. OCCISVS. A. THRACIBVS. EBRIIS. IN. VIA. PVBLICA.

§. XXV.

Neque ſummi illi viri, quibus ſuae linguae nitor curae cordique fuit, rem negligenter tractabant, verum maxima et laudabili vtebantur aſſiduitate, ſcribendo, legendo et commentando quotidie; et omnia, quae potuerunt comprehendere memoria, verbis aliis, quam quae legerant, vel audierant, exprimendo lectiſſimis. Ita Hortenſius ille, qui nullum patiebatur eſſe diem, quin aut in foro diceret, aut meditaretur extra forum, ſaepius vero vtrumque eodem die faciebat; genus dicendi minime vulgare attulit: in verborum ſplendore fuit elegans, compoſitione aptus, facultate copioſus: eaque cum ſummo ingenio, tum exercitationibus maximis conſecutus eſt. *m*) Quod etiam in vertendis Graecorum orationibus in vernaculam ſuam praeſtabant: vt optimis vbique

m) Vid. CICERO in Bruto, ſeu de claris oratoribus comm. c. 88.

que ſententiis, optimis item verbis vterentur, et omnia, quae voluere, apta et maxime idonea dicendi ratione proſequerentur. Id quidem facere ab adoleſcentia inſtituebant: quod exemplum CICERONIS nos edocet. Ille, vt ipſe ait *n*) Stoico Diodoro, et eius artibus variis atque multis ita erat deditus, vt ab exercitationibus oratoriis nullus dies vacuus eſſet. Commentabatur declamitans ſaepe cum M. Piſone, et cum Q. Pompeio, aut cum aliquo quotidie. Paulo ante: *o) Diſerti autem Q. Varius, C. Carbo, Cn. Pomponius. Et ii quidem habitabant in roſtris. C. etiam Iulius, aedilis curulis, quotidie fere accuratas conciones habebat. Sed me cupidiſſimum audiendi primus dolor percuſſit, Cotta quum eſt expulſus. Reliquos frequenter audiens acerrimo ſtudio tenebar, quotidieque et ſcribens, et legens, et commentans, oratoriis tantum exercitationibus contentus non eram.* Alibi *p*) *Quis tandem*, inquit, *me reprehendat? aut quis mihi iure ſucceuſeat? ſi quantum ceteris ad res ſuas obeundas, quantum ad feſtos dies ludorum celebrandos, quantum ad alias voluptates, et ad ipſam requiem animi ac corporis, conceditur temporis; quantum alii tribuunt tempeſtiuis conuiuiis, quantum denique aleae, quantum pilae: tantum mihi egomet ad haec ſtudia* elegantiora *recolenda ſumſero.* Et quum idem ille in diſputationibus de oratore iudicium ſuum coniunxerit cum Craſſi auctoritate: *q*) dubium non eſt, quin ipſe ſuas exercitationes ſub Craſſi perſona deſcripſerit, vbi *r*) *in quotidianis*, inquit, *cogitationibus equidem mihi adoleſcentulus proponere ſolebam illam exercitationem maxime, vt aut verſibus propoſitis quam maxime grauibus, aut oratione aliqua lecta ad eum finem, quem memoria poſſem compre-*

n) In Bruto cap. 90. Idem de Auguſto memoriae prodidit SVETONIVS cap. 84. *o*) cap. 89. *p*) Orat. pro Archia. c. 6. *q*) FABIVS inſt. orat. l. 10. c. 3. *r*) De oratore lib. 1. c. 34.

prehendere, eam rem ipſam, quam legiſſem, verbis aliis, quam maxime poſſem lectis, pronunciarem. Poſtea mihi placuit, eoque ſum vſus adoleſcens, vt ſummorum oratorum Graecas orationes explicarem: quibus lectis hoc aſſequebar, vt cum ea, quae legerem Graece, latine redderem, non ſolum optimis verbis vterer, et tamen vſitatis; ſed etiam exprimerem quaedam verba imitando, quae noua noſtris eſſent, dummodo eſſent idonea. Idem de Caeſare profitetur *s*) vt omnium fere oratorum Latine loqueretur optime, non ſolum domeſtica conſuetudine, verum etiam, vt eſſet perfecta illa bene loquendi laus, multis literis, et iis quidem reconditis et exquiſitis, ſummoque ſtudio et diligentia conſecutum fuiſſe. De Publio Scipione vero *t*) notauit, dicere ſolitum, nunquam ſe minus otioſum eſſe, quam cum otioſus, nec minus ſolum, quam cum ſolus eſſet. Vox certe magnifica tantoque viro digna, quae declarat, illum et in otio de negotiis cogitare, et in ſolitudine ſecum loqui ſolitum, vt ceſſaret nunquam, aut interdum colloquio alterius egeret. Neque ſolum veteres Romani ſedulam interdiu nauare ſolebant operam ingenuis artibus ſcientiisque; verum etiam lucubrationes habuere ſuas, quae maxime ad literarum ſtudia colenda ſuſtinebantur. Cicero contractioribus, vel aeſtiuis noctibus aeque lucubrauit aliquid, ac maioribus hibernisue vigiliis agere ſolitus erat. *v*) LVCRETIVS *x*) Memmium ita alloquitur:

Sed tua me virtus tamen, et ſperata voluptas
Suauis amicitiae quemuis efferre laborem
Suadet, et inducit noctes vigilare ſerenas.

De ſemetipſo inter alia ſcribit SENECA: *y*) *Nullus mihi per otium dies exit: partes noctium ſtudiis vindico: non vaco ſomno*

s) In Bruto cap. 72. *t*) De officiis l. 3, c. 1. *v*) CICERO paradox. prooem. *x*) Lib. 1. v. 141. *y*) Epiſt. 8.

mno, ſed ſuccumbo, et oculos vigilia fatigatos, cadenteſque in opere detineo. Plinivs iunior z) rogatus a Marco, poſtquam libros auunculi, quos compoſuerat, indicauerit, etiam de cauſſa tot voluminum, hoc eſt, ſtupendo labore et induſtria ſcribit: *erat acre ingenium, incredibile ſtudium, ſumma vigilantia. Lucubrare vulcanalibus incipiebat, non auſpicandi cauſſa, ſed ſtudendi, ſtatim nocte multa: hieme vero, ab hora ſeptima, vel quum tardiſſime, octaua, ſaepe ſexta. Erat ſane ſomni parciſſimi: nonnunquam etiam inter ſtudia inſtantis et deſerentis.* Martialis: a)

Inde lego Phoebumque cio, Muſamque laceſſo:
Dum paruus lychnus modicum conſumat oliui.
Haec dat nocturnis nox lucubrata Camoenis.

Ideoque lecticulas lucubratorias habuere fixas in muſeis, in quibus recumbentes lectioni, meditationi ac ſcriptioni vacabant. Vnde rurſum Plinivs: b) *Caius quidem Fannius quod accidit, multo ante praeſenſit. Viſus eſt ſibi per nocturnam quietem iacere in lectulo ſuo compoſitus in habitum ſtudentis, habere ante ſe ſcrinium ita, vt ſolebat. Mox imaginatus eſt, veniſſe Neronem, in toro reſediſſe: promſiſſe primum librum, quem de ſceleribus eius ediderat, eumque ad extremum reuoluiſſe; idem in ſecundo ac tertio feciſſe, tunc abiiſſe.* In eiusmodi lucubratoriam lecticulam Auguſtus, teſte Svetonio c) a caena ſe recipere conſueuit. Eandemque videtur innuere Ovidivs d) vbi inter alia:

Non haec, inquit, *in noſtris, vt quondam ſcribimus hortis,*
Nec conſuete meum lectule corpus habes.

Ex his lucubrationibus ſuis Graeci et Romani noctuam pro ſapi-

z) Lib. 3. epiſt. 5. a) Lib. 4. epigr. 90. b) Lib. 5. epiſt. 5. c) Auguſt. cap. 78. d) Triſt. l. 1. eleg. 10. v. 37.

ſapientiae et prudentiae ſymbolo habuerunt. *e)* Tanti autem Cicero *f)* bene dicendi artem faciebat, in eamque laborabat vſque adeo, vt cauſſam apud centumviros dicturus, inſtante die, Erotem ſeruum, qui nunciarat iudicium in poſterum diem reiectum eſſe, manumiſerit.

§. XXVI.

Si iamtum Aemilii Scauri aetate, qui Mentim aedem circa bellum Cimbricum Romae ſtatuit, influxerunt in vrbem elegantiores literae, praeceptores et facundia: *g)* profecto maximus hoc tempore fuit Doctorum prouentus; ſummus itidem doctrinae et artium vbique fauor. Viri in eminentia quotquot fuere conſtituti, habebant ex ipſis ſeruis vna plurimos, qui legerent ad voluptatem vſque ſibi. Hos recitatores ſuos *librarios*, vel more Graecorum ἀναγνώςας, *lectores*, vocarunt, illius aeui quoque mulierculis *h)* noto et communi vocabulo. Ipſi homines eruditi legebant ſibi multum, et legendo fatigati, vel oculis iam laſſis, et quaſi obfuſcatis, luminibusque retuſis, ſuos adhibebant anagnoſtas, qui recitare debebant in prandiis, in caenis, in vmbris, in ambulationibus, antequam cubitu ſurgerent. Fuit aliud anagnoſtarum genus, quorum officium erat non ſolum recitare, verum etiam reſpondere de literis difficilioribus ac reconditis, vbi patres familias propter nimiam obſcuritatem haerebant. Nam et ipſi ſerui plerique, quos Romani ad eum

vſum

e) Pl. confer. MVRETVS var. lect. l. 18. c. 13. SPANHEMIVS diſſert. de numiſm. praeſt. 3. CELLARIVS diſſert. academ. p. 399. WALCHIVS parerg. acad. p. 93. ſeqq. *f)* Teſte PLVTARCHO apophthegm. oper. p. 194. *g)* Vid. PLVTARCHVS de Romanorum fortuna. oper. p. 233. et 235. *h)* Ita SERVIVS ad Virgil. Aeneid. l. 12. v. 159. *lectricis* mentionem facit.

vſum habebant, *i*) doctiſſimi fuerunt et literarum doctrinis et bonis artibus inſtituti, quibus proinde, etiam donata libertate, plurimum vtebantur: *k*) vt Tullius Tyrone ſuo, quem canona ſcriptorum ſuorum non verebatur nominare. Hunc morem innuit CORNELIVS NEPOS, *l*) vbi de familia T. Pomp. Attici teſtatur, pueros habuiſſe literatiſſimos, anagnoſtas optimos, et plurimos librarios, vt ne pediſequus quidem quiſquam eſſet, qui non vtrumque horum pulchre facere poſſet. Paulo poſt: *m*) *nemo*, inquit, *in conuiuio eius aliud acroama audiuit, quam anagnoſten: quod nos quidem iucundiſſimum arbitramur. Neque vnquam ſine aliqua lectione apud eum caenatum eſt: vt non minus animo, quam ventre conuiuae delectarentur.* Ex quo loco pulcherrimi huius inſtituti ratio abunde patet. Id quamuis praecipue inter caenam obtinuerit, *n*) nullo tamen tempore non eam conſuetudinem ſeruabant per otium, etiam noctu quum expergefacti non poſſent ſomnum ſtatim recuperare. Ita SVETONIVS *o*) de Augusto: *A caena lucubratoriam ſe in lecticulam recipiebat. Ibi donec reſidua diurni actus, aut omnia, aut ex maxima parte,* con-

i) CICERO ad famil. l. 5. epiſt. 9. *Dicitur mihi tuus ſeruus anagnoſtes fugitiuus cum Vardaeis eſſe.* Ad Attic. l. 1. epiſt. 7. *Eram in ſcribendo conturbatior. Nam puer feſtiuus anagnoſtes noſter Soſitheus deceſſerat, meque plus, quam ſerui mors debere videbatur, commonerat.* *k*) Sic Lemni cuiusdam fit mentio in vetuſta inſcriptione: TI. CLAVDIVS. LEMNVS. DIVI. CLAVDII. AVGVSTI. LIB. A. STVDIIS. *l*) Attic. cap. 13. *m*) Cap. 14. *n*) Confer. PLINIVS l. 3. epiſt. 5. l. 1. ep. 15. l. 9. ep. 36. A. GELLIVS noct. Attic. l. 2. c. 22. l. 3. c. 19. l. 19. c. 7. MARTIALIS l. 5. epigr. 79.

Parva eſt caenula, quis poteſt negare?
Sed finges nihil, audiesue fictum,
Et vultu placidus tuo recumbes;
Nec craſſum dominus leget volumen.

o) Vita Auguſti cap. 78.

Digitized by Google

conficeret, ad multam noctem permanebat. In lectum inde transgreſſus, non amplius, cum plurimum, quam ſeptem horas dormiebat: ac ne eas quidem continuas, ſed vt in illo temporis ſpatio ter aut quater expergiſceretur. Si interruptum ſomnum recuperare, vt euenit, non poſſet, lectoribus aut fabulatoribus arceſſitis, reſumebat, producebatque vltra primam ſaepe lucem.

§. XXVII.

Cum lectione vt plurimum excerpendi ſtudium coniunctum erat, quo maxime notatu digna inter legendum obſeruabant, et libro quodam peculiari *p*) velut in compendio deſcripta, ad ſuos vſus reſeruabant. Atque etiam conſuetudinem iſtam poſterior aetas vt maxime neceſſariam, et proficuam ad artes omnes, tenebat. Iunior PLINIVS *q*) de auunculo ſuo: *nihil vnquam legit, quod non excerperet; dicere etiam ſolebat, nullum eſſe librum tam malum, vt non aliqua parte prodeſſet.* Idem de ſemet ipſo: *r*) *poſco librum Titi Liuii, et quaſi per otium lego, atque etiam, vt coeperam, excerpo.* SENECA: *s*) *Cum multa percurreris, excerpe.* Alibi: *t*) *Cum Ciceronis libros de republica prehendit hinc philologus aliquis, hinc grammaticus, hinc philoſophiae deditus: alius alio curam ſuam mittit. Philoſophus admiratur, contra iuſtitiam dici tam multa potuiſſe. Cum ad hanc eandem lectionem philologus acceſſit, hoc ſubnotat, duos Romanos Reges eſſe, quorum alter patrem non habet, alter matrem &c. Eoſdem libros cum grammaticus explicuit, primum Reapſe dici a Cicerone, i.e. re ipſa,*

p) Illi excerptorum libri a Graecis *ὑπομνήματα*, ab Latinis *commentarii* dicebantur & *ſummaria*, quae deterior aetas *breuiaria* vocabant. Ita SENECA epiſt. 39. pr. *vide ne plus profectura ſit oratio ordinaria, quam haec, quae nunc vulgo Breuiarium dicitur, olim cum Latine loqueremur, Summarium vocabatur.* *q*) Lib. 3. epiſt. 5. confer. A. GELLIVS noct. Attic. l. 9. c. 4. *r*) Lib. 6. epiſt. 20. *s*) Epiſt. 2. *t*) Epiſt. 108.

ſa, *in commentarium referat*. Alia in ipſis libris ſubnotare ſolebant certis ſignis: ex. gr. L. litera ſimplici, et geminata LL. qua *locum laudabilem* innuebant; L. SENT. *laudabilem ſententiam*. Graeci notam habebant X. quae ſignificabat χρηστὸν ſiue χρήσιμον. *v*) Id muneris quoque Romani libertis dabant, qui, vt ſaepius monui, aliquando viri literatiſſimi fuerunt. Ita legitur ſimulacro Fortunae Barbatae Romano *Excerptoris* nomen adſcriptum: L. AVRELIVS MARCELLIANVS. AVG. LIBERTVS. EXCERPTOR. V. S. L. M. *x*) Deinde, quicquid florum inſtar congeſtum fuit, digerebant, atque adeo ſuum faciebant vſu et meditatione: ſine qua verum cultum orationis videre, aut dulces Muſarum fructus deguſtare nemo poteſt. Hinc SENECA: *y*) *Apes debemus imitari, et quaecunque ex diuerſa lectione congeſſimus, ſeparare. Melius enim diſtincta ſeruantur. Deinde adhibita ingenii noſtri cura et facultate, in vnum ſaporem varia illa libamenta confundere: vt etiam ſi apparuerit, vnde ſumtum ſit, aliud tamen eſſe, quam vnde ſumtum eſt, appareat. Quod in corpore noſtro videmus, ſine vlla opera noſtra, facere naturam.*

§. XXVIII.

Frequentes Romani conueniebant, diſputandi gratia, *z*) ſuaque inuicem animi meditata orationibus doctis communi-

v) De veterum criticorum notis, quibus ſcriptorum loca inſigniebant, ſiue probanda, ſiue improbanda, conferri merentur SCALIGER ad Varronem de R. R. CASAVBONVS ad Diog. Laertium, et WOWERIVS de polymathia c. 13. Huc reſpicit etiam SENECA epiſt. 6. *Mittam itaque ipſos tibi libros: ac, ne multum operae impendas, dum paſſim profutura ſectaris, imponam notas, vt ad ea ipſa protinus, quae probo et miror, accedas.* CICERO in Piſon. c. 30. *Apponere notam ad malum verſum.* *x*) Vid. SPON. miſcel. erud. antiq. p. 104. *y*) Epiſt. 84. *z*) De diſputationibus veterum vid. Celeberr. WALCHII parerga academica pag. 88. ſeqq.

municandi: quoad vigorem linguae et omnium ſcientiarum incrementa promoueri poſſe videbant. Ita ludorum diebus, quos a Nonis ad Idus Septembris fuiſſe ex veteri Romanorum Kalendario nouimus, C. Cotta et P. Sulpicius et Craſſus ſe contulerunt in Tuſculanum: quo cum primum Q. Scaeuola et M. Antonius, deinde Q. Catulus et C. Iulius Caeſar veniſſent, habita fuit *de Oratore* diſputatio, quam poſtea Cicero tribus libris deſcripſit: atque ipſe *a*) confeſſus eſt, puerum ſe tum temporis fuiſſe. Quintus Mutius Augur Scaevola Laelii de amicitia ſermonem paucis poſt Africani mortem diebus habitum, Aquilio et Tuditano Coſſ. Ciceroni expoſuit, qui et multa alia, prudenter ab eo diſputata, memoriae mandauit. *b*) Atque etiam *diſputationes fori* tum temporis obtinebant. Si qua iuris ambiguitas eſſet, prudentes conueniebant viri, et eam variis contentionibus vexatam occultamue legum ſententiam diſputando protrahebant, ſenſumque a maiori parte comprobatum populo tradebant. *c*) Primo quidem diſputationes illae viua tantum voce tractabantur, atque ius creabant, quod ſine ſcriptis venire dicitur: poſtea vero ſcriptis earum ſententiae fuerunt mandatae. Hinc Vlpianus, Venuleius, Triphonius, alii iurisconſulti, libros diſputationum inſcripſerunt: quibus nihil contineri potuit, niſi ius illatum a prudentibus illud, atque hominum conſenſu moribusque receptum. *d*)

§. XXIX.

Propter ſtudia Romani aliquando ex vrbe in villas ſecedebant: vt ibi negotiis publicis et curis vacuus eſſet animus;

 e) li-

a) Ad Attic. lib. 13. *b*) CICERO de amicitia cap. 1. *c*) POMPONIVS l. 2. §. 5. de orig. iuris. *d*) Vid. GRAVINA, originum iuris ciuilis l. 1. c. 41. p. m. 44.

e) literae vero maiori colerentur ſuauitate, et cum literis gloria ſermonis patrii magis magisque promoueretur. Auguſtus in receſſibus praecipue maritima inſulasque Campaniae, aut proxima vrbi oppida frequentauit. *f*) Cicero ſic complexus eſt literarium iſtud otium, vt ab eo diuelli non potuerit: continuo libris ſe delectauit, quorum Antii feſtiua copia ipſi fuerat. *g*) Duo gymnaſia in Tuſculano habuit, quorum alteri nomen *Lycei*, alteri *Academiae* indidit. Ita enim ipſe, *h*) *quibus de rebus*, inquit, *et alias ſaepe et paullo accuratius nuper quum eſſem cum Q. fratre in Tuſculano, diſputatum eſt. Nam cum ambulandi cauſſa in Lyceum veniſſemus (id enim ſuperiori gymnaſio nomen eſt) perlegi, ille inquit, tuum paullo ante tertium de natura Deorum &c.* Alibi: *i*) *his autem libris expoſita ſunt ea, quae a nobis cum familiaribus noſtris in Tuſculano erant diſputata.* De Academia: *k*) *Quum audiuiſſem Antiochum, Brute, vt ſolebat cum M. Piſone diſputantem in eo gymnaſio, quod Ptolemaeum vocatur, vnaque nobiſcum Q. Frater et T. Pomponius, et L. Cicero, frater noſter cognatione patruelis, amore germanus, conſtituimus inter nos, vt ambulationem pomeridianam conficeremus in Academia, maxime quod is locus ab omni turba id temporis vacuus eſſet.* *l*) Ex omnibus, quae proſtant ſine numero, receſſus literarii exemplis patet, in illis Romanorum eruditiſſimos multum lectitare, multum audire, multum diſputare, multumque ſcribere ſolitos fuiſſe.

§. XXX.

e) Vid. GEORG. GREENII de ruſticatione et villis veterum commentariolus, qui prodiit Lipſiae 1667. 12. *f*) SVETONIVS Auguſt. c. 72. *g*) CICERO ad Attic. l. 2. epiſt. 6. *h*) Diuinat. l. 1. c. 5. *i*) Tuſculan. quaeſt. l. 3. c. 3. *k*) de finibus l. 5. c. 1. *l*) Plur. vid. CICERO ad Attic. l. 1. epiſt. 6. et 7. de orat. l. 1. c. 7. de finib. l. 3. c. 2.

§. XXX.

Si quando ſcripta ſua iuris publici faciebant, ne quid in caſtitatem atque ornatum linguae ſuae impingerent, maximo ſtudio atque labore non ſolum ſua ingenii monumenta elaborabant; verum etiam bene et accurate elaborata recitabant, recitata poliebant atque lambebant denuo: quoad opus ſuum omnibus numeris abſolutum perfectumque ſibi dare perſuaſerint merito. *m*) Hinc multum temporis inſumtum eſt vel pangendo verſui, vel ſcribendae hiſtoriae, vel rebus aliis ſtilo Romano pertractandis. De Virgilio conſtat omnibus, quomodo verſus conſcripſerit ſuos. *n*) Ille quos multo mane dederat larga manu, per totum diem omnes lambens relambensque ad pauciſſimos redigere ſolitus eſt: quoad prodierit cum reliquis Aeneidum poema epicum admirabile doctis omnibus, quo nullum Latio clarius extat opus. Hoc emendandi negotium FABIVS *o*) inde putat ſtudiorum par-

m) Vid. CICERO ad Attic. l. 16. epiſt. 5. *Mearum epiſtolarum nulla eſt συναγωγὴ. Sed habet Tiro inſtar ſeptuaginta. Equidem ſunt a te quaedam ſumendae. Eas ego oportet perſpiciam, corrigam, tum denique edentur.* Confer PLINIVS lib. 5. epiſt. 11. lib. 7. epiſt. 17. *n*) DONATVS atque SERVIVS in Virgilii vita ſcriptum reliquerunt, eum in eclogas tribus, bucolica ſeptem, Aeneida duodecim, atque ita plus viginti annis in ſua, quae verſamus, ſcripta, nec tamen ſatis, vt cupiebat, exquiſite abſoluta, et cumulate perfecta, operam contuliſſe. Vnde HORATIVS de arte poetica:

Nec virtute foret clariſque potentius armis,
Quam lingua, Latium: ſi non offenderet vnum
Quemque poetarum limae labor, et mora. - - -

o) Inſtit. orat. lib. 10. c. 9. confer. PLINIVS. l. 8. epiſt. 4. in fine. HORATIVS Serm. lib. 1. ſatyr. 10.

Saepe ſtilum vertas, iterum, quae digna legi ſint
Scripturus: neque te vt miretur turba, labores,
Contentus paucis lectoribus. - - - -

partem vtiliſſimam eſſe. Neque ſine cauſſa creditum eſt, ſtilum non minus agere, cum delet. Quamuis idem *p*) velit, vt opus poliat lima, non exterat; ac proinde nimiam perſtringat quorundam in emendando induſtriam. De recitationibus veterum, quae cum primis hoc tempore obtinebant, ſatis alibi *q*) iamiam a nobis ſcriptum eſt: quod repetere hic prorſus ſuperuacaneum fore cenſemus. Atque etiam ſua, priusquam ederent, ſcripta ad amicos et eruditos miſerunt, qui monerent illos de erroribus, vt limam experiantur vltimam. Satis hoc patet ex CICERONIS *r*) ad Tironem epiſtola, cui, vt vt leuia, ob oculos errata ſua poſuit. Et ipſe Tullius Atticum voluit eſſe Ariſtarchum orationum ſuarum, quas eum in finem continuo ad illum miſit. Inde, *quae laudas*, inquit, *s*) *ex orationibus (mihi crede) valde mihi placebant, ſed non audebam antea dicere. Nunc vero, quod a te probata ſunt, multa mihi ἀττικώτερα videntur.* Ita PLINIVS *t*) quoque Arriano cuidam librum exhibuit, rogitans ex conſuetudine ſua, vt illum legat emendetque: Vbi tandem ſubiicit haec verba: *quo magis intendam limam tuam, confitebor et ipſum me et contubernales ab editione non abhorrere, ſi modo tu fortaſſe errori noſtro album calculum adieceris.* Alia epiſtola *v*) petit emendationem orationis alicuius, vbi inter cetera haec ſunt notatu maxime digna: *Memini quidem, te iam quaedam annotaſſe, ſed generaliter: ideo nunc rogo, vt non tantum vniuerſitati eius attendas, verum etiam particulas, qua ſoles, lima perſequaris. Erit enim et poſt emendationem libe-*

p) Lib. 10. cap. 4. confer. PLIN. lib. 5. epiſt. 11. et lib. 9. epiſt. 35. *q*) De adoleſcentia L.L. cap. 1. §. 5. Confer. Celeb. WALCHIVS parergis academ. p. 81. ſeqq. Auctores ab eo p. 87. ſeq. citati. *r*) Ad famil. lib. 16. epiſt. 17. *s*) Ad Attic. l. 1. epiſt. 8. *t*) Lib. 1. epiſt. 2. *v*) Lib. 1. epiſt. 8.

liberum nobis vel publicare, vel continere &c. Id vero magis alicui mirum videretur, etiam tum veteres Romanos, cum iam editae atque deſcriptae eſſent elaborationes, animaduerſos ab aliis errores, vel per ſe poſtea, vel amicorum opera, emendauiſſe, aut emolliuiſſe. Quod Ciceronem ipſum, et principes in re litteraria viros feciſſe, iamdudum plurimi demonſtratum iuere. *x*) Quam faſtidioſe autem aetas illa dictionem et ſcripta iudicauerit, non ſolum ex multis eiusdem epiſtolis, *y*) verum etiam clarius paulo ex elegantiſſimis illius de claris oratoribus, itemque de oratore, atque aliis commentationibus abunde patet: quibuscum HORATII aureus de arte poetica liber conferri meretur. Tanto excellentiores plauſus et acclamationes praeclara doctorum monumenta ſequebantur, maxime in recitationibus, cum non ſolum adoleſcentes, verum etiam adultiores viri, ſcripta ſua publice vel priuatim praelegebant, vt auditorum iudicia ex ſignis cognoſcerent. Tum enim praeſentes et curioſe quaelibet lectoris verba auſcultantes modo per vocem, modo per geſtus, acclamare ac plauſus edere ſolebant. Acclamandi formulae etant: BENE. PRAECLARE. BELLE. FESTIVE. NON POTEST MELIVS. RECTE. PVLCHRE. EVGE. *z*)

H Prae-

x) Vid. CICERO ad Attic. l. 13. epiſt. 21. Conf. G. I. VOSSIVS de recitatione veterum cap. 6. IACOB. PERIZON. animaduerſ. hiſt. pag. 7. CASPAR. SAGITTARIVS de imit. Ciceronis p. 192. ſeq. *y*) CICERO ad famil. l. 16. epiſt. 17. ad Attic. lib. 2. epiſt. 4. 6. 12. lib. 13. epiſt. 21. aliis. *z*) CICERO de oratore l. 3. c. 26. *Quare BENE et PRAECLARE quamuis nobis ſaepe dicatur, BELLE et FESTIVE nimium ſaepe nolo. Quanquam illa ipſa exclamatio, NON POTEST MELIVS, ſit velim crebra &c.* PERSIVS Satyr. 1. v. 48.

Sed recti finemque extremumque eſſe recuſo
EVGE tuum et BELLE, - - -

Praeterea multis titulis recitantes proſequebantur, eosque ad coelum euehebant, non tantum in vna ſermonis parte, ſed in omnibus fere, praeſertim in tranſitionibus et in fine. Hinc FAB. QVINTILIANVS: *a*) *Quae quidem virtus negligitur a pluribus, qui ad clamorem diſpoſitae vel etiam forte circumfuſae multitudinis compoſiti non ferunt illud intentionis ſignum, nec ſibi diſerti videntur, niſi omnia tumultu ac vociferatione concuſſerint.* A. GELLIVS: *b*) *Quem quum iam inter ingentes clamores legentem inueniſſemus.* Et AVR. VICTOR: *c*) *Ob cuius laudem ingeminatis ad vocis vſque defectum plauſibus acclamatum eſt.* Quamuis ego negare nolim, in eo acclamandi ritu magnum abuſum fuiſſe, et eruditiſſimos, vel ex hac ratione, ſcripta ſua publice recitare noluiſſe; eo ſaltem clamore et plauſibus minime delectatos fuiſſe. *d*)

§. XXXI.

Atque etiam ſuapte natura ſatis commodus et facilis fuit Romanorum ſermo, qui vſque adeo poſſet ornari, flectique ad numeroſam inuerſionem ſententiarum, et magnificis translationibus totidemque verborum luminibus illuſtrari. Varietas accentuum, permixtio vocalium atque conſonantium literarum, tantam lepori anſam praebent in ea lingua, vt, ſi voces apte componantur, ac intermiſceantur recte, nihil in aures numeroſius incidat; nihil in animum iucundius illabatur. Habet miram gratamque terminationis varietatem, qua ſingularum vocum certas et praecipuas affectiones, ſeu caſus, quos vocant in nominibus, perſonas in verbis, in vtris-

Confer. FARNABIVS ad Mart. l. 1. epigr. 4. et Celeb. WALCHIVS parerg. acad. p. 134. ſeqq. *a*) Inſtit. orat. l. 4 c. 2. *b*) Noct. Attic. l. 18. c. 5. *c*) Epitom. cap. 34. *d*) Vid. PLINIVS l. 1. epiſt. 10. CICERO orat. pro Deiotaro c. 12. SVETONIVS de clar. rhet. c. 6.

vtriſque numerum inſigni artis compendio diſtinguat. Adeoque haud difficulter quaelibet verba pro dicentis arbitrio ad non vnam numeri (oratorium vel etiam poeticum volo) et ornamentorum rationem ita quidem duci potuere, vt ſententia neque turbata, neque obſcurata, verbis traiectis concinne oratio ceciderit. Hinc Latini ſententias grauius concludere ſolebant: et cum illis accederent mille veneres ac orationis lepos quidam quaſi vniuerſalis, vocabulorum vbertas, ſignificationum foecunditas, particularum, quae inſtar fibrarum in oratione ſunt, multitudo, nexus, facilitas, gratia, maieſtas, et in ipſo verborum ſono imperium; procul dubio nihil grauius poterat eſſe in ſublimitate, nihil ſuauius in mediocritate, nihil dilucidius in humilitate; in omni genere ſuo ſermones elegantiſſimi proueniebant: ac validioribus neruis ſingulae partes vno deductae ambitu contorquebantur.

§. XXXII.

Neque perfectioni L. L. derogat vocum obiecta paupertas, qua de LVCRETIVS *e*) atque ex eo PLINIVS iunior *f*) et SENECA *g*) conqueruntur. Iſtud enim potius ſcriptum fuit ex modeſtia, quam rei veritate: nec raro ſcriptores in hunc modum opuſcula ſua excuſare, vel etiam ſemetipſos extenuare ſolent. *h*) Deinde eſt certus cuique linguae genius; ſunt etiam vocabula peculiaria; vti res variant in variis nationibus natae vel inuentae: quibus adeo ad vnum omnibus Latina lingua reſpondere aut prorſus non ſatisfacere, vel ſuapte natura, potuit. Sic multa ex Graecis in Latinum traducta ſunt, et ciuitate donata, quae vſu ex hac ratione Romani cum re-

 bus

e) Lib. I. v. 832. *f*) Lib. 4. epiſt. 18. *g*) Epiſtola 17. et 58. ab init. *h*) PLINIVS certe l. c. nihil aliud, quam Antonini epigrammata Graeca laudare, et ſe excuſare voluit, quod ex illis quedam, ſed impari ſucceſſu conuerterit.

bus ipſis retinere maluerunt, quam in linguam vernaculam ſuam vertere, et aliorum inuentis noua nomina dare. Quod apparet in *Philoſophia*, *Grammatica*, *Rhetorica*, aliis artium vocibus, quae pari modo *amorem* vel *ſtudium ſapientiae*, *artem ſcribendi*, *dicendi* &c. reddere potuiſſent. Sed illis ipſis vocibus ſuam linguam ditare, et aliorum opibus egeſtati ſuae ſubuenire voluerunt. *i*) Nec inficias irem facile, vt in omnibus, ſic etiam in Latina lingua, res dari plures, quam verba. Sed illi neceſſitati quoque Romani optime, praeſertim his temporibus, conſuluerunt translatione, quae τρόπος vocatur. Et ille modus verba transferendi late patet, *quem*, vt CICERONIS *k*) dicta mea faciam, *neceſſitas genuit inopia coacta, et anguſtiis: poſt autem delectatio iucunditasque celebrauit. Nam vt veſtis frigoris depellendi cauſſa reperta primo, poſt adhiberi coepta eſt ad ornatum etiam corporis, et dignitatem: ſic verbi translatio inſtituta eſt inopiae cauſſa, frequentata delectationis.* Paulo poſt: *l*) *Atque hoc in genere*, inquit, *perſaepe mihi admirandum videtur, quid ſit quod omnes translatis et alienis magis delectantur verbis, quam propriis et ſuis. Nam ſi res ſuum nomen et proprium vocabulum non habet, vt pes in navi— vt in vxore diuortium, neceſſitas cogit, quod non habeas, aliunde ſumere: ſed in ſuorum verborum maxima copia, tamen homines aliena multo magis, ſi ſunt ratione translata, delectant.* Atque adeo in rerum natura nihil eſſe putem, quod pro-

i) CICERO lib. 3. de fin. bon. et mal. c. 2. *Quanquam ea verba, quibus ex inſtituto veterum vtimur pro Latinis, vt ipſa philoſophia, vt rhetorica, dialectica, grammatica, geometria, muſica, quanquam Latine ea dici poterant; tamen quoniam vſu recepta ſunt, noſtra ducamus.* *k*) De oratore lib. 3. c. 38. confer. QVINTILIANVS inſtit. orat. l. 8. c. 6. ARISTOTELES rhetor. l. 3. c. 2. *l*) Cap. 40. confer. Idem in Bruto cap. 17. in fine.

propriis translatiſue Romanorum verbis non commode exprimi vel circumſcribi poſſit: vt non modo ſit in ea lingua nulla egeſtas, ſed maxima etiam ipſa gaudeat copia, et propemodum vbertate ſua luxuriet. Ne quid autem in ea cauſſa ſingere videar, ipſe Tvllivs *m*) audiatur: ille poſtquam prolixe diſputauerat aduerſus hoſtes Latinae linguae, et eos, qui ſe dicebant in Graecis legendis operam malle conſumere, tandem ſua doctus experientia docere nullus dubitauit, *Latinam linguam non modo non inopem, vt vulgo putarent, ſed locupletiorem etiam eſſe, quam Graecam.* Et alibi: *n*) *Etſi quod ſaepe diximus, et quidem cum aliqua querela non Graecorum modo, ſed eorum etiam, qui ſe Graecos magis quam noſtros haberi volunt, nos non modo non vinci a Graecis verborum copia, ſed eſſe in ea etiam ſuperiores, elaborandum eſt, vt hoc non in noſtris ſolum artibus, ſed etiam in illorum ipſorum conſequamur.*

§. XXXIII.

Dixi translata fuiſſe in linguam Latinam Graecorum plurima, quae ciuitate donarunt, vt ſunt artium et ſcientiarum verba, quae ſimul cum artibus et ſcientiis a Graecis ad Latinos tranſierunt. Aſiae tam Graecae, quam alterius cuiuscunque gentis voces pro Latinis ſubſtitui ſine vitio non poſſunt. Quod adeo veteres Romani maximopere vitabant. Tvllivs *o*) *equidem,* inquit, *ſoleo etiam, quod vno Graeci, ſi aliter non poſſum, idem pluribus verbis exponere.* Atque etiam illud in oratione pro Deiotaro obſeruans, exprimere ſententiam Latine, quam Graecum verſum referre maluit. Quod item fecit initio Tuſculanarum quaeſtionum, vbi Epicharmi verſiculum:

m) De finibus lib. 1. c. 3. in fine. *n*) De finibus l. 3. c. 2. *o*) De finibus bonorum et malorum lib. 3. §. 4. confer. l. 1. c. 1. ſeqq.

Ἀποθανεῖν ἐ ἤ τεθνάμεν, ἐ μοι διαφέρει: *p*)
in patriam linguam conuertit, et eius cauſſam praemittit. Colloquentes ita: M. *Dicam, ſi potero, latine. Scis enim, me Graece loqui in Latino ſermone non plus ſolere, quam in Graeco Latine.* A. *Et recte quidem, ſed quae tandem eſt Epicharmi iſta ſententia?*

M. *Emori nolo, ſed me eſſe mortuum, nihil aeſtimo.*
In Lucilio vero Poeta etiam HORATIVS *q*) reprehendit, quod Graeca miſcuerit Latinis, ac illum ideo perſilibat:

--- Magnum fecit, quod verbis Graeca Latinis
Miſcuit. O ſeri ſtudiorum, qui ne putetis
Difficile, et mirum, Rhodio quod Pitholeonti
Contegit. An ſermo lingua concinnus vtraque
Suavior, vt Chio nota ſi commiſta Falerni eſt?

Ipſe Tiberius Princeps, ſub cuius imperio tamen gloria Latinae linguae tanta non fuit, atque antea quum Auguſtus imperii faſces teneret, eius rei ſtudioſiſſimum ſe praebuit in ſenatu et maximorum quorumque virorum corona, quod veniam prius peteret, quam *Monopolium*, vocem non Latinam, proferret. Idem in decreto patrum quodam, cum recitaretur ἔμβλημα, illam ceu peregrinam eiici et Latinam eius loco quaeri, aut rem per circumlocutionem afferri iuſſit; teſte SVETONIO. *r*) Eandem Tiberii curam DIO CASSIVS *s*) quoque narrat: Βουληθεὶς καὶ περὶ τούτου τι δόγμα ποιῆσαι, ἐκώλυσεν αὐτὸ τὸ ὄνομα τὸ τοῦ ἐμβλήματος, ὡς καὶ ἑλληνικὸν, ἐμβληθῆναι, καὶ τοι μὴ ἔχων, ὅπως ἐπιχωρίως αὐτὸ ὀνομάσῃ. *Facturus de hac re decretum, emblematum vocabulum in eo poni, quia Graecum*

p) Quem quidem verſum apud Sextum Empiricum aliter eſſe legendum putat SIMEON BOSIVS animaduerſ. in ep. 3. l. 1. ad Attic. cetera vide apud CICER. Tuſc. quaeſt. l. 1. c. 8. *q*) Sermon. lib. 1. Satyr. 10. *r*) In Tiberio cap. 71. *s*) Lib. 57.

cum eſſet., prohibuit: quanquam Latinum, quo id interpretaretur, haberet nullum.

§. XXXIV.

Si quid eſt, quod hoc maxime tempore Romani reſpiciebant in lingua ſua, cuius nitor et cultura tantum non omnibus curae cordiqne fuit: depraedicandam eſſe putamus verborum proprietatem et naturalem vim, quae ſatis accurate et ſignificanter, et, vna voce dicam quid rei ſit, Latine omnia exprimere poſſet. Totus quantus quisque erat occupatus in delectu verborum: vbi ex copia inſigni tantum melioribus et optimis vti, ſumma laus erat, ac linguae vel ex hac ratione vbiuis gentium commendata virtus. Sic Imperator Auguſtus, teſte SVETONIO *t*) ſecutus eſt eloquendi genus elegans, quod vulgo *temperatum v*) vocamus: vitatis ſententiarum ineptiis, atque inconcinnitate, et reconditorum verborum, vt ipſe dixit, foetoribus. *Praecipuamque*, verba ſunt TRANQVILLI, *curam duxit, ſenſum animi quam apertiſſime exprimere.* Ipſe TVLLIVS, eloquentiae pater et ſummus orator, haud obſcure innuit *x*) maximam Romanos eruditiſſimos et politiſſimos aliquando vnius vocabuli curam habuiſſe. Miſerat ille more ſolito *y*) librum ad legendum et corrigendum Attico ſuo et Varroni, tanquam Ariſtarchis. Libro perlecto, Atticus Ciceronem monet, vt, pro *ſuſtinere remos*, ſcriberet *inhibere remos*. Cicero quidem de voce mutanda cogitat primum, retinet tamen eam, poſtquam ſecum omnia paulo maturius perpenderat: Attico reſpondet, cauſſamque ſcriptionis producit. Idem libertum ſuum Tironem reprehendit, quod non ſatis proprie dixerit, *fideliter valetudini*

t) In eiusvita c. 86. *v*) Iſtud commendat FABIVS inſtit. orat. l. 1. c. 10. A. GELLIVS noct. Attic. l. 10. c. 24. et lib. 15. cap. 7. *x*) Ad Attic. lib. 13. epiſt. 21. *y*) Vid. CICER. ad famil. l. 16. epiſt. 17.

dini inſervire. z) Atque etiam Antonium ipſum pro roſtris ob locutiones minus proprias exagitare nullus dubitauit. a) Sed memorabile facinus in eiusmodi aliqua cauſſa TIRO, quem modo dixi Ciceronis libertum, et ab illo correctum fuiſſe, nobis ſcripto reliquit: b) *Cum Pompeius aedem Victoriae dedicaturus foret, cuius gradus vicem theatri eſſent, nomenque eius et honores inſcriberentur: quaeri coeptum eſt, vtrum Conſul TERTIO inſcribendum eſſet, an TERTIVM. Eam rem Pompeius exquiſitiſſime retulit ad doctiſſimos ciuitatis. Cumque diſſentiretur; et pars TERTIO, alii TERTIVM ſcribendum contenderent: rogauit Ciceronem Pompeius, vt, quod ei rectius videretur, ſcribi iuberet: tum Ciceronem iudicare de viris doctis vetitum eſſe; ne, quorum opiniones improbaſſet, ipſos videretur improbaſſe. Perſuaſit igitur Pompeio, vt neque TERTIVM, neque TERTIO ſcriberetur; ſed ad ſecundum vſque T.* (TERT.) *fierent literae: vt verbo non perſcripto res quidem demonſtraretur; ſed dictio tamen ambigua verbi lateret.* Ita Pompeius ille magnus Romanorum Imperator, altera Europaearum manus, terror Aſiae, bellorum plurium confector, Reipubl. moderator et Princeps populi, malebat doctis ſubmittere ſententiam, quam impingere vel in minimam patriae ſuae linguae exornandae particulam. Nec piget, ad maximam veterum Romanorum, quam nauare vernaculae ſuae conſtituerant, operam clarius demonſtrandam, vnicum inſuper in medium proferre illius, quem modo laudauimus, Tiberii Principis factum. Ille, cum ſtrenam ab aliquibus oblatam non acceperit, eadem de re proponit edictum, in quo voce non Latina vtitur. Mox in mentem haec illi venit: erat enim elegan-

z) Ad famil. lib. 16. epiſt. 17. a) Philipp. orat. 3. c. 187. b) Apud A. GELLIVM noct. Attic. lib. 10. cap. 1.

gantiae perquam diligens in loquendo. Vocat viros ad ſe omnes, qui linguae Latinae proprietatem ſtudioſe obſeruarent. Tum Atteius Capito dixit, *tametſi nemo ante eum iſto vocabulo vſus fuiſſet, hoc nihilominus, in Tiberii gratiam, inter antiqua eſſe referendum.* Sed Marcus Pomponius Marcellus: *Certe iam inde mentitur*, inquit, *Capito. Tu enim Caeſar ciuitatem dare potes hominibus, verbis non potes.* Et hoc Caeſari quidem valde placuit. *c*) Ita alter alterum concinnitate verborum conabatur ſuperare: tantaque ſtili erat ambitio, vt neſciam an ſimilis fuerit vnquam in orbe. Vnde FABIVS *d*) ait: *Fingere Graecis magis conceſſum eſt, qui ſonis etiam quibuſdam et affectibus non dubitarunt nomina aptare: non alia libertate, quam qua illi primi homines rebus appellationes dederunt. Noſtri autem in iungendo aut deriuando paulum aliquid auſi, vix in hoc ſatis recipiuntur. Nam memini iuuenis admodum inter Pomponium et Senecam etiam praefationibus eſſe tractatum, an GRADVS ELIMINAT apud Accium in tragoedia dici oportuiſſet. At veteres ne EXPECTORAT quidem timuerunt. Et ſane eiuſdem notae eſt EXANIMAT. At in tractu & declinatione talia ſunt, qualia apud Ciceronem BEATITAS et BEATITVDO: quae dura quidem ſentit eſſe, veruntamen vſu putat poſſe molliri. Nec a verbis modo, ſed a nominibus quoque deriuata ſunt quaedam, vt a Cicerone SVLLATVRIT, e*) *et ab Aſinio FIMBRIATVRIT et FIGVLATVRIT. Multa ex Graeco formata noua, ac plurima a Sergio Flauio, quorum*

I dura

c) Vid. DIO. lib. 60. confer. SVETONIVS de illuſtr. gramm. cap. 22. *d*) Inſtit. orator. l. 8. c. 3. confer. celeberr. REIMMANNVS introduct. in hiſtoriam vocabulorum L.L. p. 21. *e*) Ad Attic. lib. 9. epiſt. 10. *Sullaturit animus Pompeii.* i.e. Sullam imitatur.

dura quaedam admodum videntur, vt ENS & ESSENTIA: quae cur tantopere aſpernemur, nihil video, niſi quod iniqui iudices aduerſus nos ſumus, ideoque paupertate ſermonis laboramus. f) Quaedam tamen perdurant. Nam et quae vetera nunc ſunt, fuerunt olim noua, et quaedam in vſu perquam recentia, vt Meſſala primus REATVM, MVNERARIVM Auguſtus primus, dixerunt. PIRATICAM quoque vt MVSICAM et FABRICAM dici adhuc dubitabant mei praeceptores. FAVOREM et VRBANVM Cicero noua credit. g) Nam et in epiſtola ad Brutum, eum, inquit, amorem, et eum, vt hoc verbo vtar, fauorem in conſilium aduocabo. Et ad Appium Pulchrum: te hominem non ſolum ſapientem, verum etiam, vt nunc loquuntur, vrbanum. Idem putat a Terentio primum dictum eſſe OBSEQVIVM. h) Cecilius ad Siſennam, ALBENTI COELO. CERVICEM videtur Hortenſius primus dixiſſe, i) nam veteres pluraliter appellabant. &c. Haec Fabius Quintilianus. Plura de verborum nouatione in hoc de virili aetate L.L. tractatu notabimus paſſim.

§. XXXV.

---

f) Quod fruſtra dicit. confer. §. 32. huius capitis. *g*) Has quidem voces, celeberr. SCHWARTZIVS in diſſertatione de fatis quarundam vocum §. 2. p. 4. putat, iamdudum ante Ciceronis aeuum in vſu fuiſſe, ſed nouam tunc accepiſſe ſignificationem. *h*) Hoc Terentiano verbo lubenter ſe vti fatetur CICERO in Laelio c. 24. At primum a Terentio dictum eſſe *obſequium*, ipſe DONATVS vetus ad Terent. commentator negat, cum & Plautus & Naeuius id vocis vſurparint. *i*) Ita quoque VARRO de lingua Latina lib. 7. c. 5. & lib. 9. c. 4. Sed falluntur. Nam diu ante Hortenſium hac voce PACVVIVS ſingulari numero vſus eſt, ex quo CICERO Diuin. l. 2. c. 64. haec adducit:

Quadrupes tardigrada, agreſtis, humilis, aſpera,
Capite breui, ceruice anguina, aſpectu truci,

Digitized by Google

§. XXXV.

Attamen in foro ipſo et grauibus aliquando cauſſis, maximam prae ſe ferebant linguae patriae ſuae curam: et oratores ſe multum exercitatos praebebant. Neque dubitarunt, in iudiciis adeo ſeueris, maculam, vix reliqua vita eluendam, inurere illis, qui decoris atque elegantiae in ſermonibus numeros omnes non expleuerunt. Ita M. TVLLIVS *k*) Antonio aegre facturus, vt probrum non leue, obiicit ei, quod Latini ſermonis conſuetudinem violarit. Siſenna quaſi emendator ſermonis vſitati quum eſſe vellet, a C. Ruſcio accuſatus dixit, *quaedam eius ſputatilica eſſe crimina.* Tum Ruſcius, *circumuenior*, inquit, *Iudices, niſi ſubuenitis. Siſenna quid dicas neſcio, metuo inſidias, ſputatilica quid eſt hoc? ſputa quid ſit ſcio, tilica neſcio.* Caeſar autem rationem adhibens, conſuetudinem vitioſam et malam pura et incorrupta conſuetudine emendauit. *l*) Et Marcus Pomponius Marcellus, ſermonis Latini exactor moleſtiſſimus, cum ageret cauſſas, ſoloeciſmum ab aduerſario factum vſque adeo arguere perſeuerauit, quoad Caſſius Seuerus, interpellatis iudicibus, dilationem petiit: vt litigator ſuus

I 2 alium

Pari modo LVCRETIVS l. 6. v. 741.

Praecipitesque cadunt molli ceruice profuſae.

Neque audiendus eſt SERVIVS in Virg. 2. Aeneid. v. 707. vbi, *ceruix*, inquit, *cum numero ſingulari dicitur, collum ſignificat: ſi plurali vtamur, ſuperbiam oſtendimus.* Neque ISIDORVS orig. l. 11. c. 1. Nouimus enim propemodum omnes hoc et ſequentibus ſeculis de *collo* modo *ceruicem*, modo *ceruice* promiſcue dixiſſe.

k) Philipp. orat. 13. c. 19. *Tu porro*, inquit, *ne PIOS quidem, ſed PIISSIMOS quaeris, et quod verbum omnino nullum in Latina lingua eſt, id propter tuam diuinam pietatem nouum inducis.* Idem pari modo increpauit Antonium Philipp. orat. 2. c. 17. orat. 3. c. 9. paſſim. *l*) CICERO de claris oratoribus c. 74. 75.

alium grammaticum adhiberet: quandoquidem non putet is, cum aduerſario de iure ſibi, ſed de ſoloeciſmo controuerſiam futuram. *m)* An etiam hoc non fuit graue, quod Diuus Iulius Caeſar poſt tot triumphos non dubitauerit Sullam Dictatorem, et quoad in viuis erat, ſummum reipublicae terrorem accuſare, *neſciſſe LITTERAS, qui Dictaturam depoſuerit; debere homines conſideratius iam loqui ſecum, ac pro legibus habere quae dicat? n)* Per *litteras* autem nihil aliud quam ipſam grammaticam intelligit, quapropter nequiuerit dictare: alias Graecis literis Sullam fuiſſe tinctum, et commentarios rerum ab ſe geſtarum ſcripſiſſe, in eius vita PLVTARCHVS auctor eſt. *o)* Sed illiteratos omnes, eosdemque nulla oris facundia praeditos nihili faciebant: vt CICERO *p)* Bambalionem quendam obiecerit Antonio, ceu hominem nullo numero, quaſi in opprobrium. *Nihil,* inquit, *illo contemtius, qui propter haeſitantiam linguae, ſtuporemque cordis, cognomen ex contumelia traxerit.*

§. XXXVI.

Fateor, quis enim niſi omnis literaturae et antiquitatis expers inficiabitur? fuiſſe tum etiam multos impurae Latinitatis amatores, *q)* qui optimos dicendi magiſtros flocci habebant, veteres et illos iam dudum obliteratos legebant, et vsque quaque admirati in omni ſermone affectabant. Ex illorum numero Siſenna fuit, qui TVLLIO noſtro *r)* auctore, quaſi emendator ſermonis vſitati quum eſſe vellet, ne a C. Ruſcio quidem accuſatore deterreri potuit, quominus inuſita-

m) SVETONIVS de illuſtr. grammaticis cap. 22. *n)* T. Ampio teſte apud SVETON. Iul. cap. 77. *o)* Confer. G. I. VOSSIVS de hiſtor. Latin. lib. 1. c. 9. *p)* Philipp. orat. 3. c. 6. *q)* Cuiusmodi etiam Laberium Poetam fuiſſe demonſtrabimus ſuo loco. *r)* De claris oratoribus c. 74.

inuſitatis verbis vteretur. Et multi veteres poetas ita mirabantur laudabantque, vt nihil antetulerint, nihil comparauerint illis. *s*) Imo confluxerunt in vrbem ex diuerſis locis inquinate loquentes. Sed illis maſcule viri docti et ipſius ciuitatis principes obuiam iuere: et ſermonem Latinum exiſtimarunt ſibi magis expurgandum eſſe. *t*) Vt omni tempore homines illi voces nimis priſcas et ignotiſſimas in quotidianis ſermonibus proferentes, cordatiorum ac politisſimorum verbis caſtigati, et aliorum ludibrio expoſiti fuere: *v*) hoc ſeculo Latinitatis feliciſſimo minime gentium illa verae eloquentiae peſtis obtinere potuit: quum maximi quique viri ſuam linguam, inſtar virginis adultae communi opera cuſtodiuerint caſte. Aurea fuit in hoc ſeculo aureo C. CAESARIS, *x*) ſed quanti Herois, regula; quam in memoria et in pectore ciues Latini omnes habere debent, vt, tanquam ſcopulum, ſic fugiant inauditum atque inſolens verbum. Pari faſtidio eius, vt in Romano imperio, ſic in omni virtutum genere, ſucceſſor OCTAVIANVS AVGVSTVS omnes cacozelos et antiquarios ſpreuit. Maecenatem vero ſuum, quem capi eiusmodi quiſquiliis facile poſſe ſciebat, etiam perſecutus eſt vſque quaque; et imitando per iocum irriſit. *y*) Exempli gratia in epiſtolis, quas ad eum ſcribebat, contra ſermonis caſtitatem, quam ille ſcribendo alias ſeruabat: *vale mel gentium, melcule, ebur ex Etruria, laſer Aretinum, adamas ſupernas, Tyberinum margaritum, Cilneorum ſmaragde, iaſpis figulorum, berylle Porſennae, carbuncu-*

s) HORATIVS epiſt. 1. lib. 2. *t*) Vid. CICERO de clar. orat. c. 74. *v*) Vid. A. GELLIVS noct. Attic. lib. 1. cap. 10. MACROBIVS Saturn. lib. 1. cap. 5. *x*) Apud GELLIVM l. c. MACROB. l. c. *y*) Vid. SVETONIVS in Auguſt. cap. 86.

bunculum habeas, ἵνα συντέμνω πάντα μαλάγματα moecharum, et alia quae in iocos effuſa ſubtexuit. z)

§. XXXVII.

Neque res melius cecidit Floro cuidam, nouatori, qui Auguſto perſuadere volebat, pro O paſſim ſcribendum dicendumque eſſe AV, quemadmodum diceretur *aula* et *plauſtrum*, pro *olla* et *ploſtro*. Imperator enim, vt belle hominem erudiret, poſtridie ad ſe aduentantem, non Florum, vt ſolebat, ſed *Flaurum* appellauit. Quo riſu homo ridiculus deinceps nouitatibus abſtinuit. Scilicet videbant illi homines, neſcio quam gloriolam captantes, bonis auibus Spurium Caruilium a) apud Romanos primum pro C tertio elemento, ſoni mollioris literam G ſubſtituiſſe: quod placuit fere omnibus, vt eandem ſcribendi rationem inirent, quoad neceſſario, maiorum more, qui inueterauit, ſuis vocibus ea litera pronuncianda eſſet. Idem videbant in Appio Claudio, qui, vt POMPONIVS teſtatur b) aliquibus vocabulis dedit literam R pro S. vt ex. gr. pro *Valeſiis* Valerii, pro *Fuſiis* Furii dicerentur. Quod pari modo hucusque manſit. Simile quid tentabat Arrius, quidam dulcis palati et oris homo, qui vnius literae aſperitatem ferre nolebat, ſed aſpirationibus nimium delectatus, paſſim vocalibus eam praefigebat. Non ſine opprobrio, ac prudentiorum riſu: vt prauiſſimam conſuetudinem ſuam obtrudere nemini potuerit, multo minus leni appellatione literarum ſibi comparauerit bene loquendi famam. Certe CATVL-

z) Vid. MACROBIVS Saturnal. lib. 2. cap. 4. a) De quo vid. diſſert. noſtra de adoleſcent. L.L. c. 4. §. 4. b) §. 36. l. 2. D. de origine iuris. confer. ſpicilegium noſtrum literarium p. 17. ſeqq.

Digitized by Google

CATVLLVS *c)* eum ridet, ludos qui ſemetipſum deliciasque facere non dubitauerat:

CHOMMODA dicebat, ſi quando commoda vellet
Dicere, et HINSIDIAS Arrius inſidias.
Et tum mirifice ſperabat ſe eſſe locutum,
Cum, quantum poterat, dixerat HINSIDIAS.
Credo ſic mater, ſic liber auunculus eius,
Sic maternus auus dixerat, atque auia.
Hoc miſſo in Syriam requierant omnibus aures,
Audibant eadem haec leniter et leuiter.
Nec ſibi poſt illa metuebant talia verba,
Cum ſubito affertur nuncius horribilis,
Ionios fluctus poſt, quam illuc Arius iſſet,
Iam non Ionios eſſe, ſed HIONIOS.

§. XXXVIII.

Rem literariam incredibili modo iuuant bibliothecae, et veterum monumentorum apparatus vſui publico deſtinati: ex quibus cuilibet rerum notitiam eruere licet. Ad Romanos haec cura tardius et hoc tandem aeuo omnis literaturae feliciſſimo peruenit. *Romae*, inquit ISIDORVS *d) primus librorum copiam aduexit Aemilius Paulus, Perſe Macedonum Rege deuicto: deinde Lucullus e Pontica praeda.* De Lucullo idem PLVTARCHVS teſtatur: *Laudanda eius impenſa, et ſtudium in libris. Nam et multos, et eleganter ſcriptos, conquiſiuit: eosque vt liberaliter parauit, ita etiam vtendos dedit. Patebant enim omnibus bibliothecae, et in porticus adiectas atque exedras Graeci praeſertim recipiebantur: qui velut ad Muſarum aedem eo ventitabant, tempusque inter ſe iucunde traducebant, ab aliis curis liberi. Sae-*

c) Epigr. 79. d) Origin. lib. 6. cap. 5.

ri. Saepe et ipſe cum iis verſabatur, et philologis ſe immiſcebat, ad has porticus et ambulationes veniens. Duobus illis merito iungendus eſt Cornelius Sulla, poſtea Dictator, qui teſte PLVTARCHO et LVCIANO, e Graecia Atheniſque magnam librorum vim traduxit ac Romae diſpoſuit. Prorſus tamen illi ſuos librorum apparatus publici iuris atque vſus non fecerunt. Quod facere ſecum conſtituit Iulius Caeſar ille armis literiſque magnus. *e*) Sed violenta et praematura morte ereptus id negotii reliquit ſuo adoptione filio, Auguſto *f*) qui Aſinium Pollionem, oratorem et Senatorem nobilem excitauit, vt atrium Libertatis exſtrueret, ac bibliothecam in eo publicaret. Vnde PLINIVS: *g*) *Aſinius Pollio, primus bibliothecam dicando, ingenia hominum rempublicam fecit.* Et ISIDORVS: *h*) *Primus Romae bibliothecas publicauit Pollio Graecas ſimul atque Latinas, additis auctorum imaginibus, in atrio, quod de manubiis magnificentiſſimum inſtruxerat.* Atque ita magiſter amorum *i*) intelligendus eſt:

Nec me, quae doctis patuerunt prima libellis,
Atria Libertas tangere paſſa ſua eſt.

Quibus conqueritur libellus, ſe non receptum in bibliothecam Aſinii, quae prima patuit, ſeu publicata eſt, doctis libris. Bibliothecam alteram idem Auguſtus reliquit Octauiae

e) SVETONIVS in eius vita c. 44. *Deſtinabat bibliothecas Graecas et Latinas, quam maximas poſſet, publicare, data M. Varroni cura comparandarum ac dirigendarum.* *f*) SVETONIVS in Auguſto c. 29. *g*) Hiſt. natur. l. 35. c. 2. Et lib. 7. c. 3. *Prima in orbe ab Aſinio Pollione de manubiis publicata eſt Romae.* Neque conſtare loco priori dixerat, an priores coeperint Alexandriae et Pergami Reges, qui bibliothecas magno certamine inſtituere. *h*) Orig. lib. 6. cap. 5. *i*) OVIDIVS Triſt. lib. 3. eleg. 1.

Octauiae, ſororis ſuae, memoriae dedicatam: *k*) cuius ordinandae curam Caius Meliſſus grammaticus ſuſcepit. *l*) Eo reſpiciunt Ovidii verſus: *m*)

Altera templa peto, vicino iuncta theatro;
Haec quoque erant pedibus non adeunda meis.

Ex quibus diſcimus eam bibliothecam vicinam fuiſſe Marcelli theatro: et templa dicit, quoniam in hac porticu ſtatuis praeclara Iunonis aedicula fuit. Tertiam bibliothecam Auguſtus in ipſo Palatio anno vrbis DCCXXVI. exſtruxit, quae a loco ***Palatina*** vocatur. *n*) De ea bibliotheca Ovidivs in ſequentibus, loco aliquoties citato, agit. Praefuit illi Iulius Hyginus *o*) Auguſti libertus, et plurimos ipſe docuit. In bibliothecas tum ſolebant illuſtrium virorum imagines ponere: quo magis magisque hominum ingenia ad bonarum artium amorem ſtudiumque vocarent, quos pridem inſigni gloriae cupiditate incenſos videbant. Ita Plinius *p*) ***Non ſolum ex auro argentoue, aut certe ex aere in bibliothecis dicantur illi, quorum immortales animae in iisdem locis ibi loquuntur, quinimo etiam quae non ſunt finguntur, pariuntque deſideria non traditi vultus, ſicut in Homero euenit. Quo maius (ut equidem arbitror) nullum eſt felicitatis ſpecimen, quam ſemper omnes ſcire cupere,***

k) Dio Cassius lib. 49. ſub ann. V. C. DCCXXI. *Auguſtus porticus et bibliothecas, a ſororis nomine Octavias dictas, exſtruxit.* Aliter Plvtarchus in Marcello: *In honorem ac memoriam defuncti Marcelli mater Octauia bibliothecam dedicauit, Caeſar Auguſtus theatrum, Marcelli nomine inſcriptum.* Sed fallitur. vid. Lipsius de bibliothecis cap. 6. *l*) Vid. Svetonius de illuſtr. gramm. c. 21. *m*) Triſt. lib. 3. eleg. 1. *n*) Vid. Sveton. Auguſt. c. 29. confer. Dio Cassius lib. 53. init. Huius bibliothecae mentionem facit Plinius hiſt. nat. l. 7. c. 58. *o*) Sveton. de illuſtr. grammat. cap. 20. *p*) Hiſtor. natural. l. 35. c. 2.

pere, qualis fuerit aliquis. Idem: *q) M. Varronis in bibliotheca Romae ab Aſinio Pollione publicata, vnius viuentis imago poſita eſt.* Bibliothecae, praeter illas Romanorum publicas, fuerunt priuatae maximo numero, quum nemo facile inuentus ſit ex eruditorum ordine, qui ſummo ſtudio non conquiſiuerit antiquiorum monumenta: vt ſapientiam inde ſibi et doctrinam (quid enim ab aliorum imitatione et exemplo non dependet) vbique terrarum ſua gloria meritisque ſuis celebratam compararet. Acceſſit amica librorum communicatio, neque, vt nunc fieri ſolet r) vel eorum vana pompa, vel inuidia capti, ſuorum, quos collegerant, theſaurorum vſurpationem petentibus denegabant. Lucullus et Varro confluentes ad ſe viros doctos fauore maximo proſequebantur, et ſuarum illuſtrium bibliothecarum frequentationem inuidebant prorſus nemini, quod publicum vſum atque commodum hoc modo facile promoueri poſſe viderent. Virgilius patiebatur quoque bibliothecam ſuam non minus aliis doctis ac ſibi patere: et Euripidis antiquum illud ſaepe vſurpabat, τὰ τῶν φίλων κοινὰ h. e. communia amicorum eſſe omnia. s) Et CICERO t) ad Atticum ſcribit: *velim domum ad tuos ſcribas, vt mihi tui libri pateant, non ſecus ac ſi ipſe adeſſes, cum ceteri, tum Varronis. Eſt enim mihi vtendum quibusdam rebus ex iis libris ad eos, quos in manibus habeo, quos, vt ſpero, tibi valde probabo.*

Cap. II.

q) Lib. 7. cap. 30. r) Videatur elegantiſſima Celeb. MEVSCHENII ad Thomae Bartholini de libris legendis diſſertationes praefatio. s) Vid. DONATUS, vel SVETONIUS, qui verus auctor habetur, in vita Virgilii, operibus vulgo praemiſſa. t) Ad Attic. lib. 4. epiſt. 13. vid. etiam CICERO de finibus lib. 3. c. 2.

CAPVT II.

De Viris in Rep. Romana Principibus atque ſummis literarum Promotoribus.

§. I.

Heroes inter Romanos bonarum artium amantiſſimi fuerunt plurimi hoc aeuo, ex quibus tantum illi producendi, quorum res geſtae ſtatum reip. cum Latinae linguae et literarum fatis exhibere poſſunt. 2. Deſcribitur SVLLAE *vita, 3. Literarum amor, 4. Scriptum an aliquid reliquerit. 5. Deſcribitur* ATTICI *vita. 6. Eius in literas literatosque merita et 7. ſcripta recenſentur. 8.* POMPEII *res geſtae et 9. literarum ſtudia enarrantur. 10. De* IVLII CAESARIS *vita, 11. Scriptis et, 12. Summo erga literatos affectu agitur. 13.* MARCI BRVTI *exhibentur fata, 14. ſtudia et ſcripta. 15.* OCTAVIANI CAESARIS AVGVSTI *vita, 16. Studia elegantiora, 17. liberalitas et 18. ſcripta recenſentur. 19. Subiicitur nonnihil de M.* ANTONIO *triumuiro. 20.* MAECENATIS *vita, 21. ingenium, 22. benemerita, et 23. ſcripta in medium proferuntur.*

§. I.

Duo ſunt, quae ſuperiori capite dixi, maxime in hoc ſeculo eſſe diuerſa, et conſpirare in eandem gloriam, Martis furor, et Muſarum ſuaue conſortium: vt inter continuos armorum ſtrepitus, etiam periclitante vrbis, quae in orbe maxima fuit et multorum imperiorum domina, imo corruente libertate, omnis bonarum artium ſcientia beneficiis et honoribus ſit cumulata, eosdemque cum Imperatoribus egerit triumphos. Vanus eſſe viderer et extra oleas vagari, tot Romanae ciuitatis heroes ſi vellem breuibus huius diſſertationis cancellis coarctare, vel obiter tantum

deſcribere. Exſcribendi fuiſſent PLVTARCHI, CASSII, APPII, EVTROPII, ſcriptores huius aeui plures alii. Neque nunc animus eſt, tot tantorumque belli et pacis tempore virorum in Remp. literariam et promiſcue in omnes literatos bene merita, vt literarum ſtudia magis floreant, atque cum illis Latinae linguae dignitas et honor ad ſummum faſtigium prouehatur, in praeſentia rerum, quae cumularunt, prolixius enarrare omnia. Non ſufficerent mihi multa diſſertationis volumina, quae ſi vel maxime (mihi autem nihil tribuo) poſſem abſoluere, beneficiorum magnitudinem vix ſatis aſſequi, aut verbis exprimere valerem. Hoc agam, vt quorundam ſaltem et eorum nunc breuibus memoriam recolere annitar, qui vt in imperio ſummi Imperatores et ſpectatiſſimi viri, ſic in elegantioribus ſtudiis quoquo modo promouendis patroni atque adeo, lingua patria, quae fuit illis, vt politiſſima facta ſit, auctores et cauſſa haud quaquam contemnenda fuerunt. Neque vlterius procedet oratio noſtra, quam enarrandis aliquorum vitis quoad videbo ſtatum reip. paulo fieri clariorem, et quandam his de perfectiori Latina lingua eiusque incremento commentationibus noſtris quaſi faculam accendi poſſe. In beneficiis autem illorum erga literatos enumerandis prolixior non ero, quam vt pauciſſimorum facta mentione, de animo illorum, et maximo, qui tum fuit, bonarum artium amore, et pretio, et honore, quilibet ipſe iudicare poſſit.

§. II.

Primus erit merito, ab cuius aetate florem et maxima incrementa Latinitatis debemus ducere, L. CORNELIVS SVLLA *a*) Dictator, verius tyrannus, *qui*, vt VELLEIVS habet,

a) Rectiusne *Sylla*, an *Sulla* ſcribatur, BERNEGGERVS diſquirit

bet, *b*) *neque ad finem victoriae ſatis laudari, neque poſt victoriam abunde vituperari poteſt*. Ortus eſt familia nobili Romana, ſextus a Cornelio Rufo qui primus Sullae nomen obtinuiſſe creditur, *c*) natus anno ab V. C. DCXVII. *d*) Cum paruulus a nutrice ferretur, obuia ſed nunquam cognita mulier, *ſalve*, inquit, *puer tibi et Reip. tuae felix*. *e*) Anno ab V. C. DCXLVII. Marii quaeſtor Iugurtham a Boccho Rege Maurorum in deditionem accepit, *f*) eamque traditionem in annulo ſuo expreſſit, *g*) non ſine maximarum, quas ſuſcepit poſtea, rerum et ſummae auctoritatis omine. Ita quoque legatus bello Cimbrico et Teutonico, quam maxime Romanis formidoloſo, cum barbarae iſtae gentes in Galliam atque Italiam ingenti multitudine effunderent ſeſe, Romam perrecturi, niſi ab Caio Mario fuerint repulſi, noſter inſignem praeſtitit operam et ſatis luculenta fortitudinis monumenta reliquit. *h*) Neque minus virtutem

 ſuam

ad Sueton. Caeſar. diſp. 1. coroll. 1. MACROBIVS ſaturn. l. 1. c. 17. Bello Punico, inquit, primo ludos Apollinares ex libris Sybillinis inſtitutos eſſe, ſuadente Cornelio Rufo Decemuiro, qui propterea *Sybilla* cognominatus ſit; poſtea corrupto nomine *Sylla* vocitari coeperit. Eandemque ſententiam retinuit CAROLVS SIGONIVS de nominibus Roman. apud GOTHOFREDVM in auctoribus LL. p. 1439. confer. SOSIPATER CARISIVS lib. 1. *b*) Lib. 2. c. 17. *c*) VELLEIVS l. c. confer. MACROBIVS l. c. *d*) Nam anno DCLXVI. Conſulatum obtinuit, cum eſſet vndequinquageſimo aetatis anno, teſte VELLEIO l. 2. c. 17. extr. *e*) AVRELIVS VICTOR de viris illuſtr. c. 79. *f*) Vid. SALLVSTII bellum Iugurthinum. LIVII epit. 64.--66. FLORI lib. 3. cap. 1. PLVTARCHI Sullae et Marii vita. EVTROPII lib. 4. VELLEII. l. 2. c. 11. AVR. VICTOR l. c. OROS. l. 5. c. 15. PLINIVS l. 37. c. 1. *g*) Teſte PLVTARCHO l. c. et VALER. MAX. l. 8. c. 15. *h*) De Cimbrico bello, quod *Gallicum* ab CICERONE in orat. de prouinciis vocatur, conſule PLVTARCHVM in Mario, APPIANVM in Celticis, LIVIVM epit. 67. 68. FREINSHEMII Supplem. Liuiana. FLORVM l. 3. c. 3.

ſuam comprobauit in *ſociali bello*; quod etiam appellatur *Italicum* et *Marſicum*, quoniam inchoatum primo fuit a Marſis: quibuscum anno DCLXIII. Picentes, Veſtini, Peligni, Marrucini, Samnites et Lucani a Romanis defecerunt, cum iure ciuitatis non poſſent perfrui, atque priuilegiis omnibus deſtituerentur, iniquum reputantes, ſemetipſos, quorum praecipue viribus Romani tot regionibus imperarent, victoriae praemiis carere. *i*) Funeſtum hoc bellum Romano imperio fuit, et variis hinc inde proeliis, Marte etiam Romanis fauente, commiſſis, vix tandem illi populi ad officium reduci potuerunt. Tum vero Sulla, qui Praetor Ciliciam prouinciam habuit, interque ciues ſuos ius dixit, cum ſolitus eſſet omnes patriae iniquos victricibus armis aggredi, Hirpinos domuit, Samnites multis proeliis fudit, aliquot populos recepit: quantisque raro quisquam alius ante conſulatum rebus geſtis, ad petitionem conſulatus, cuius nullam antea petendi videbatur habere cogitationem, DCLXV. Romam profectus eſt. *k*) Conſulatum anno ſequenti cum Q. Pompeio Rufo obtinuit vndequinquageſimo aetatis anno. *l*) Mox aliud malum Reip. et ciuitati pernicioſiſſimum interuenit. Mithridates, Ponti Rex, animo ſemper maximus, Romanorum per Aſiam creſcenti potentiae omnibus viribus oppoſuit ſe, Ariobarzanem Cappadociae, et Nicomedem Bithyniae Reges, populi Romani ſocios et amicos, fini-

VELLEIVM l. 2. c. 12. EVTROPIVM l. 5. OROSIVM l. 5. c. 16. AVR. VICTOREM c. 79. *i*) Legi merentur de hoc bello LIVIVS epit. 72. ſeqq. FLORVS l. 3. c. 18. VELLEIVS l. 2. c. 15. EVTROPIVS l. 5. APPIANVS de bellis ciuil. l. 1. OROSIVS l. 5. c. 18. *k*) Teſte LIVIO epit. 75. VELLEIO l. 2. c. 17. PLVTARCHO in Sulla AVR. VICTORE c. 79. Auctoribus aliis ſupra citatis. *l*) Teſt. VELLEIO l. c. aliis. confer. FVNCCIVS chron. f. 87. D. h. a.

finibus eiecit, Phrygiam, Romanorum prouinciam, occupauit, atque in Aſiam penetrans quotquot Romanorum fuere ciuium eadem die atque hora, literis ciuitatibus miſſis, cum ingenti praemiorum pollicitatione interimi iuſſit: *m*) vt terribilis quoque videretur Italiae. *n*) Itaque Senatus aduerſus eum decreuit bellum. Aſia prouincia ſorte obuenit Sullae Conſuli: quem plurimi etiam praeſertim nobiles belli ducem, aduerſus Mithridatem, hoſtem acerrimum, poſcebant. Is cum vrbe egreſſus circa Nolam moraretur, P. Sulpicius tribunus plebis C. Mario poſt LXX. aetatis annum omnia imperia omnesque prouincias concupiſcenti addixit, legemque ad populum tulit, qua Sullae imperium abrogaretur, et Mithridaticum bellum C. Mario decerneretur. Atque etiam iſte per emiſſarios factionis ſuae alterius conſulis Q. Pompeii filium, eundemque Sullae generum interfecit. Hinc bellum ciuile inter Sullam et Marium. Exercitu contracto, Sulla reuertitur, vrbem occupat, et intra ipſa moenia aduerſus Sulpitii et Marii factionem pugnat, tandemque omnes, lege lata, hoſtes iudicatos expellit. Sulpicius cum in villa quadam lateret, indicio ſerui ſui retractus et occiſus, et caput eius, velut omen imminentis proſcriptionis, erectum pro roſtris et oſtentatum fuit. Seruus autem, vt proditionis praemium haberet, manumiſſus, et propter ſcelus proditi domini de ſaxo Tarpeio deiectus eſt. C. Marius filius in Africam traiecit. Pater poſt ſextum conſulatum, natus annos ſeptuaginta, nudus ac limo obrutus, eminentibus tantum oculis

atque

m) Auctore PLVTARCHO in Sulla, centum & quinquaginta hominum millia interfecta ſunt; at VALERIO MAX. l. 9. c. 2. exter. 3. octoginta. *n*) Praeter citatos vide LIVIVM epit. 78. FLORVM l. 3. c. 5. VELLEIVM l. 2. c. 18. CICERON. in orat. pro lege Manilia. APPIANVM in Mithridaticis, EVTROPIVM l. 5. OROSIVM l. 6. c. 2. plures alios.

atque naribus cum fugiens conſectantes Sullae equites ſe abdidiſſet in Minturnenſium paludibus, iniecto in collum loro ab oppidanis extractus, et in carcerem perductus eſt. Poſtea ſeruus publicus, natione Germanus, qui fortaſſis ab eo captus fuerat Cimbrico bello, ad Marium ſenem interficiendum mittitur: ſed vt tantum Imperatorem agnouit, viri maieſtate perterritus, magno eiulatu fortunae caſus admiratur, et gladio abiecto, e carcere profugit. Tum et ciues miſericordia commoti captiuum Imperatorem noua veſte indutum et viatico ornatum naui committunt, vt ad filium in Africam pergeret: vbi in tugurio Carthaginienſium ruinarum inopem vitam egit. *o*) L. Cornelius Sulla vero victor et elatus ciuitatis ſtatum ordinauit, et in bellum aduerſus Mithridatem profectus eſt: quem aliquot proeliis fudit, et plurima loca ſub poteſtatem ſuam redegit. Annus erat DCLXVII. quo Cn. Octauius et L. Cornelius Cinna Conſules, per abſentiam Sullae in Aſia bellum gerentis, nouas inimicitias in vrbe ſuſcipiebant. Cinna tumultuari coepit, resque nouas moliri vsque adeo, vt per vim atque arma etiam leges pernicioſiſſimas ferret. Quam ob rem ſenatus conſulto imperium illi abrogatur, et ciuitate cum ſex tribunis plebis ipſe Conſul ab Octavio collega eiicitur. Sed breui poſt vires colligit, corruptum Ap. Claudii exercitium in partes ſuas rapit, atque Marium ex Africa cum aliis exulibus accerſitum ſibi coniungit: quocum ciuitati bellum infert, et, cum ignaue et perfidioſe multa fierent in vrbe, intromittitur. Tum caedibus atque rapinis omnia Romae et intra ipſa moenia complent, Octauium Conſulem et

o) Vid. FLORVS l. 3. c. 21. APPIANVS l. 1. PLVTARCHVS in Mario et Sulla. LIVIVS epit. 77. VELLEIVS l. 2. c. 19. CICERO in orat. pro Sextio, in orat. ad Quirites, et poſt reditum in Piſonem. VAL. MAX. l. 9. c. 2. IVVENALIS Satyr. 10. v. 276.

Digitized by Google

et optimates quotquot a parte illius atque Sullae ſteterant, interque eos praeſtantiſſimum oratorem, M. Antonium, et Q. Catulum enecant, multa crudeliter faciunt, et ſemetipſos conſules renunciant. *p*) Ita DCLXVIII. C. Marius ſeptimo et L. Corn. Cinna ſecundo faſces imperii accipiunt. Marius quidem decimo ſexto conſulatus die ſenex, et multis calamitatibus affectus, obiit, illique Valerius Flaccus *q*) ſufficitur; Cinna vero etiam anno ſequente cum Cn. Papyrio Carbone tertium et DCLXX. cum eodem quartum conſulatum geſſit. Interea temporis L. Corn. Sulla maximo labore expugnauit Athenas, quas Archelaus Mithridatis praefectus occupauerat. Regis copias, quae, Macedonia occupata, in Theſſaliam venerant, proelio vicit, caeſis hoſtium centum milibus, atque caſtris expugnatis. Bello deinde renouato iterum Regis exercitum vicit et deleuit. Archelaum cum claſſe regia in deditionem accepit, multis proeliis Thracas cecidit, et vbique belli res praeclare geſſit. *r*) Cum turbulento Romanorum ſtatu maior nobilitatis pars ad Sullam primo in Achaiam, deinde in Aſiam profugiſſet, anno DCLXIX. Cinna et Carbo a ſe ipſis conſules in biennium facti, et in Italia dominantes, bellum pararunt. Tum L. Valerius Flaccus, princeps ſenatus, qui orationem habuit ea de re, et alii concordiae ſtudioſi quidem effecerunt, vt legati ad Sullam de pace mitterentur. Nihilominus Cinna conſcendere naues exercitum coegit, et in bellum aduerſus Sullam proficiſci. Ipſe vero tandem ab inuito exercitu ſuo

 Anco-

p) Vid. LIVIVS epit. 79. et 80. PLVTARCHVS in Mario et Sulla. APPIANVS l. 1. EVTROPIVS l. 5. VELLEIVS l. 2. c. 20. 21. 22. VAL. MAX. l. 8. c. 9. n. 2. FLORVS l. 3. c. 21. OROSIVS l. 5. c. 18. *q*) Qui, vt Sullae ſuccederet, in Aſiam miſſus, propter auaritiam inuiſus exercitui ſuo, a C. Fimbria, legato ipſius, occiſus eſt. LIVIVS epit. 82. *r*) LIVIVS epit. 81. 82. 83. Script. ſupra citati.

Anconae lapidatus eſt *s*) anno DCLXX. vt conſulatum nunc Carbo ſolus gereret. His rebus cognitis, Sulla quam maxime offenſus, pace cum Mithridate facta, in Italiam reuertitur: quem ſequebatur etiam, deſerto domino et Imperatore ſuo, Fimbriae *t*) exercitus. Legatis a ſenatu, vt eum reuocarent, miſſis reſpondit, ſe fore in ſenatus poteſtate, ſi ciues a Cinna pulſi reſtituerentur. Quae conditio cum iuſta videretur, ab Carbone et eius factione, cui bellum magis placebat, accepta non eſt. Contra ſenatus conſultum fit breui poſt in fauorem Carbonis et Marii partium, vt omnes vbique exercitus dimitterentur: neque tamen ipſi potuerunt belli apparatum celare. *v*) Legati ab Sulla de pace miſſi DCLXXI. a Conſſ. Corn. Scipione Aſiatico et Cn. Norbano violantur. Venit ergo cum exercitu in Italiam, non vt belli vindex, ſed vt pacis auctor; tanta cum quiete per Calabriam Apuliamque exercitum duxit. *x*) Circa Capuam felici euentu ambos Conſules Scipionem atque Norbanum ſuperauit: hic acie victus, ille ab exercitu ſuo relictus atque proditus, ab Sulla inuiolatus dimiſſus eſt. Cn. Pompeius quoque, conſcripto voluntariorum exercitu, cum tribus legionibus ad Sullam venit, ad quem ſe conferebat nobilitas omnis, vt, deſerta vrbe, ad caſtra rerum diſcrimina deuoluerentur. *y*) Ita potuit facile aduerſarum partium reliquias delere. DCLXXII. vterque conſul Cn. Papyrius Carbo, ea dignitate qui tertio fruebatur, et C. Marius, iſtius ſepties conſulis filius, ſibi et reip exitio fuit. Caium quidem Marium aetatis anno vigeſimo ſexto apud Sacriportum Sulla vincit, eiusque exer-

s) LIV. epit. 83. AVR. VICTOR c. 75. Auct. cit. *t*) Qui deſertus a ſuis, vt interficeret eum, ceruicem ſeruo praebuit. LIV. epit. 83. AVR. VICT. c. 74. VELLEIVS l. 2. c. 24. Alii. *v*) LIV. epit. 84. *x*) VELLEIVS. L. 2. c. 25. *y*) PLVTARCHVS in Sulla et Pompeio. LIVIVS epit. 85. VELLEIVS l. 2. c. 25. ceteri.

exercitu propemodum extincto, Praeneſte fugientem perſecutus eſt, obſedit, tandemque rebus ſuis deſperatis erumpentem per cuniculum ad internecionem adegit. *z*) Carbonem multis proeliis ad Cluſium, Fauentiam, Fidentiamque ſuperatum Italia expulit. Samnites ſoli adhuc arma nondum depoſuerant: atqui etiam iſtos iuxta vrbem Romam ante portam collinam fregit, neque ita magno negotio ſub poteſtatem ſuam redegit. Illorum dux, Pontius Teleſinus, cum exercitum educeret, Romanis dictitauit vltimam diem adeſſe, delendamque vrbem, quod nunquam defuturi eſſent raptores Italicae libertatis et lupi, niſi ſylua, in quam refugere ſolerent, eſſet exciſa. Itaque ad primam noctis horam dubio Marte pugnatum eſt: donec partes Sullanae victoriam reportarent. Poſtridie Teleſinus ſemianimis repertus, victoris, non morientis, vultum retulit: cuius abſciſſum caput, Sulla iubente, circa Praeneſte geſtatum, in oppido hoc cinctum obſidione Marium ad deſperationem commouit, vt ſaeuas tandem ſibimet ipſi manus inferret. *a*) Hoc modo Rempublicam Sulla recuperauit ſanauitque, durioribus tamen remediis, quam pericula fuere. *b*) Omnes enim, quos oderat, morte mulctabat, et ſuam, quae pulcherrima erat, victoriam inquinauit crudelitate, quanta in nullo homine vnquam fuit. Octo millia *c*) deditorum in villa publica trucidauit, vrbem totamque Italiam caedibus reple-

z) Cum per cuniculum euadere conaretur, ſeptus ab exercitu, quod ſentiret ſe minime gentium erumpere poſſe, in ipſo cuniculo ſibi mortem conſciuit. LIVIVS epit. 88. *a*) LIVIVS epit. 87. 88. VELLEIVS l. 2. c. 26. 27. PLVTARCHVS in Sulla. FLORVS l. 3. c. 21. AVR. VICTOR c. 79. et 72. LVCANVS l. 2. APPIANVS l. 1. OROSIVS l. 5. c. 21. *b*) SENECA de benefic. l. 5. c. 10. *c*) Ita LIVIVS l. c. Sed FLORVS l. 3. c. 21. quatuor millia deditorum fuiſſe dicit; AVR. VICTOR cap. 79. nouem millia.

repleuit, omnes Praeneſtinos inermes concidi iuſſit, Marium quendam ordinis ſenatorii virum cruribus brachiisque fractis, praeſectis auribus, oculisque effoſſis, necauit, vt per ſingula membra moreretur. *d*) Auctoritate ſua propria, vi et armis, primus ſe dictatorem *e*) perpetuum dixit, re vera Imperatorem Romanum aut Regem creauit, ac faſcibus XXIV. vt ante eum nemo, proceſſit. Proſcriptionis tabulam propoſuit, qua continebantur nomina eorum, quibus exſpectanda nulla gratia eſſet: fuerunt autem illorum duo millia, qui mori iubebantur. Omnium proſcriptorum bona vendidit, eorumque liberis eripuit facultatem atque ius in Rep. vllos honores conſequendi. Spoletum, Interamnium, Fluentiam ſub haſta vendidit. Sulmonem plane deleuit. Carbonem in Sicilia Pompeii manu interemit: qui in Africa etiam Cn. Domitium proſcriptum, et Hiarbam, Numidarum regem, bellum molientes, ſed victos, necauit. Dictator pro arbitrio ſuo conſtituit omnia, tribunorum plebis poteſtatem minuit, illisque ius omne concionandi et legum ferendarum ademit. Senatum ex equeſtri ordine ſuppleuit. Ecquis enarrare omnia poterit? Paucis, nemo vel bona, vel patriam, vel denique vitam, iſto inuito, retinuit: ad quae tyrannidis maximae conanima ex fortiſſimis Romanis ne quidem hiſcere quisquam auſus eſt. Nam et Lucretium Aſellam, partium ſuarum ducem, in foro iugulari iuſſit, quod, contra dictatoris voluntatem, conſulatum petere auſus fuerat. *f*) Tandem, vel ex conſcientiae morſu, anno DCLXXV. dictaturae omnique magiſtratui ſe, vt priuatus viue-

d) LIVIVS epit. 88. FLORVS l. c. Auctores, quos paulo ſuperius indicaui. *e*) Cuius honoris vſurpatio, inde ab Hannibalis ex Italia diſceſſu, per CXX. annos erat intermiſſa. *f*) Auctores toties iam citauimus.

viueret, abdicauit. Quamobrem ſperni coeptus Puteolos conceſſit, et anno ſequenti DCLXXVI. morbo, tyrannis digno, pediculari, quem phthiriaſin vocant, miſere interiit, aetatis anno quinquageſimo nono. Honor ipſi defuncto habitus eſt a ſenatu, vt in campo Martio cremaretur, et magnifico funere efferretur. Voluit autem primus e patriciis Corneliis cremari, timens fortaſſis, ne corpori ſuo accidat, quod C. Marii, cuius reliquias, ad Anienem fluuium ſitas, ex acerbiſſimo hoſtis ſui odio, diſſipari olim ipſe iuſſerat.

§. III.

Literatos fouit quam maxime, ſed eos,

- - - *quibus arte benigna*

Et meliore luto finxit praecordia Titan.

Cum aliquando malus poeta librum illi de populo ſubieciſſet, atque in eum feciſſet epigramma tantum alternis verſibus longiuſculis, ſtatim ex illis rebus, quas tunc vendebat, iuſſit praemium dare miſero poetae, ſub hac conditione, ne quid poſtea ſcriberet. *g)* Roſcius contra, hiſtrio et ſcenicus actor, Sullae dictatori chariſſimus fuit, atque cum cenſu equeſtri ab eo annulum aureum accepit: eaque gratia et gloria gauiſus eſt, vt mercedem diurnam de publico mille denarios ſolus obtineret. *h)* Ipſe Imperator facundus, et eruditus, et gloriae cupidus erat. Nec obſtat Iulii Caeſaris *i)* vel iocus, vel ſcomma, *Sullam neſciſſe literas, qui dictaturam depoſuerit.* Suam enim ipſe fortunam reſpexit, eandemque in imperio Romano ſummam poteſtatem, quam Sulla, nemine illi reſiſtente, vi et virtute conſecutam, vltro tandem reſignauerit: quod idem ſe nunquam facturum,

L 3 quoad

g) CICERO pro Archia orat. cap. 10. *h)* MACROBIVS Saturnal. l. 3. c. 14. *i)* Apud SVETON. Iul. c. 77.

quoad literas, ſiue grammaticam, calleret, vt dictare poſſet. Atque eam Caeſaris impotentiam, quam nullus propalam edere dubitabat, e Romanis plurimi, libertatem et priſtinum reip. ſtatum anhelantes, aegre ferebant, vſque adeo vt hunc ſuum Dictatorem perpetuum non longe poſt in ipſa curia, nihil amplius praeter eum timentes, necarent.

§. IV.

Scripſit L. Cornelius Sulla de rebus geſtis ſuis libros, *k*) quorum ſecundum A. GELLIVS, *l*) vigeſimum primum PRISCIANVS *m*) citat. Dicauit hos commentarios Lucullo ea lege, vt digereret poliretque iſtos, quoad commode fieri poſſit. *n*) Attamen Sulla praeuentus morte, plane opus illud abſoluere non valuit. Quare Cornelius Epicadius, libertus eius, librum, quem imperfectum reliquerat, poſtea ſuppleuit. *o*)

§. V.

T. POMPONIVS *p*) ATTICVS, *q*) eques Romanus, ab origine antiquiſſima, imo regia, *r*) patre diligente, opulento

k) PLVTARCHVS in vita Sullae. *l*) Noct. Attic. lib. I. c. 12. et lib. 20. c. 6. *m*) Lib. 9. *n*) Teſte PLVTARCHO in Lucullo. confer. VOSSIVS de hiſt. Latin. l. I. c. 9. qui putat id factum eſſe ab Epicadio, et libros oblatos Lucullo, vt ſupremam is manum adderet. *o*) Vid. SVETON. de illuſtr. gramm. cap. 12. *p*) Poſt adoptionem de qua vid. CORN. NEPOS Attic. cap. 5. Q. CAECILIVS POMPONIANVS ATTICVS nominatus eſt. *q*) Datum id cognomen ei eſt, quod Athenis diu vixit, et Graece peritiſſimus fuit, vt Athenis natus videretur: quod in vita ipſius NEPOS c. 4. prodidit. Confer. CICERO de finib. l. 5. c. 2. Alium ſui temporis Atticum celebrat MARTIALIS lib. 7. epigr. 31. *r*) PLVTARCHO teſte in *Numa*, a Pompone, Numae filio, Pomponii credebantur deriuari. Vnde BARTHIVS Aduerſ. l. 42. c. vlt. Cornel. Nepot. vt vulgo leguntur verba, in Pomponii Attici vita cap. I. *ab origine vltima ſtirpis Romanae generatus*, correxit, et *Regiae* pro *Romanae* ſubſtituit.

lento, et inprimis bonarum artium ſtudioſiſſimo, natus eſt anno DCXLIIII. *s*) Neque gloria maiorum, vt fieri ſolet, elatus, nihil ipſe bonae mentis, aut propriam ſuo nomini dignitatem quaeſiuit; nouo potius ac fortiori naturae inſtinctu, et proficua parentum cura, maiorum premere veſtigia corporis et animi dotibus, atque illorum, quas continuo ad virtutis aemulationem intuebatur, praeclaras imagines augere valde cupiebat. Adoleſcentulus a patre literato literis inſtituitur, nec irrito conatu, cum eſſet in eo ſumma ingenii docilitas, et ille proficiendi amor, qui, defuncto etiam patre, omnes condiſcipulos et aequales ad idem ſtudium incitare potuit. Triſtiſſima tum erant belli ciuilis et primi triumuiratus tempora, quibus P. Sulpicius tribunus plebis legem tulit, vt Sullae imperium abrogaretur, Mario autem decerneretur Mithridaticum bellum. Quare ab Sulla, rerum obtinente ſummam, expulſus cum Mario in Laurentinis paludibus iugulatur. *t*) Haec prima fuit, poſt obitum patris, Attici adoleſcentuli calamitas, qui cum Sulpicio affinitate coniunctus erat, *v*) neque in eo tumultu facultatem ſibi eſſe videbat pro dignitate viuendi. Athenas ergo fugit, vt otium literarium conſequeretur, et ea ſtudia, quibus incubuit ab ineunte aetate, procul ab armis, et diſſidentium varia fortuna Romanorum ſtrepitu, tractare poſſet. Ibi gratia, humanitate, beneficiis et liberalitate, omnium in ſe conuertit oculos, adeo vt ſine inuidia, quod vſu raro venit, vniuerſis Athenienſibus in ciuitate cariſſimus eſſet, ac omnibus honoribus publice cumularetur. Atque etiam ſtuduit ea

s) Adeoque triennio maior fuit quam Cicero, cui XI. annis ſuperuixit. *t*) Confer. CICERO Catil. orat. 3. c. 10. VELLEIVS PATERC l. 2. c. 18. 19. FLORVS l. 3. c. 21. *v*) Nam Anicia Pomponii conſobrina M. Seruio, P. Sulpicii fratri, nupſerat. NEPOS. Attic. c. 2.

ea ciuitas, ſua iura illi tribuere: *x*) quae quidem vel ideo noluit accipere, quod ciuitatem Romanam, adſcita alia, neceſſario perdidiſſet. *y*) Prohibere tamen non potuit, quin ſtatuae illi ſanctiſſimis locis ponerentur. Sulla ex Mithridatico bello, quod in Aſia confecerat, reuertens in Italiam, vt Marium turbaret, quoad verſatus eſt Athenis, Pomponium noſtrum ab ſe nunquam dimiſit: neque tamen illi perſuadere potuit, vt ſecum rediret Romam; dicebat enim: *noli, oro te, aduerſus eos me velle ducere, cum quibus ne contra te arma ferrem, Italiam reliqui.* Tandem, res cum viderentur eſſe magis tranquillae, Romam rediit. L. Aurelio Cotta et L. Manlio Torquato Coss. qui DCLXXIX. vna primum et decennio poſt ſecundum conſulatum obtinebant. Hic optimarum partium eſſe, neque tamen ciuilibus fluctibus vnquam ſe committere voluit. Neque honores petiit, in eo rerum ſtatu vacillanti et ambiguo, cum vel propter gratiam, vel propter merita, illi magiſtratus et omnium dignitatum gradus paterent. *z*) Quamobrem CICERO, *a*) cuius Quinto Fratri ſoror Attici nupſerat, et quocum a condiſcipulatu coniunctiſſime viuebat, *mihi perſpecta eſt*, ſcribit, *et integritas, et magnitudo animi tui: neque ego inter me atque te quicquam intereſſe vnquam duxi, praeter voluntatem inſtitutae vitae, quod me ambitio quaedam ad honorum ſtudium, te autem alia minime reprehendenda ratio ad honeſtum otium duxit.* Cum ciuile bellum inter Caeſarem atque Pompeium ſuboriretur, aetatis vſus eſt vacatione (erat

x) Eo videtur CICERO reſpexiſſe, quando ciuem Attici Demoſthenem vocat l. 2. epiſt. 1. *y*) CORN. Attic. c. 3. Confer. CICERO pro Caecinn. c. 34. *cum ex noſtro iure duarum ciuitatum nemo eſſe poſſit, tum amittitur haec ciuitas, cum is receptus eſt in aliam.* *z*) NEPOS Attic. c. 6. *a*) Ad Attic. lib. 1. epiſt. 14.

rat autem ſexaginta circiter annos natus) et, quum alii qui a Pompeio, vel honores vel diuitias, ceperant, eius caſtra ſequi opus haberent, nuſquam ex vrbe ſe mouit, quanquam illos ad Pompeium proficiſcentes re ſua familiari iuuaret. Ita neque Pompeium ſibi coniunctum offendit, neque Caeſaris gratiam perdidit: cui grata fuit Attici quies adeo, vt vel ipſi, vel cognatis, moleſtus eſſe nullo modo potuerit. Quum ille rerum ſumma potiretur, gratus fuit Attico: eidemque paulo poſt Caeſaris interfectores, Brutus et Caſſius, familiares et accepti fuerunt: ita tamen vt ſine factione officia putaret amicis eſſe praeſtanda. Rurſum Antonio potenti adulatus eſt, neque iſtos publicae libertatis vindices, eiectos Italia deſperatosque, reliquit. Cum Antonius, quod Cicero Philippicis orationibus perfecerat, hoſtis iudicatus Italia cederet ac ipſe, cum tota familia, maximo odio a plerisque proſequeretur, etiam intima familiaritate ſibi iunctis, Ciceroni et Bruto, indulgere nihil voluit ad Antonium violandum: potius illum cum Fuluia vxore et, quotquot fuere, eius aſſeclis, quoquo modo potuit, potuit autem omnium maxime, iuuit, ac beneficiis ſibi totum deuicit. Ea tum Romae fati fortunaeque varietas erat, vt modo hi, modo illi verſarentur in ſummo, aut faſtigio, aut periculo. Breui poſt tempore Antonius in Italiam reuertitur, inito cum Lepido et Octauiano triumuiratu. Cum Antonio redit Sullana proſcriptio, et non potuit non funeſtus eſſe aduerſariorum exitus. Miſerabiles toto terrarum orbe fugiunt; ipſe Tullius, Antonio qui fuerat infenſiſſimus, capite truncatur. Neque Atticus, vel propter Ciceronis amicitiam, cum omnes eius amici proſcriberentur, ſaluum ſe fore et incolumem tum temporis ſibi perſuadere poterat: vt incertus ac timoris plenus, cum Q. Gellio Canio ſodali, apud Volumnium

M late-

lateret. Antonius vero, haud immemor beneficiorum, ſua manu ad Atticum ſcribit, ne timeret ſtatimque ad ſe veniret: atque etiam praeſidium mittit, ne quid forſan illi noctu aduerſi accideret. Ita *ſui cuique mores fingunt fortunam.* *b*) Tandem in affinitatem Octauiani Auguſti peruenit. Filiam ſuam virginem collocarat Agrippae, ex quo matrimonio neptem vix anniculam, Agrippinam, Caeſar Tiberio Claudio Neroni, Druſilla nato, priuigno ſuo, deſpondit. *c*) Haec coniunctio neceſſitudinem ſanxit, et familiaritatem Caeſaris, quam dudum fuit expertus, multo frequentiorem reddidit. Neque intermiſſit Octauianus vnquam ad Atticum noſtrum literas mittere, atque verboſiores eius epiſtolas elicere. Vix interceſſit dies, quo non poeticam quaeſtionem proponeret, aut aliquid de antiquitate quaereret, aut aliud ad eum ſcriberet. Ita noſter Atticus vere philoſophus, qui non vt vulgo ſolent, *gloriae animal et popularis aurae vile mancipium* *d*) fuit communis infimis, par principibus. Non ſine omnium luctu, ſeptem et ſeptuaginta annos natus Romae, Cn. Domitio et C. Soſio Coss. ab V. C. DCCXXII. pridie Kalend. Aprilis placide obdormiuit. *e*)

§. VI.

b) CORN. Attic. cap. 11. eam ſententiam ſumſit ex PLAVTI Trinummo. A. 2. S. 2. v. 84. *Sapiens ipſe fingit fortunam ſibi.* Vid. etiam CICERO paradox. 5. *c*) CORN. l. c. cap. 19. conf. SVETONIVS Tiber. cap. 7. *Agrippinam, M. Agrippa genitam, neptem Caecilii Attici, equitis Romani, ad quem ſunt Ciceronis epiſtolae, duxit vxorem.* *d*) Verba ſunt HIERONYMI ad Iulianum epiſt. 23. *e*) Cetera deſcribuntur a CORNELIO in Attici huius vita: quam qui leget, ciuilis prudentiae, atque adeo omnium virtutum ab oculos ſibi poſitum videbit exemplum. Conferri meretur diſſertatio inſcripta *T. Pomponius Atticus ſiue ciuis tranquillus in Republ. turbata,* quae ſub praeſidio IACOBI SCHALLERI ventilata eſt Argentorati 1651.

Digitized by Google

§. VI.

Erat in Attico, etiam adhuc puerulo, vt NEPOS in eius vita teſtatur, praeter ingenii docilitatem, ſumma oris ac vocis ſuauitas, vt omnia excellenter pronunciaret Graece et Latine. Sermonis vero Latini elegantia erat tanta, vt, in eo natiuum quendam, non adſcitum, leporem eſſe, appareret. Etiam poemata pronuntiabat Graece et Latine, ſic vt ſupra nihil poſſet. Neque ſolum magnus philoſophus erat, verum etiam Ciceronis amor eum φιλορήτορα reddit. *f*) Progredientibus annis, inſignem obtinuit, cum facundia et viribus animi, ſapientiam: quam comitabatur admirabilis literatorum omnium fauor et beneuolentia. Quoſuis ipſe iuuare ſtuduit opibus ſuis, quae maximae erant, ne ſtudii eiusdem participes, forte fortunarum et aeris ſui expertes eſſent. Sic C. Marium adoleſcentem *g*) ſuis opibus iuuit, cum hoſtis iudicatus fugeret Sullae ex Campania Romam reuertentis tyrannidem. *h*) Sic quoque Marco Ciceroni, quem pari modo incitauit ſtudiis in iuuentute *i*) et inter amicos habuit cariſſimum, *k*) in omni periculo fidem ſingularem praebuit: eique fugienti ex patria LLS. ducenta et quinquaginta millia donauit. *l*) M. Bruto Italia cedenti

 LLS.

f) CICER. ad Attic. l. 1. epiſt. 8. *g*) Fuerat ille C. Marii ſepties conſulis filius, Attici condiſcipulus, quem cum aliis ſtudio ſuo incitauerat: a Sullanis ad Praeneſte, quo Conſul confugerat, interemtus. VELLEI. PATERCVL. l. 2. c. 27. *h*) CORN. Attic. c. 2. confer. FLORVS l. 3. c. 21. *i*) Vnde CICERO ad famil. l. 7. epiſt. 31. Atticum vocat ſocium ſtudiorum ſuorum. *k*) Quod ex XVII. epiſtolarum libris, quos ad Atticum Cicero ſcripſit, abunde patet. Confer. CORN. eius vita cap. 5. *l*) CORN. Attic. c. 4. *Seſtertius* autem pars quarta denarii eſt; *denarius* pars octaua nummi noſtri imperialis, quem Vallenſem, vulgo thalerum vocant: vt, ſi Romanos cum noſtris nummis comparare velimus, Cicero 7812. acceperit imperiales cum ſemiſſe.

Digitized by Google

LLS. centum millia muneri miſit: eidemque in Epiro dari trecenta iuſſit. *m*) Idem L. Iulium Calidum *n*) poetam a P. Volumnio in proſcriptorum numerum, vel propter diuitias, relatum eximi curauit propter ingenium et elegantem eruditionem. *o*) Continuo in familia ſua pueros literatiſſimos habebat, quibus in ſtudiis et bibliotheca tractanda vtebatur: atque inter hos erant anagnoſtae optimi, qui domino in ſeriis ſtudiis, et inter epulas clare et expedite praelegebant: erant librarii plurimi, quorum opera in libris exſcribendis verſabantur. Denique vix erat ex pediſequis Attici quisquam, qui non ſua arte literisque humanioribus imbutus, liberalis et elegantiſſimi ingenii delicias excitare, et fouere, et quoquo modo iuuare poterat. In conuiuio eius aliud acroama nemo audiuit, quam anagnoſten: et nunquam ſine aliqua lectione coenatum eſt apud eum: vt conuiuae non minus animo, quam ventre delectarentur.

§. VII.

Inter eius ſcripta, quae proh dolor, interiere omnes, numerantur libri *annales*, quorum mentionem fecerunt Corn. Nepos *p*) Cicero *q*) Asconivs Pedianvs *r*) plures alii. Praeſtantiam et argumentum Corn. *s*) his verbis indicat: antiquitatem *adeo diligenter habuit cognitam, vt eam totam in eo volumine expoſuerit, quo magiſtratus ornauit. Nulla enim lex, neque pax, neque bellum, neque res illuſtris eſt populi Romani, quae non in eo ſuo tempore ſit notata: et quod difficillimum fuit, ſic familiarum origi-*

m) Corn. l. c. cap. 8. *n*) Al. Calidius vocatur. *o*) Corn. l. c. cap. 12. *p*) Hannibal c. 13. Attic. c. 18. *q*) Ad Attic. lib. 12. epiſt. 23. In oratore cap. 34. de claris orator. cap. 3. et 4. *r*) In orat. pro Corn. et in Piſon. *s*) Attic. c. 18. Pl. conf. G. I. Vossivs de hiſtoricis Latinis lib. I. cap. 11.

Digitized by Google

originem detexuit, vt ex eo clarorum virorum propagines poſſimus cognoſcere. Deinde ſeparatim, eodem teſte *t*) *Iuniam* familiam ordine enumeraiut, cum origine, honoribus, atque fatis. Pari modo ſingulares concinnauit libros de *Marcellorum, Corneliorum, Fabiorum,* et *Aemiliorum* familiis. Illuſtrium virorum *imagines* edidit, et verſibus non amplius quaternis quinisue ſubiectis, vniuscuiuſque merita magiſtratusque notauit. *v*) Atque etiam Graeca lingua *de conſulatu Ciceronis* ſcripſit. *x*) Frequens literarum commercium illi fuiſſe cum ipſo Tullio, Antonio, Caeſare, aliis ciuitatis ſuae principibus, arguunt partim elegantiſſimi, qui ſuperſunt, illius eloquentiae maximi patroni ad Atticum epiſtolarum libri; partim quod CORNELIVS in eius vita memoriae prodidit, Caeſarem nunquam ad ſuorum quanquam literas miſiſſe, quin Attico mitteret, ac verboſiores eius epiſtolas eliceret: neque minus ab Antonio accurate ex vltimis terris, quid ageret, quid curae ſibi haberet, Atticum eſſe certiorem factum. Quoniam vero nihil prorſus ad ſecula noſtra peruenit: illis diutius immorari, ſuperuacaneum eſſet; lites et controuerſias mouere, inſanum. Proinde laudabiliter facta, et nominis praeclari gloriam immortalem, ſufficiat nobis nunc in aliis vidiſſe.

§. VIII.

CN. POMPEIVS *y*) natus eſt iisdem, quibus Cicero, Q. Seruilio Caepione et C. Atilio Serrano Coss. A. ab V. C.

t) l. c. *v*) CORN. Attic. c. 18. confer. PLINIVS hiſt. natur. l. 35. c. 2. *x*) Praeter CORN. l. c. vid. CICERO ad Attic. lib. 2. epiſt. 1. confer. pl. G. I. VOSSIVS. l. c. *y*) De Pompeii vita et rebus geſtis videantur omnino PLVTARCHVS, SVETONIVS in vita Iul. Caeſar. CICERO paſſim, DIO, VELLEIVS, LIVIVS aut FLORVS, hiſtoriae Romanae ſcriptores reliqui.

V.C. DCXLVII. prid. Kalend. octobr. *z)* patre Cn. Pompeio Strabone illo, qui anno DCLXV. cum L. Portio Catone deſignatus Conſul, Marſico bello res praeclare geſſit. *a)* Exemplo igitur patris optimi, prudentiſſimi ducis, ingenium alacre ſuum, et ad ſumma quaeuis natum, ab ineunte adoleſcentia, omnibus virtutibus, et praeter literarum artiumque liberalium doctrinam, militari prudentia imbuit. Meruit primum ſtipendia, cum adhuc iuuenis eſſet, in Cinnae caſtris: vbi ab Imperatore ipſo notatur falſo crimine: vt clam aufugerit, ac nemine deinceps eum conſpiciente, creditus ſit a Cinna interfectus. Quare ex turba multi flagrantes ira odioque inueterato, quod fouit in dies maiori tyrannide, anno DCLXX. facto impetu Cinnam in ipſis caſtris interfecerunt. Poſthaec ad Sullam Pompeius ſe contulit, qui eum cum imperio et exercitu in Siciliam mittit, vt ibi agentes Cn. Carbonem et M. Perpennam, hoſtes ſuos, frangeret. Nec irrito conatu. Vix enim Siciliam attigit, cum totam inſulam recuperaret, eiecto Perpenna, captoque Carbone Conſule, quem nec lacrumarum habita ratione DCLXXII. occidit. Sullae Dictatoris iuſſu deinde pergit cum exercitu in Africam ad gerendum bellum aduerſus Cn. Domitium et Hiarbam Maurum et Numidiae Regem, quod ſuſceperit extincti Carbonis ex Sicilia copias. Quibus ingenti proelio ſuperatis atque caeſis, cauſſam omnem intra XL. dies confecit, eamque regionem ſub poteſtatem ſuam redegit. Clariſſimus victor Romam redux ab ipſo Sulla, illi obuiam

z) Quod VELLEIVS lib. 2. PLINIVS hiſt. natur. lib. 37. cap. 2. et alii diſerte ſcribunt. Confer. FABRICII hiſtor. Ciceron. hoc anno n. 24. Sed IOH. FVNCCIVS Euſebium ſecutus ad annum V. C. 652. Pompeium natum eſſe dicit chronol. p. 86. D. *a)* Vid etiam A. GELLIVS noct. Attic. l. 15. c. 4.

uiam prodeunte, inſigni cum honore atque gaudio accipitur. Neque ſolum ab illo *Imperatoris* et *Magni* nomen obtinuit, verum etiam curru triumphali vectus, cum eques Romanus et XXIV. annorum adoleſcens eſſet, praeter conſuetudinem, ipſum triumphum. De qua extraordinaria dignitate CICERO: *b) Quid tam praeter conſuetudinem? quam homini per adoleſcenti, cuius a ſenatorio gradu aetas longe abeſſet, imperium atque exercitum dari, Siciliam permitti, atque Africam, bellumque in ea adminiſtrandum. Bellum in Africa maximum confecit. Victorem exercitum deportavit. Quid vero tam inauditum? quam equitem Romanum triumphare. At eam rem populus Romanus non modo vidit, ſed etiam omni ſtudio viſendum putauit &c.* Anno ab V. C. DCLXXVI. Sulla diem obiit ſupremum, et honorifico elatus funere, in campo Martio ſepultus eſt. Conſul ergo M. Aemilius Lepidus de actis Sullae reſcindendis leges tulit: quibus Lepidi in conſulatu collega Q. Luctatius Catulus et plures alii aduerſabantur. Hinc ciuile bellum: quo Pompeius noſter cauſſam egit ſtrenue; M. Brutum, cuius ope Lepidus Galliam citeriorem obtinuerat, Mutinae occidit, et cum iſto libertatis patriae proditore, S. P. Q. R. omni timore liberauit: maxime quod Lepidum ipſum cedere Italia, et in Sardiniam fugere coegerat: vbi iſte bellum, ſed irrito conatu, moliturus breui poſt exſpirauit. Interea temporis ex reliquiis Cinnanae factionis *c)* Sertorius, vir ſummae, aſt calamitoſae, virtutis, captans Hiſpaniae regnum, nouo ſenatu ex trecentis, quos ſecum habebat, amicis inſtituto, et inita cum

b) In oratione pro lege Manilia cap. 21. *c)* Sertorius Marianarum ante partium, cum Sullae proſcriptionem effugiſſet, Hiſpaniam contra Romanos ſolicitauit.

Digitized by Google

cum Mithridate ſocietate, omnem Hiſpaniam cum eius accolis concitauerat blanditiis ſuis ad bellum Romanis inferendum. Aduerſus hunc Sulla Dictator primo Metellum Pium Conſulem cum ſelecta manu miſerant. Iam vero et Lepidi fractis partibus M. Perpenna cum exercitu ſuo ſatis formidabili ad Sertorium venit atque illius caſtra mirifice auxit, ad Reip. terrorem. Cum ergo Metellus Senatui Romano aduerſus Sertorium impar videretur: ex ſenatus conſulto Pompeius DCLXXVIII. in Hiſpaniam extra ordinem accepit imperium: vt arma ſua cum Metello coniungeret. *d*) Quamobrem illis obuiam factus confligit primo ad Sucronem: in qua pugna vulneratur a Sertorio; Perpenna vero fugatur a Metello. Poſt iterum congreſſi ad Seguntiam Sertorius fundit Pompeium, Metellus Perpennam. Tertio conflicturi Sertorius inſectatur Metellum; ſed interueniente Pompeio receſſit. Ita Romani ciuitates, quas ſub poteſtate ſua Sertorius habebat, maiori inuadunt conatu, neque paucas expugnant. Deinde vario Marte committuntur prœlia, donec Sertorius ipſe, quod ſtiparet ſe Celtiberico ſatellitio, ſuis inuiſus anno ab V. C. DCLXXXI. ducatus ſui octauo a M. Perpenna aliisque coniuratis in conuiuio fuerit truncatus: *e*) vt rerum ſumma transferretur ad Perpennam: quem biennio poſt Magnus Pompeius acie inſtructa vicit, captumque interemit. Ita ille imperator tandem DCLXXXIII. ducatus ſui quinto, bellum decennale confecit, ac omnes Hiſpaniae prouincias ſub Romanorum poteſtatem redegit. Ipſe vero, quod nulli ante eum accidit, priusquam conſulari dignitate in vrbe eſſet, altera vice, eques Romanus induxit currus trium-

d) LIVIVS epit. 91. ſeqq. FLORVS l. 3. c. 22. *e*) Vid. APPIANVS belli ciuil. lib. 1.

triumphales: atque numerans oppida DCCCLXVI. ab Alpibus ad vlterioris Hiſpaniae fines occupata, cum Metello, felici huius calamitoſiſſimi belli ſucceſſu ſuisque victricibus armis gloriari potuit. Sequenti anno DCLXXXIV. cum M. Licinio Craſſo, etiamſi non geſſerit quaeſturam, eques Romanus conſulatum iniit, quod praedicat quoque CICERO: *f*) *Quid tam ſingulare, quam vt ex ſenatus conſulto legibus ſolutus, conſul ante fieret, quam vllum alium magiſtratum per leges capere licuiſſet?* Hoc tempore Cilicibus, Iſauris, et Pamphiliis bello Mithridatico ad facinora quaequae et res illicitas inuitatis, tanta breui tempore piratarum multitudo viſa eſt in mari mediterraneo, vt Romanis, toto orbe imperantibus, tuta nequidem in proximis littoribus nauigatio eſſet. Aliquoties iſti ab Romanis ducibus, cumprimis ab Seruilio Iſaurico, repelluntur; ſed non potuerunt ſupprimi et exſtingui, priusquam circa annum DCLXXXVII. Pompeius aduerſus illos pugnare iuſſus eſt. Hic diuiſis copiis omnes maris aditus ab Herculeo freto ad Helleſpontum et Ciliciam vſque obſidet: piratas ipſos deinde ſelecta manu aggreditur, et nauali proelio vincit omnes: tanta peſte Remp. liberat, ac virtute ſua mare tutum reddit, adeo vt poſthac nulli vſquam in Romanis ditionibus piratae amplius conſpicerentur. Victoriae magnitudo et gloria vel inde patet, quod teſte PLINIO, *g*) DCCCXLVI. piraticae naues

N captae

f) In oratione pro lege Manilia, c. 21. *g*) Hiſtor. natur. lib 7. cap. 25. et 26. Pompeius magnus, in rerum a ſe geſtarum triumphique decreti memoriam, Mineruae templum exſtruxit, atque non ſolum ibi triumphalia ſigna, verum etiam geſtorum breuiarium, marmoreae tabulae inciſum, poni curauit. Illud apud PLINIVM l. c. ſed corruptum et mutilatum exſtat. Proinde accuratius paulo ex ipſa tabula, cuius a ſe viſi MARLIANVS vrbis Romae to-

captae fuerint. Hoc quidem perdifficile bellum intra paucos menſes confecit: nam extrema hieme apparatum, ine-

pogr. l. 5. c. 2. meminit, expreſſum, et feliciter conſeruatum in veteri quodam Livii exemplari, ex Bibliotheca Norfolciana et annot. ad Liu. edit. Oxonienſ. 1708. 8. vol. 6. p. 259. illud transſcribere hic loci operae praetium eſſe duxi.

ROME. IN. TEMPLO. MINERVAE.

P. VRB. S. P. Q. R. GN. POMP. MAGNVS.
IMP. BELLO. XXX. AN.
CONFECTO. FVSIS. FVGATIS. OCCISIS.
IN. DEDITIONEM.
ACCOEPTIS. HOMINVM. CENTIES.
VICIES. SEMEL. LXXXXIII.
MILIB. DEPRESSIS. AVT. CAPTIS. NAVIBVS.
D. C. C. C. XL. V. I.
OPIDIS. CASTELLIS. M. D. XXX. V. III. IN.
FIDEM. RECEPTIS.
TERRIS. A. MEOTI. AD. RVBRVM. MARE.
SVBACTIS. V. M. M.

Tum ſequitur arcus triumphalis figura, ſub qua:

AD. III. K. OCTOBR.

CVM. ORAM. MARITIMAM. PREDONIBVS.
LIBERASSET. ET.
IMPERIVM. PO. RO. RESTITVISSET. EX.
ASIA. PONTO. ARMENIA.
PAPHLAGONIA. CAPADOCIA. CILICIA.
SYRIA. SCYTIA. IVDEIS.
ALBANIS. HIBERIA. INSVLA. CRETA.
BASTERNIS. ET. SVPER.
HEC. DE. REGIBVS. MITRIDATE.
ATQVE. TIGRANE. TRIVMPHAVIT.

ineunte vere ſuſceptum, media aeſtate confectum fuit. Pompeius autem, vt a Brunduſio profectus eſt, vndequinquageſimo die totam Ciliciam ad imperium populi Romani adiunxit: omnes qui vbique praedones fuerunt, partim cepit et interfecit, partim in deditionem aſſumſit. *b)* Tunc Manilius Tribunus Plebis rogationem tulit, *vt omnes exercitus, quos vnquam Romani extra Italiam habebant, et totius Aſiae adminiſtratio, vna cum bello contra Mithridatem et Tigranem, Pompeio committeretur.* Quam legem cum populus Romanus vno omnium conſenſu probaret, ac ratam eſſe vellet; optimates vero contra pugnarent: Marcus Tullius tum temporis Praetor, Caeſaris amicitia fretus, pro lege Manilia, in laudem dignitatemque Pompeii, orationem elegantiſſimam dixit tanto applauſu, vt Pompeius eodem anno cum ſelecta fortique manu, etiam Lucullo aemulo ſuo inuito, ad bellum gerendum aduerſus Mithridatem proficiſceretur. Hoſtem in Armeniam minorem primo, deinde proelio equeſtri victum in Tigranis Armenicas ditiones vſque perſequitur: vbi rurſum eius caſtra aggreſſus, coeli et lunae beneficio, pugna nocturna milites confundit pellitque in fugam. Ita cogitur Mithridates ad generum Tigranem ſe conferre: abs quo tamen, cum ſuſpectus ei ſit factus, non ſuſcipitur: vt in Boſphorum reuerteretur. Hic miſer potentiam Romanorum timet, quoad ipſum filium ſuum Pharnacem defeciſſe ac milites ad rebellionem ſolicitaſſe, maximo dolore et impatientia animi experiretur. Itaque primum hauſto veneno, corpus ſuum deſperans militi ad internecionem tradit. Deſertus quoque et oppreſſus a filio eiusdem nominis

b) Vid. CICERO orat. pro lege Manilia cap. 12. confer. FLORVS lib. 3. cap. 6.

minis Tigranes, cum aduentantem Pompeii exercitum pertimeſceret, prorſus abiecta mente, Romanis Artaxatam metropolin ſuam et ſemetipſum permiſit. Quamobrem ex ſingulari gratia Pompeius Armeniam et theſauros illi reſtituit; Cappadociae vero et Syriae partem ademit cum Phoenice et Sophene, etiam tributum imperans et magnam pecuniae ſummam. Vnde CICERO: *i*) *Cum Armeniorum Rege Tigrane graue bellum perdiuturnumque geſſimus, quum ille iniuriis in ſocios noſtros inferendis, bello prope nos laceſſiſſet. Hic et ipſe per ſe vehemens fuit, et acerrimum hoſtem huius imperii Mithridatem pulſum Ponto opibus ſuis regnoque defendit: et a Lucullo ſummo viro atque imperatore pulſus, animo tamen hoſtili, cum reliquis copiis ſuis in priſtina mente manſit. Hunc Cn. Pompeius, quum in ſuis caſtris ſupplicem abiectumque vidiſſet, erexit: atque inſigne regium, quod ille de ſuo capite abiecerat, repoſuit, et imperatis certis rebus regnare iuſſit: nec minus et ſibi et huic imperio glorioſum putauit, conſtitutum a ſe Regem, quam conſtrictum videri.* His atque aliis rebus fortiter geſtis, Pompeius in Syriam pergit, et Arabum Regem Aretam, huius prouinciae depopulatorem, proelio victum in deditionem accipit. Deinde progreſſus in Palaeſtinam, vti ſubortam de regimine controuerſiam Hircanum inter et Ariſtobulum ſedaret, illum primo congreſſu, hunc difficiliori proelio ſuperauit: Hieroſolymam occupauit, neque veritus eſt ſanctum ſanctorum ingredi. Poſtea Hircano Paleſtinae conſtituto Rege, in P. ntum et, hic quoque in fidem acceptis vrbibus, in Aſiam reuertitur. Anno ab V. C. DCXCIII. ſplendidiſſimum *k*) tertio et pridie Kalend. Octobris, adeoque per

i) Orat. pro Seſtio cap. 27. *k*) Magnificentiam huius tri-

per biduum, duxit Romae triumphum. Eius, PLINIO *l*) teſte, praefatio haec fuit: *Cum oram maritimam a praedonibus liberaſſet, et imperium maris populo Romano reſtituiſſet, ex Aſia, Ponto, Armenia, Paphlagonia, Cappadocia, Cilicia, Syria, Scythis, Iudaeis, Albanis, Iberia, Inſula Creta, Baſternis, et ſuper haec de regibus Mithridate atque Tigrane triumphauit.* Ipſe in concione gloriari potuit: *Aſiam vltimam prouinciarum accepiſſe, eandemque mediam patriae reddidiſſe.* Et *huius viri*, inquit VELLEIVS *m*) *faſtigium tantis auctibus fortuna extulit, vt primum ex Africa, iterum ex Europa, tertio ex Aſia triumpharet: et quod partes terrarum orbis ſunt, totidem faceret monumenta victoriae ſuae.* Res bene geſtas inuidia ſequitur, aemulos quae vexat vſque adeo, vt immemores ſui ac Reipublicae, omnibus et ſibi nocere malint, quam ea laudare, quae laudem merentur, ſuisque meritis auctorem celebrant. Pompeius facta ſua, et quae hinc inde regibus aut ciuitatibus dederat, ab Senatu Romano petebat, vt rata et Reip. vtilia habeantur. Fruſtra. Nam in diuerſa diuerſi, parum in tempore, videbantur ire. Inter ceteros victricibus armis clariſſimus Imperator ſibi maxime Luc. Lucullum et M. Catonem aduerſari ſentiebat. Caeſarem ergo ex Hiſpania reducem atque conſulatum expetentem ſibi conciliat, voti compotem facit, filiam eius Iuliam in matrimonium ducit, atque Craſſum, quem alio alioque modo ornauerat; ſimul in partes ſuas et ſocietatem rapit. Tres illi Reip. Romanae fortiſſimi ac potentiſſimi Principes in vrbe triumuiratum conſtituunt ac iure iurando ſibi inuicem negant in imperio defuturos; ſo-

umphi, per biduum acti, deſcripſerunt PLVTARCHVS in vita Pomp. et APPIANVS in Mithrid. extr. *l*) Hiſtor. natur. lib. 7. c. 26. confer. monumentum a nobis paulo ſuperius p. 98. productum. *m*) Lib. 2. cap. 40.

re potius affirmantes, vt mutua ſit omnium opera, praeſens auxilium, gratia conſtans, auctoritas communis. Eam *conſpirationem* Varro *tricipitinam* dixit. Pompeius autem factus eſt anno DCXCIX. ſecundo, et DCCII. tertio Conſul. Quae abhinc geſta ſint bello ciuili, et quam triſtis fuerit denique illius a parte Pompeii exitus, paulo inferius exponere inſtituimus in C. Iulii Caeſaris vita. Victorem Caeſarem fugiens noſter, ſed quantus Imperator, Aegyptum petit beneficiorum memor, quae exulanti Ptolemaeo, iſtius nunc viuentis parenti, in regnum reducendo praeſtiterat olim Romae. Sed, o fides! O ſpes in aduerſis beneficiorum fallaces! mittuntur ab Rege Aegypti qui venientem Pompeium exciperent atque hortarentur, vt ex oneraria tranſcenderet in eam nauem, quae obuiam proceſſerat. Quod cum feciſſet, in Peluſio portu, anno ab V. C. DCCVI. C. Caeſare et P. Seruilio Coſs. aetatis LVIII. iugulatur, eiusque caput Caeſari, eum perſequenti, obuiam mittitur: quod non ſine lacrumis ille accepit, ac honorifice concremari iuſſit. Corpus in Caſio monte, qui prope Peluſium eſt, ſepultum iacet. *n*)

§. IX.

Princeps ille Romani nominis *o*) quantus fuerit litterarum fautor, vel ex intima familiaritate patet, quam cum

n) STRABO Geograph. lib. 16. edit. Geneu. Caſaub. p. 523. ἔςι δὲ τὸ κάσιον, θινώδης τὶς λόφος ἀκρωτηριάζων, ἄνυδρος, ὅπου τὸ Πομπηίου τοῦ Μάγνου σῶμα κεῖται, καὶ Διός ἐςιν ἱερὸν κασίου. πλησίον δὲ καὶ ἐσφάγη ὁ Μάγνος δολοφονηθεὶς ὑπὸ τῶν Ἀιγυπτίων. *Caſius eſt mons aggeribus arenarum ſimilis, inque mare procurrens, ipſe aquarum inops. In eo Magni Pompeii corpus iacet, et Iouis Caſii eſt templum, nec procul inde Magnus iugulatus fuit, Aegyptiorum dolo circumuentus.* *o*) Ita illum VELLEIVS vocat lib. 2. cap. 53.

cum Cicerone, ſummo eloquentiae et artium bonarum magiſtro, ſemper habuit: *p*) vſque adeo vt illum vnice videretur diligere, et ex maxima conſuetudine, qua cum illo coniunctus erat, in ſermonibus ſaepe Cn. Cicero appellaretur. *q*) Nec deſiit illum amare, quum ipſe amore iſthoc ſe affligeret. *r*) Vnde huic vni Pater eloquentiae patriam, ſalutem, dignitatem et cum liberis ſemetipſum, velut de nouo poſt exilium reuiuiſcentem, omnium beneficiorum memoria, acceptum tulit. *s*) Ne quis vero putet ſolum Principes viros ciuitatis ſuae tanta gratia proſecutum fuiſſe: Poſidonium ſapientiae profeſſorem, *t*) quum eſſet profectus Rhodum, viſitauit, eiusque domum intraturus fores percuti ab lictore vetuit de more, et faſces lictorios ianuae ſubmiſit is, cui ſe oriens occidensque ſubmiſerat. *v*) Differentem eum compellauit eo tempore, quo ad bellum piraticum, mox aduerſus Mithridatem exercitum ducebat. Philoſophus tum magno Pompeio in diſceſſu interroganti, *ecquid mandaret*, *x*) reſpondit verbis Homeri: *y*)

αἰὲν ἀριστεύειν, καὶ ὑπείροχον ἔμμεναι ἄλλων.

Rem gere praeclare, atque aliis praeſtare memento.

Ex

p) Cicero orat. pro domo ſua ad Pontif. cap. 11. *Quod enim*, inquit, *par amicitiae fuit vnquam in hac ciuitate coniunctius, quam fuimus inter nos ego, et Cn. Pompeius?* Ad Attic. l. 1. epiſt. 14. *Vtor Pompeio familiariſſime.* Ita paſſim. *q*) Idem ad Attic. lib. 1. epiſt. 11. *r*) Ibid. lib. 2. epiſt. 19. *s*) Ad famil. lib. 3. epiſt. 10. *t*) De quo praeter Ciceronem, Strabonem, et alios variis in locis, vid. G. I. Vossivs de hiſtor. Graecis lib. 1. c. 24. et de Philoſ. ſect. c. 19. §. 12. *v*) Ravisii Textoris officina l. 4. c. 9. *x*) Diſcedentium Latinorum mos erat formula vſitata dicere, vt apud comicos et Ciceronem eſt, *Nunquid me vis?* *y*) Iliad l. 3. v. 208. Apud Strabonem Geograph. l. 11. p. m. 339.

Ex Syria decedens rurſum z) audire voluit Poſidonium: ſed quum cognoſceret eum grauiter aegrotare, nobiliſſimum Philoſophum tamen viſere voluit: quem vt vidit atque ſalutauit, et honorificis verbis proſecutus eſt, moleſte, inter alia dicens, ſe ferre, quod eum non poſſet audire: *tu vero*, inquit, *potes, nec committam vt dolor corporis efficiat, vt fruſtra tantus vir ad me venerit.* Itaque cubans grauiter et copioſe diſputare coepit, nihil eſſe bonum, niſi quod honeſtum. Eum ad ſuperſtitionem vſque fuiſſe Latinum, et linguae ſuae ſtudioſum, vel ex eo patet, quod, VARRONE atque TIRONE teſtibus, a) diu multumque dubitauerit, *Conſul tertium, an tertio*, dici debeat: tandemque, vt certior ea de re fieret, cauſſam ad viros ciuitatis doctiſſimos retulerit. b) Tantum vero doctis tribuit, vt, quum ipſe Conſul eſſet, a M. Varrone familiari ſuo librum conſcribendum expetiuerit, ex quo diſceret, quid faciendum aut dicendum ſit, cum ſenatum conſuleret. c) Ex multis eius, quas procul dubio ſcripſit, epiſtolis d) ſuperſunt hodie pauciſſimae. Sic habemus in opere Ciceroniano ad Atticum libri octaui epiſtolas duodecimam, decimam quartam, decimam ſeptimam, et tres ſequentes, ex illius magni Impe-

z) Vid. CICERO Tuſcul. quaeſtion. l. 2. cap. 25. CASAVBONVS comment. ad Strabon. l. c. p. 167. quidem putat ab Strabone Ciceronem differre: quod ille dicat de colloquio habito, cum Pompeius ad piraticum bellum proficiſceretur; hic vero tempus aliud notet, cum ex prouincia decederet. Fieri tamen facile potuit, vt Imperator philoſophum ſaepius et diuerſis temporibus conuenerit. a) Apud GELLIVM noct. Attic. lib. 10. c. 1. b) Pl. vid. huius diſſert. c. 1. §. 34. c) Vid. A. GELLIVS l. 14. c. 7. d) Epiſtolarum magnam copiam in Pharſaliis captam Iulius Caeſar concremauit. vid. PLINIVS hiſt. natur. l. 7. c. 25.

Imperatoris manu conſeruatas. Forſan et alia ſcripſit, quae noſtram memoriam fugiunt. CICERO *e*) eum *ſcriptorem luculentum* vocat. Alibi: *f*) *Meus autem*, inquit, *aequalis Cn. Pompeius vir ad omnia ſumma natus, maiorem dicendi gloriam habuiſſet, niſi eum maioris gloriae cupiditas ad bellicas laudes abſtraxiſſet. Erat oratione ſatis amplus, rem prudenter videbat, actio vero eius habebat et in voce magnum ſplendorem, et in motu ſummam dignitatem.*

§. X.

CAIVS IVLIVS *g*) CAESAR *h*) Cicerone ſex annis natu minor, ex nobiliſſima Iuliorum familia oriundus, anno ab V. C. circiter DCLII. patre Iulio, Romano patricio et praetore, matre Aurelia. Praeceptore M. Antonio Gniphone vſus eſt: et euaſit partim naturae beneficio, partim ſolicita educationis cura, ciuium Romanorum omnium excellentiſſimus, animi vigore acerrimus, ingenio feliciſſimus, ha-

O bitu

e) Ad Attic. l. 7. epiſt. 15. *f*) De clar. Orat. cap. 68. *g*) De vita et rebus geſtis huius Imperatoris fortiſſimi, et literarum fautoris optimi, videantur omnino praeter hiſtoriae Romanae ſcriptores ipſe in commentariis CAESAR, PLVTARCHVS, SVETONIVS, et qui creditur vitae illius conſcriptae auctor IVLIVS CELSVS, LVCANVS poeta, CICERO paſſim, e recentioribus plures alii. *h*) *Caeſar* non dictus primum Iulius noſter, vt quidam fabulantur, quod caeſo matris mortuae vtero natus eſſet. Ita quidem ISIDORVS orig. l. 9. c. 3. Nec quod cum caeſarie eſſet natus; vt FESTVS habet in voc. *Caeſar* & ISIDORVS l. c. Conſtat enim, matrem eius demum obiiſſe, cum Gallico bello implicitus Caeſar legionem amiſiſſet. Sed cognomen fuit hoc gentis Iuliae. Vid. FVLVIVS VRSINVS de fam. Rom. p. 1143. Confer. pl. CAROLVS SIGONIVS de nom. Rom. in Gothofredi collect. auctor. L.L. p. 1456. ſeq. vbi ex Servio et Spartiano id nominis deducit ab elephanto primum caeſo. Nam lingua Punica *Caeſar* elephas dicebatur.

bitu doctiſſimus, magnitudine incomparabilis. Annum agens decimum ſextum aetatis patrem amiſit. Mox flamen dialis deſtinatus amicam dimittit Coſſutiam ſibi deſponſatam, atque Corneliam, Cinnae quater conſulis filiam, in matrimonium ducit. Hinc primum ipſi infortunium. Sulla enim, dictator et hoſtis Cinnae iuratus, cum praeter ſpem ſumma rerum potiretur, et Caeſari perſuadere non poſſet, vt quam in matrimonio habebat, Cinnae filiam repudiaret: eum diuerſarum habuit partium, ac omnibus modis opprimere ſtuduit. Ita breui tempore et ſacerdotio, et coniugis dote, et gentilitiis hereditatibus ſimul priuatur: aliis quidem adhuc fauentibus illius virtuti; aliis contra ad internecionem eum conquirentibus: vt cogeretur e medio diſcedere, ac habitu fortunae ſuae diſſimili indutus vrbe ſimul atque imminente maximo periculo exire. Quartana febri tum laborabat: nihilominus, vt ſaluus eſſet, per ſingulas noctes alias quaerere latebras, ſuamque vitam pecunia redimere ab inquiſitoribus debebat: *i*) donec veſtalium virginum, Mamerci Aemilii, Aurelii Cottae, ceterorumque amicorum ſuorum interceſſionibus, et continuis precibus, veniam impetraret. Tum, quaſi diuinando, Sulla dixit illis, quibus fortuna Caeſaris curae cordique adeo fuit: *vincerent, ac ſibi haberent: dummodo ſcirent, eum, quem incolumen tantopere cuperent, quandoque optimatium partibus, quas ſecum ſimul defendiſſent, exitio futurum: nam Caeſari multos Marios ineſſe. k)* Caeſarem vero, quum in gratiam rediiſſet, multi honores ſequebantur, etiam cum iuuentutem

i) Confer. PLVTARCHVS Apophth. oper. p. m. 194. et SVETONIVS Caeſ. c. 1. et 74. *k*) Vid. PLVTARCH. Caeſ. vit. init. SVETON. Caeſ. c. 1. VELLEIVS PATERC. l. 2. c. 41.

tem bonis literis et arte militari tranſigeret: vbicunque virtutis ſuae relictis veſtigiis. Statim ac reuerſus fuerat Romam, per ſuffragia populi tribunus militum creabatur. Poſtea Quaeſtor vlteriorem Hiſpaniam obtinebat. Gadeis venit tum ad Herculis templum, vbi cum aſpexiſſet Alexandri M. ſtatuam, ſemet ipſum ignauiae accuſans ingemuit, quod nihil a ſe memorabile factum ea aetate, qua fuerit Alexander, cum maximas orbis regiones ſub poteſtatem ſuam redigeret, ſuisque victricibus armis imperium ſibi ampliſſimum, et immortalem nominis gloriam, compararet. Aliud quoque indicium fuit, quantus eſſet Caeſar futurus. Somniauit proxima nocte, matrem ſtupraſſe: quod interpretatum fuit de terra, omnium matre: et fore, vt illam ſibi ſubiectam videret. *l*) Nec vanum id eſſe, aut Alexandrum fuſis lacrumis imitatum ſolummodo fuisſe, per omnem aetatem abunde comprobauit. S. P. Q. Romanus perſpexerat dudum Caeſaris virtutem; vt facili omnium ſuffragio ab V. C. anno DCXCV. cum M. Calphurnio Bibulo ciuitatis ſuae Conſul crearetur. Poſt conſulatum Galliam ciſalpinam, Illyrico adiecto, Vatinia lege accipit: mox per Senatum quoque tranſalpinam vna cum legione in quinquennium. Atque etiam illo tempore prorogato, per nouem annos bellum fortiſſime et feliciſſime geſſit. *Omnem Galliam, quae a ſaltu Pyrenaeo Alpibusque et monte Gebenna, fluminibus Rheno & Rhodano continetur, patetque circumitu ad bis et tricies centum millia paſſuum, praeter ſocias ac bene meritas ciuitates in prouinciae formam redegit, eique quadringenties in ſingulos annos ſtipendii nomine impoſuit.* *m*) Heluetos, qui tunc temporis

O 2

l) Svetón. in eius vit. c. 7. *m*) Svetón. Caeſ. c. 25. confer, Evtrop. L 6. et ipſius Ivl. Caesaris de bello Galtico comment.

poris cupiebant mutare ſedes, ſuamque patriam incenſis tectis relinquere, et per Gallias tranſitum quaerebant, vicit, et quotquot ex proeliis ſupererant, ad priſtinas ſedes redire coegit. Poſtea inſtigatur ab Heduis et Sequanis, qui ab Ariouiſto, Germanorum Rege, ſe miſere oppreſſos ſentiebant, vt aduerſus Germanos exercitum duceret. Fretus ergo Romanorum vi et armis Teutones Gallis ciſrhenanos aggreditur, et Ariouiſtum cum ſelecta manu ingenti praelio caeſum vſque ad Rhenum perſequitur. Sequente anno DCXCVII. Belgas et vicinos eorum ſocios, quos hiberno tempore aduerſus Romanos foedus iniiſſe audiuerat, disiecit, ac imperio ſuo iuſſit ſubdere collum. Venetos quoque, nauali proelio turbatos, ſibi ſubegit: ac per legatos ſuos Aquitaniae incolas fere omnes vi et metu in deditionem accepit. Ea, quae ſecuta eſt, hieme anno DCXCIX. Germanos, qui trans Rhenum ſunt, primus Romanorum, ponte fabricato, maximis cladibus affecit. *n*) Deinde maluit experiri Britannos, qui hoſtibus Romani populi in Gallia aliquando venerant auxilio, vt impetu maiori et feliciori ſucceſſu ab ſe victricia Caeſaris arma auerterent. Inſulam ergo iſtorum, antea ſibi ignotam, claſſe circumuenit, ac vicibus iteratis facto proelio, tandem DCC. ab V. C. anno ſuperauit; petentibus pacem dedit, hac tamen lege, vt obſides et tributa haberet. Tantis victoriis, rebusque maximis tentatis, Imperator aduerſum caſum expertus non eſt, niſi in Britannia, eius claſſe maris fluctibus et tempeſtate iactata miſere ac propemodum abſumta; ad Gergouiam in Gallia, cum legionem Romanam funderent hoſtes; atque in finibus Germanorum, vbi per inſidias eius legati caede-

n) SVET. Caeſ. c. 25. IVL. CAES. de bello Gallico l. 4. PLVTARCH. Caeſ. p. m. 271. OROSIVS l. 6. c. 7.

caedebantur. Poſthaec Caeſar variis in locis bella geſſit, nunc aduerſus Gallorum aliquot populos rebellantes, nunc aduerſus Treuiros, nunc Britannos, nunc Germanos: vbi hoſtem cum non reperiret, in Galliam reuerſus Eburones et alias ciuitates, quae conſpirauerant, vicit; Regem Ambiorigem in fuga perſecutus, vbique victorias reportauit atque triumphos. *o)* Confecto bello Gallico, ſuboritur triſtiſſimum illud ciuile, Caeſarem inter atque Pompeium, quibus Reſpublica miſere afficitur. Cum aliis enim maximi illi Romanae ciuitatis Imperatores et patricii magis magisque extulerant capita ſua, conſularis vero et ſenatoria poteſtas vacillare, imo ſupprimi coeperat: aemulatio, inuidia et faſtus non potuerunt non funeſta Reip. tempora minari; certe libertatem extinguere priſtinam, leges inuertere, et commutatam rerum omnium formam introducere. Iam illis temporibus, quibus Marius, Cinna et Sulla ſummam rerum poteſtatem ſibi vindicabant, reſp. Romanorum in triceps imperium quaſi tranſmutata fuit. Extinctis illis, Craſſus, Pompeius M. et Iulius Caeſar in populo Romano principes fuere, qui totum imperium inter ſe quaſi diuidebant: Craſſo in oriente, Caeſare in occidente, praeſertim in Gallia, Pompeio Romae et in ipſo medio auctoritatem ſuam ſtabiliente. Caeſar, vt populum ſibi conciliaret, omnem mouit lapidem; atque etiam, vt neceſſitudinem et voluntatem Pompeii *p)* retineret, Octauiam ſororis ſuae neptem, quae C. Marcello nupta erat, illi detulit, Pompeii filiam, Fauſto Sullae deſtinatam, in matrimonium petiit.

o) Confer. Livii epit. lib. 103. 104 105. 106. 107. ſeq. *p)* Ille primo Iuliam Caeſaris filiam in matrimonio habuerat: qua defuncta, Caeſar nouum neceſſitudinis et amicitiae vinculum quaeſiuit.

tiit. Fuere tum quidem alii libertatis patriae ſtudioſi, et continuo ſe aggrauanti illorum potentiae oppoſuerunt: quos inter Cato, Cicero, Caſſii et Bruti celebrantur. Ex triumuiris Craſſus a Parthis caeſus obiit primum: vt videretur imperium bene inter Pompeium et Caeſarem diuiſum et ſtabilitum fore. Sed cum non poſſet coram ſe Pompeius parem pati, neque ſuperiorem Caeſar; concordiae autem ex inuidia male cohaerentis vinculum, quod ex vtriuſque matrimonio fuerat, publice rumperetur: ad funeſtum hoc ciuile bellum, nihil niſi legitima cauſſa vel iuris ſpecies deerat. Caeſar in Gallia et circumiacentibus prouinciis per nouem annos inſigni fortitudine ac felicitate res maximas geſſerat: quibus elatus praeter omnium exſpectationem a ſenatu poſtulauit, vt ſui etiam abſentis in ſecundi conſulatus petitione haberetur ratio: exercitus vero, cui praeerat, cum prouincia ſibi diutius permitteretur. Pompeius, qui maximam Romae poteſtatem habebat, Caeſaris arrogantiam et magnitudinem animi, vel tyrannidem metuens, noluit Romam, imperii ſedem, relinquere: ac poſtulatum Caeſaris, ceu legibus et libertati patriae aduerſum, ſenatu illi ſuffragante, negauit: fore potius, vt repudiaretur a conſulatu, aduerſus Remp. facturus, ſi non ante certam diem mittere legiones, ac prouincias ſibi commiſſas tradere velit. Scribit ergo Caeſar literas ad ſenatum, quas CICERO *q*) acerbas et minaces vocat: *paratum ſe imperium deponere, ſi idem Pompeius faciat; ceterum illo retinente, nec ſe depoſiturum: imo confeſtim venturum et vlturum iniurias illatas tam ſibi, quam patriae.* Statim ſenatus conſultum fit, vt Conſules, Praetores, Tribuni plebis,

q) Ad famil. l. 16. epiſt. 10. et alibi. Confer. Clariſſ. HARSCHERI elegantiſſ. diatribe de diuinatione Ciceronis p. 135. ſeqq.

plebis, quique conſulares eſſent in vrbe, darent operam, ne quid Reſp. detrimenti capiat. *r*) Qui pro Caeſare intercedebant, M. Antonius et Q. Caſſius, Tribuni plebis, peſſime habebantur, vt propediem ex vrbe ad Caeſarem, qui acceſſerat iam ad Rauennam, confugerent. Decernitur porro, vt Pompeius ex aerario pecuniam accipiat, qua ſuffultus maiori fortitudine ac impetu hoſtium inſultibus reſiſtere poſſit. Conſulares prouinciae priuatis, Syria Scipioni, Gallia Lucio Domitio, dantur. In reliquas prouincias praetores mittuntur. Tota Italia delectus habetur. Imperantur arma. A municipiis pecunia exigitur. Atque adeo parantur omnia, quibus opus erat ad tuendam patriam, et hoſtem primo quoque tempore armata manu reprimendum. Contra Caeſar, qui ſine legionibus ſe nullo modo ſaluum fore ſentiebat, incredibili celeritate progreſſus e Gallia in Italiam venerat, ac plurimas prouincias ciuitatesque occupauerat iamiam, vt maximam partem Italiae haberet dictis ſuis audientem. Ea re cognita, Pompeius et ambo Conſules C. Marcellus et L. Lentulus Roma Brunduſium, Apuliae oppidum maritimum, confugiunt primo, et breui poſt Dyrrachium nauigant. *s*) Caeſar illos continuo ſequitur Brunduſium vſque, ſed, deficiente idonea claſſe, vlterius progredi non potuit. Impeditus ergo in perſecutione cuſtodes imponit Brunduſio, et Romam reuerſus aerarium effringit, atque ex eo, quantum videbatur ipſi ad bellum gerendum ſatis, aurum argentumque diripit. Ibidem aduocata concione, iniurias inimicorum expo-

r) Cicer. l. c. *s*) Cicer. ad famil. l. 14. epiſt. 1. l. 16. epiſt. 11. ad Attic. l. 9. epiſt. 2. Lucanus l. 6. init. Appian. l. 2. Dio Cassius l. 41. *Dyrrachium* eſt Macedoniae portus et ciuitas celebris, quae hodie Italis *Durazo* appellatur.

Digitized by Google

exponit, ſuumque animum ſalutis publicae flagrantiſſimum, populo Romano conteſtatur. Poſtea cum ſuis copiis in Hiſpaniam, quam per legatos ſuos Pompeius regebat, proficiſcitur, vt ſecuritatem ſibi a tergo procuraret. Maſſiliam, quod portas ſuas claudens in itinere ſibi tranſitum negaret, obſidione cingit: quoad ciues duobus proeliis naualibus caeſi atque fatigati, ſe ſuaque Caeſaris poteſtati permitterent. Neque difficulter ceteros Pompeii legatos ipſi renitentes ad deditionem adegit. Dum feliciter Maſſiliae rem gereret Caeſar, cognouit Dictatorem ſe Romae a M. Lepido Praetore dictum eſſe. Properat ergo ad vrbem, imperii caput: vbi magiſtratu accepto, exulantibus omnibus, praeterquam Miloni, ad ſuos redeundi licentiam dedit, magiſtratus ſubrogauit, ſacerdotes ſuffecit. His atque aliis rebus perficiendis vndecim dies impendit, ac ſummam poteſtatem, quam Dictatores habent, ſibimetipſi abdicauit. Cum adhuc Dictator eſſet, anno DCCVI. ſecundo Conſul creatur, et cum eo Pub. Seruilius; lata lege, ne quis intra decem annos iterum Conſul fieret. Pompeius interea, Graeciam belli ſedem eligens, Dyrrachii copias, quas potuit, ex omni Aſia collegit; neque dubitauit, multis Regum orientalium auxiliis ſuffultus confirmatusque, parti aduerſae caſtra opponere. Sub finem anni Caeſar Roma cum exercitu ſuo Brunduſium pergit, ac in Epirum ſecundo nonas Ianuarii traiicit. Dyrrachium vlterius contendens a Pompeio e Macedonia intercipitur, et proelio vincitur ita, vt caſtra ſua in Theſſaliam transferre opus habuerit. Eo vſque Pompeius illum perſequens in campis Pharſalicis aciem denuo inſtruxit, e regione hoſtibus oppoſitam, atque felicem victoriae ſucceſſum exſpectauit. Sed vana ſpes erat. Extremo namque con-

Digitized by Google

congreſſus proelio vincitur a Caeſare, qui exercitum Pompeii tanto impetu concuſſit, vt disiicerentur omnes, et ipſe imperator fuga elapſus exigua naui in Aegytum tranſfretare conaretur. Ita Pompeius in ſcyllam incidit, qui charybtim vitare volebat. Nam iuſſu Ptolemaei Regis Aegypti, *t*) priusquam attingeret terram, in Peluſio portu occiditur, poſt tres conſulatus, totidemque triumphos, aetatis anno LVIII. Caeſari vero, cum perſequeretur Pompeium, illius caput traditur atque annulus, ad quorum conſpectum ipſe, inconſtantiam fortunae deploraturus, ex mente LVCANI, *v*)

- - - Lacrumas non ſponte cadentes
Effudit, gemitusque expreſſit pectore laeto.

Caput illud plurimis et pretioſiſſimis odoribus cumulatum poſtea honorifice cremari iuſſit. *x*) Neque tamen Caeſar ipſe Aegypti caruit inſidiis: e quibus aegre elapſus tandem cum exercitu et auxiliaribus copiis Mithridatis, Pergameni Regis, in Ptolemaeum et Cleopatram eius ſororem, de imperio diſceptantes, ſuaque interpoſita conſilia auerſantes, irruit, Aegyptum oppugnat, ac Rege in illis turbis vita defuncto, ſub poteſtatem ſuam redigit. Attamen vel propter amores, ſupplicanti feminae eximiae pulchritudinis, Cleopatrae, regnum victor permiſit. Ab Alexandria in Syriam primo, deinde in Pontum profectus rebellantem ac multiplici fortuna ferocem Mithridatis Magni filium, Pharnacem, intra quintum, quo adfuerat, diem, quatuor vero, quibus in conſpectum venit, horis, vna profligauit

P acie;

t) Cuius opem, vel propter beneficia parenti exulanti praeſtita Romae, cum reſtitueret illi regnum, exſpectare poterat. Confer. CICER. ad famil. lib. 1. epiſt. 1. ſeqq. *v*) Lib. 9. *x*) Vid. etiam VALERIVS MAX. l. 5. cap. 1. exempl. 10.

acie; vt triumphans dicere de illo potuerit: *Veni, Vidi, Vici.* Anno ab V.C. DCCVIII. Scipionem ac Iubam, partium reliquias in Africa, et ſeq. DCCIX. poſt ſuum in vrbem reditum, Pompeii liberos in Hiſpania deuicit. Romam reuerſus quatuor vno menſe triumphos egit, de Gallia, Aegypto, Ponto et Africa; quibus mox etiam quintum ex Hiſpania triumphum addidit, adhibito in vnumquemque diuerſo inſtrumento et apparatu. Poſt tantos rerum ſucceſſus et deuictas cum acie Pompeii aduerſas partes, antiquius nihil habuit, quam vt patres omnes dimitteret; etiam quotquot Pompeium ſecuti partes ſuas diſpexerant offenderantque, delicti gratiam a Caeſare viderent obtinuiſſe. Atque adeo libentius dedit vitam victor, quam victi acciperent. Bellis omnino confectis, praecipuos ſibi honores decerni paſſus eſt: vti ſcilicet *Pater Patriae* diceretur; vt in decennium *Conſul*, in perpetuum *Dictator* eſſet; *ſacroſanctus* haberetur; menſis quintilis nomine ſuo *Iulius* appellaretur; comitia etiam tributa in poteſtate haberet; vt ineuntes magiſtratus in acta ſua iurarent; ipſe autem *Imperator*, qui poteſtatem et auctoritatem in Rep. ſummam ſuis meritis obtinuerit, continuo audiret. Senatum atque ſtatus mutauit pro arbitrio, ordinauit, atque conſtituit. Faſtos iam pridem vitio pontificum, per intercalandi licentiam, admodum turbatos correxit. Annos dinumerauit ad curſum ſolis; et calendarium confecit, artium mathematicarum peritiſſimus, quod etiam hodie Iulianum vocatur. *y*) Ius ciui-

y) Confer. PLINIVS hiſt. natur. lib. 18. c. 25. MACROB. Saturn. l. 1. c. 16. Caeſar ipſe apud LVCANVM lib. 10. v. 185. ſeqq.

- - - media inter proelia ſemper
Stellarum coelique plagis ſuperisque vacaui:
Nec meus Eudoxi vincetur Faſtibus annus.

In theſauro Antiq. Roman. Tom. 8. exſtat vetus calendarium Iulia-

ciuile ad certum modum redegit, ex immenſa legum copia quasque optimas et maxime neceſſarias pauciſſimis libris comprehendens. His atque aliis rebus egregie, ſed arrogantius, geſtis, inuidiam mouit eorum, quibus patriae libertas curae cordique erat; adeo vt inuenti fuerint, qui L. Bruti ſtatuae non verebantur ſubſcribere: *vtinam viueres*! Caeſaris vero columnis: *Brutus, quia Reges eiecit, Conſul primus factus eſt: hic, quia Conſules eiecit, Rex poſtremo factus eſt.* Denique conſpirabatur in eum a plus quam LX. eiusdem conſortii viris: quos inter Caſſius, Marcus et Decius Bruti erant Principes. z) Ita Iulius Caeſar Idibus Martii anno ab V. C. DCCX. aetatis LVI. cum in vrbe vix quinque menſibus quietem poſt exantlatos labores, ac dulces victoriarum fructus perceperit, in ipſa curia Romana, et iuxta Pompeii ſtatuam tribus et viginti plagis interficitur. Extinctus morte, virtutibus meritisque indigna, lugetur ab aliis, et Quiritium conſenſu in Deorum numerum refertur. a) Eius poſt obitum honores, ſtatuae, fu-

P 2 neris

num, quod cum aliis recenſet Celeb. FABRICIVS biblioth. Latin. l. 4. c. 6. §. 8. pag. 770. ſeqq. De hiſtoria calendari Iuliani praeter SCALIGERVM, PETAVIVM et GASSENDVM conſulendus eſt FRANCISCVS BLONDELLVS peculiari libro, Gallice edito, *Hiſtoire du calendrier Romain.* Paris. 1682. 4. et Hagae Comit. 1684. 12. Et FRANC. BIANCHINVS diſſert. de calendario et cyclo Caeſaris, Romae 1703. fol. z) Vid. VELLEIVS l. 2. c 52. DIO et omnes hiſtoriae Romanae ſcriptores. a) An merito Iulius occiſus fuerit, diſputatur varie, et iam olim aliis peſſimum, aliis pulcherrimum facinus videbatur, teſte TACITO Annal. l. 1. c. 8. ad quem locum conferri merentur, quae CHRISTOPH. FORSTNERVS notauit: vbi praeſertim cum Dione praeiudicium diuinae vltionis aduerſus parricidas vrget, ac multis exemplis confirmat. Res tota illuc redire videtur, paſſionem iuſtam, actionem iniuſtiſſimam fuiſſe. Nam procul dubio Iuſtum Dei Iu-

Digitized by Google

neris pompa, cultus, percuſſorum poena, reip. ſtatus et mutatio; et ſi quae ſunt praeterea notatu digna, ab hiſtoriae Romanae ſcriptoribus ſatis clare et prolixe commemorantur.

§. XI.

Tantus Imperator ex Iulia familia, quem vidimus per vitam in aliquibus cum Alexandro M. comparari, in multis etiam praeferri poſſe domitori orientis illi ſtrenuo: vt ex more ſeculi ad ſummum honoris et felicitatis faſtigium perueniret: non ad laſciuiam et voluptates mulierculis et hominibus effeminatis permiſſus eſt ab ineunte iuuentute; ſed erudito et prudenti bonarum artium Doctori M. Antonio Gniphoni traditus, vt domi continuo et maxima cura literis ingenuis virtutibusque imbueretur. *b*) Vnde factum eſt, vt non ſolum re militari, verum etiam eloquentia praeſtantiſſimorum gloriam aequaret, vel excederet. Neque dubitauit ille nobilis Romanus in forum prodire, ac more ſolito clientum agere cauſſas, tanto ſtudio et alacritate, vt poſt accuſationem Dolabellae primariis aduocatis annumeraretur: *c*) et referente SVETONIO, *d*) pater eloquentiae, Tullius, oratores enumerans negaret *ſe videre, cui Caeſar debeat cedere:* diceretque eum *elegantem, ſplendidam quoque, ac etiam magnificam ac generoſam quodam-*

dicium, tum propter alia facinora, tum propter Pompeianorum partium funera, ciuilem ſanguinem, et perturbationem reip. tot vulnera infligere illi voluit, ac caedes tot funeſtas ea caede compenſare. Attamen conſilio auſuque peſſimo interfectores manus ſuas Imperatoris ſanguine commacularunt. Confer. DIO l. 44. princip. HVGO GROTIVS de Iure B. et P. l. 1. c. 4. §. 19. l. 2. c. 13. §. 15. l. 3. c. 19. §. 2. *b*) Vid. SVETON. de illuſtr. Gramm. cap. 7. *c*) SVETON. vit. Iul. Caeſ. c. 55. confer. VALER. MAXIMVS l. 8. c. 9. n. 3. *d*) l. c.

dammodo rationem dicendi tenere. e) Eodem teſte ad Cornelium Nepotem de Iulio noſtro ita ſcripſit: *Quid? oratorum quem huic antepones eorum, qui nihil aliud egerunt? Quis ſententiis aut acutior, aut crebrior? Quis verbis aut ornatior, aut elegantior?* Sed ex profeſſo in commentariis de claris oratoribus elegantiſſimus CICERO ingenium Caeſaris elegantiſſimum deſcribit, inter alia *f) illum omnium fere oratorum Latine loqui elegantiſſime, nec id ſolum domeſtica conſuetudine, - - - ſed quanquam id quoque credo fuiſſe, tamen vt eſſet perfecta illa bene loquendi laus, multis literis, et iis quidem reconditis et exquiſitis, ſummoque ſtudio, et diligentia eſt conſecutus.* Sic quoque VALERIVS MAX. *g) Diuus Iulius, quam coeleſtis numinis, tam etiam*

e) CICERONIS locus eſt de claris oratoribus cap. 75. *Caeſar autem rationem adhibens, conſuetudinem vitioſam et corruptam, pura et incorrupta conſuetudine emendat. Itaque quum ad hanc elegantiam verborum Latinorum, quae etiamſi orator non ſis, et ſis ingenuus ciuis Romanus, tamen neceſſaria eſt, adiungit illa oratoria ornamenta diſcendi, tum videtur tanquam tabulas bene pictas collocare in bono lumine. Hanc quum habeat praecipuam laudem in communibus, non video cui debeat cedere, ſplendidam quandam minimeque veteratoriam rationem dicendi tenet, voce, motu, forma etiam magnifica et generoſa quodammodo.* Pronunciabat enim, teſte SVETON. Caeſ. c. 55. voce acuta, ardenti motu geſtuque, non ſine venuſtate. *f)* Cap. 72. Neque audiendus eſt auctor de cauſſis corruptae eloquentiae c. 21. quum dicit, propter magnitudinem cogitationum et occupationes rerum C. Caeſarem minus eloquentia effeciſſe, quam diuinum eius ingenium poſtulauerit. Nam et illi praeter Ciceronem FABIVS QVINTILIANVS Inſtit. orat. l. 10. c. 1. contradicit quam maxime: *C. vero Caeſar,* inquit, *ſi foro tantum vacaſſet, non alius ex noſtris contra Ciceronem nominaretur. Tanta in eo vis eſt, id acumen, ea concitatio; vt illum eodem animo dixiſſe, quam bellauit, appareat.* *g)* Lib. 8, c. 9. n. 3.

humani ingenii perfectiſſimum columen, vim facundiae propriae expreſſit - - - in accuſatione - - - maxima tunc vis eloquentiae queſta eſt. Vigorem eius animi praeſtantiſſimum et diuinum PLINIVS *h*) depraedicare vel admirari ſatis non potuit; inter alia, ſcribere eum et legere ſimul, dictare et audire ſolitum fuiſſe; epiſtolas vero tantarum rerum quaternas pariter librariis dictare, aut ſi nihil aliud ageret, ſeptenas. Cumprimis literatus orbis Caeſari multa debet de elegantiſſimis *commentariis*, quibus bellum Gallicum et ciuile deſcripſit. *i*) Iuuenilium operum SVETONIVS *k*) meminit, et indicat *laudes Herculis*, tragoediam *oedipum*, et *dicta collectanea*; quos libellos omnes Auguſtus publicari noluerit. Scripſit quoque *orationes* aliquot; *l*) de *analogia* libros duos, totidemque *Anticatones*, *m*) ac praeterea poema, quod *iter* inſcribitur. *n*) Ἀποφθεγμάτων Caeſaris MARC. TVLLIVS *o*) mentionem facit, quae forſan eadem ſunt, dicta collectanea quae Tranquillus nominauit. *Auguralia* citantur a PRISCIANO; *libri auſpiciorum* a MACROBIO. *p*) Enimuero iſti libelli deſiderantur ad vnum omnes, praeter commentarios eius laudatiſſimos, qui tempora noſtra ſingulari Dei beneficio attigerunt. Nec paucas reliquerat epiſtolas, quae Tranquilli aeuo ſupererant. Ita enim ille:

q) E.

h) Hiſtor. natur. l. 7. c. 25. *i*) De commentariis iſtis vid. SVETON. Caeſ. cap. 56. GERH. IOH. VOSSIVS de hiſt. Latin. l. 1. c. 13. et quae nos inferius paulo notabimus, vbi de hiſtoricis huius aeui Latinis ſermo erit. *k*) In vita Iul. Caeſ. cap. 56. *l*) SVETON. l. c. cap. 55. confer. auctor de cauſſis corruptae eloquentiae c. 21. et 34. Celeb. FABRICIVS bibl. Lat. l. 1. c. 10. §. 8. p. 171. *m*) FABRIC. l. c. p. 172. *n*) SVETON. Caeſ. cap. 56. Plura poemata recenſet FABRIC. l. c. p. 172. ſeqq. *o*) Ad famil. lib. 9. epiſt. 16. *p*) Saturn. l. 1. c. 16.

q) Epiſtolae eius ad ſenatum exſtant, quas primum videtur ad paginas et formam memorialis libelli conuertiſſe, cum antea Coſſ. et Duces non niſi transuerſa charta ſcriptas mitterent. Exſtant et ad Ciceronem, item ad familiares domeſticis de rebus: in quibus ſi qua occultius perferenda erant, per notas ſcripſit, id eſt, ſic ſtructo literarum ordine, vt nullum verbum effici poſſet: quae ſi quis inueſtigare et perſequi vellet, quartam elementorum literam, i. e. D. pro A. et perinde reliquas commutaret. Hodie vero nihil eiuſmodi, nec reliquas Caeſaris epiſtolas habemus, exceptis pauciſſimis, quae inter Ciceronianas conſeruantur, vt ſunt ad Atticum libro nono quinta et octaua, rurſum libro decimo octaua: forſan aliae, quae nunc quidem mihi non occurrunt. FIRMICVS *r*) et SVIDAS *s*) affirmant Caeſarem noſtrum quoque *Arati Phaenomena* Latino carmine vertiſſe. Sed falluntur, et Germanicum Caeſarem cum Iulio Caeſare Dictatore confundunt. Nam et illi verſus, quos Priſcianus ex Arateo iſto carmine, Caeſarem praedicans auctorem, protraxit, non Iulii, ſed Germanici ſunt. Illum etiam aiunt *de ſiderum motu* ſcripſiſſe, *t*) lingua Graeca an Latina, VOSSIVS *v*) et FABRICIVS *x*) non conueniunt. Alia, quae falſo illi tribuuntur, non recenſeo.

§. XII.

Neque ſolum ipſe eruditus et optimarum artium ſtudioſiſſimus erat, vt ingenii ſui monumenta elegantiſſima dederit: verum etiam alios, quos ingenio, fama ſcriptisque excel-

q) In vit. Iul. Caeſ. cap. 56. *r*) Lib. 2. prooemio et lib. 8. c. 5. *s*) In γάϊος Ἰούλιος. *t*) MACROBIVS Saturn. l. 1. cap. 16. *Iulius Caeſar, vt ſiderum motus, de quibus non indoctos libros reliquit, ab Aegyptiis diſciplinis hauſit:* etc. *v*) De ſcientiis mathemat. c. 34. *x*) Biblioth. Latin. l. 1. c. 10. §. 9.

Digitized by Google

excellere vidit, ſuſpiciebat, ſuo fauore proſequebatur, atque beneficiis cumulabat. Amicos dilexit maximopere, et data quauis occaſione animum illis gratiſſimum teſtatus eſt. Ita comitantem ſe per ſylueſtre iter, ac ſubita valetudine correptum C. Oppium, in diuerſorio locauit, et ipſe maluit humi et ſub dio iacere. *y*) Cum ſumma rerum potiretur, quoſdam infimi generis ad ampliſſimos honores prouexit. *z*) Erga clientes ſtudium et fides nunquam defuerunt. *a*) Etiam in vlciſcendo leniſſimum, et ipſis hoſtibus ſuis facilem, fidumque ac pium ſe praebuit. *b*) Praeter alia certe incomparabilis inuictique animi exemplum recenſet PLINIVS: *c*) *captis apud Pharſaliam Pompeii M. ſcriniis epiſtolarum, iterumque apud Thapſum Scipionis, concremaſſe eas optima fide, atque non legiſſe.* At longe maxima eius fuit erga literatos omnes beneuolentia. Cum varia ſpectacula ederet, Decimum Laberium et Publium Syrum poetas celeberrimos adhibuit, vt mimos ſuos agerent: eorundemque operam abunde remuneraauit. *d*) Atque etiam ipſe, cum maximam in ciuitate haberet auctoritatem et potentiam, in poetarum collegium voluit adſciſci, et infra multos in ordine illo ſedere. *e*) Omnes liberalium artium doctores Romana ciuitate, quae maxima illis gratia erat, liberaliter donauit. *f*) Neque ſilentio praetermittendum eſt, maximum Imperatorem noſtrum, pro ſingulari erga bonas artes amore, bibliothecas Graecas et Latinas, quas inſtructiſſimas et maximas poſſet, publicare voluiſſe, data M. Varroni libros ſummo pretio vndiquaque colligendi poteſtate. *g*) Sed

y) SVETON. in eius vita cap. 72. *z*) Ibid. *a*) Ibid. cap. 71. *b*) Ibid. c. 73. 74. *c*) Hiſtor. natur. lib. 7. c. 25. *d*) Vid. ſeq. capite vtriusque poetae vitam. *e*) Pl. vid. VAL. MAXIMVS l. 3. c. 7. n. 11. *f*) SVETON, Iul. Caeſ. c. 42. confer. praeced. capit. §. 10.

g) Sed quantam aeris ſummam in eruditorum monumenta impenderit, vel ex eo patet, quod duas Timomachi tabulas LXXX. talentis ſibi comparauerit, Veneris templo ponendas. *h*)

§. XIII.

MARC. BRVTVS *i*) ſummo genere natus, iuriſperitiſſimi eiusdem nominis Bruti et Seruiliae, nobiliſſimae feminae, coniugum filius, *k*) Appii pulchri gener. *l*) et Lepidi filiorum auunculus erat. *m*) Ex ſuperioribus iam conſtat aetatem eius incidiſſe in triſtiſſimum et aliquoties ab nobis iam commemoratum ciuile, quod inter Caeſarem atque Pompeium fuit de principatu, bellum: atque etiam diximus illum M. Brutum inter praecipuos C. Iulii Caeſaris percuſſores profeſſum eſſe nomen ſuum. Nam et iactitat ille apud APPIANVM: *οὐδὲν πιστόν ἐστι ῥωμαίοις πρὸς τυράννους, οὐδ' ἔνορκον.* *n*) Romanus patricius hic praetor in ciuitate erat, tum praeclaris honoribus dignitatibusque ornatus, neque dubitabat, pro libertate patriae, quae videbatur periclitari, magna animi fortitudine, tanquam pro aris atque focis dimicare: totusque ab dominatione et ſeruitute abhorrens, quod a Caeſare oppreſſam remp. cerneret, cum

 aliis

g) SVETON. Iul. c. 44. *h*) PLINIVS hiſt. natur. l. 35. cap. 11. *i*) Brutorum primus fuit *L. Iunius*, ſororis Tarquinii filius, qui Bruti nomen adeptus eſt, quod ſimulaſſet ſtultitiam, ne ab auunculo occideretur, vid. LIVIVS l. 1. c. 56. Vnde OVIDIVS faſt. l. 2. v. 717.

Brutus erat ſtulti ſapiens imitator, vt eſſet
Tutus ab inſidiis, dire Superbe, tuis.

k) Vid. CICERO de officiis l. 2. cap. 14. SVETON. Iul. Caeſar. cap. 50. *l*) CICERO ad famil. l. 3. epiſt. 4. *m*) Idem libri ad Brutum epiſt. 19. *n*) De quo vid. HVGO GROTIVS de Iure B. et P. l. 2. c. 13. §. 15. Vid. etiam VELLEIVS l. 2. c. 56. et ibi BOECLERI annotat.

aliis ſalutem et priſtina iura patriae ſpirantibus, in exitium iſtius monarchae et horrendum parricidium conſpirare. Tradunt, Caeſarem, et ſicariorum turba et innumeris ictibus plagisque confuſum et abiectum, Marco Bruto noſtro irruenti tandem dixiſſe: καὶ σὺ εἶ ἐκείνων, καὶ σὺ, τέκνον. *Et tu vnus ex illis es? et tu, fili?* o) Coniecturam inde faciunt, modo illegitimo noſtrum ab Iulio progenitum fuiſſe. Quaſi vero ex amore non liceat quempiam appellare filium, quod a ſenioribus et patronis fieri, quotidie audimus et experimur. Attamen SLEIDANVS p) neſcio, inquit, id quomodo accipiant, quandoquidem ex Cicerone conſtat, Brutum annis quindecim fuiſſe natu minorem illo. VOSSIVS autem q) *Caeſar* Brutum *inter coniuratos videns, a quibus interimeretur, filium nominauit: et fortaſſe erat, quando cum matre eius Seruilia Caeſar conſueuerat.* Hoc nouimus, vel ex SVETONII r) relatione, Caeſarem fuiſſe pronum et ſumtuoſum in libidines, plurimasque et illuſtres feminas corrupiſſe: et ante alias dilexiſſe M. Bruti matrem Seruiliam, eamque conſulatu ſuo pretioſiſſimis muneribus, donationibus atque praediis ampliſſimis ornauiſſe. Neque ſolum ipſa Seruilia credebatur Caeſarem admiſiſſe, verum etiam illi Tertiam s) filiam ſuam adduxiſſe: vt fruſtra non fuerit iactatum a militibus per Gallicum triumphum. t)

Vrba-

o) SVETONIVS Caeſar, cap. 82. p) De quatuor ſummis imperiis lib. I. p. m. 115. Sed fallitur, vbi XV. annis Brutum eſſe minorem putat Caeſare. Nam ſi periit ille, vt infra videbimus, DCCXII. XXXVII. annos natus, teſte VELLEIO l. 2. c. 72. eum oportet fuiſſe natum DCLXXV. Quum ergo Caeſar natus eſt DCLII. Brutus minor fuit XXIII. annis. q) De hiſtoricis Latinis l. 1. c. 13. extr. r) Caeſar. cap. 50. s) *Tertiae* illius, quae ſoror fuit M. Bruti meminit CICERO ad Brut. lib. epiſt. 4. Confer. SVETON. l. c. t) SVETON. l. c.

Vrbani ſeruate vxores, moechum caluum adducimus.
Aurum in Gallia effutuiſti: heic ſumſiſti mutuum.

Quoquo modo res ſe habeat, Brutus noſter cum facinoris cruenti ſociis, etiam ſi pater ipſius fuiſſet, eademque arrogantia patriae libertatem fregiſſet, pacis publicae turbatorem enecare voluit. Quamobrem conſtanti animo, ni dicam ſuperbe ad Ciceronem, cum videret eum poſt Iulii caedem Octauiano adulari, quadam velut indignatione ſcripſit: v) *Mihi prius omnia dii deaeque omnes eripuerint, quam illud Iudicium, quo non modo heredi eius, quem occidi, non conceſſerim, quod in illo non tuli; ſed ne patri quidem meo, ſi reuiuiſcat, vt patiente me plus legibus ac ſenatu poſſit.* Perpetrato ſcelere Brutus cum ſociis ſuis ſtricto gladio ſe in capitolium recipit. Deliberatur ex altera parte, Cæſaris internecionem vltura, anne cum auctoribus parricidii ipſum capitolium incendi deberet. x) Cicero autem, qui non potuit conſilii expers fuiſſe, etiam ante diem XVI. Kalend. Aprilis (caedes facta eſt ipſis idibus Martii DCCX.) quantum in ipſo fuit, reconciliationis fundamenta iecit, omnemque diſcordiarum memoriam ſtuduit obliuione ſempiterna delere: ipſe Antonius, qui tunc

 tem-

cap. 51. Idem cap. 49. alius conuicii mentionem facit: quod inſignem prae ſe fert turpitudinem. Mira non nemini haec militum licentia videri poſſet: ſed notandum eiusmodi dicteriis datum fuiſſe olim in triumphali pompa locum: vt inter praemia virtutis triumphator etiam vitiorum admoneretur, neque ſibi nimium placeret. Ita IVVENALIS ſatyr. 10. v. 41.

Quippe tenet ſudans hanc publicus, et ſibi Conſul
Ne placeat, curru ſeruus portatur eodem.

v) In ſyſtemate Ciceroniano, ad Brutum, qui inſcribitur, libri epiſtola 22. x) Confer. OROSIVS l. 6. c. 17.

temporis Conſul erat, pacis obſidem filiolum ſuum in capitolium miſſum tradidit, et multis verbis de concordia orationem habuit. Ita percuſſores Caeſaris e capitolio deſcenderunt, ac Brutus quidem apud Lepidum, Caſſius apud Antonium, ceteri apud alios caenarunt: vt penes Brutos et Caſſium eſſe reſp. et tota ciuitas ſe ad iſtos conuertiſſe videretur, et parum abeſſet, quin iſtis priuatum aerarium ab equitibus Romanis conſtitueretur. *y*) Interea temporis Antonius callide omnia ſimulabat, donec ſe firmis certisque praeſidiis contra omnem metum muniiſſet. Satis vero clare teſtatus eſt animum, indicto Caeſaris funere exſtructoque rogo: *z*) cum non ſolum oratione ac funebri laudatione, verum etiam geſtibus triſtiſſimis, et elata in altum cruenta Caeſaris toga, cum imagine foedata ſanguine, populum ad commiſerationem et percuſſorum vltionem excitaret: vt eo ſpectaculo et miſeranda voce commota plebs ſtatim a funere cum facibus e rogo raptis ad Bruti et ſociorum domus aduolarint, ab quibus aegerrime et manu, et vi, et precibus vicinorum, ne nunc incendio delerent omnia, repelli potuerunt. Itaque partium et maxime Antonii metu M. Brutus cum Caſſio et aſſeclis in Graeciam atque Aſiam fugit, cauſſamque ſuam pro libertate patriae agit ſtrenue: vt eius epiſtolae praeſertim his temporibus ad Ciceronem ſcriptae teſtantur. In illis anguſtiis Bruto abiecto Italiaque cedenti Atticus LLS. (illo ſigno *ſeſtertii* notantur) centum millia muneri miſit: rurſum in Epiro trecenta iuſſit dari. *a*) Breui poſt tempore Caeſar Octauianus cum M. Antonio coepit armis contendere de imperio: vt tempus eſſet ac facultas Bruto et Caſſio exulantibus con-

y) Vid. CORN. NEPOS Attic. cap. 8. *z*) Vid. SVETON. Caeſar. c. 84. *a*) CORN. Attic. cap. 8.

conquirendi exercitum aduerſae parti ſatis formidabilem. Cum ergo potentiam illorum in oriente magis magisque cum inſigni ſuarum partium iniuria creſcere ſentiret Antonius, ac vereretur ne ſuperiores euadant: ipſe autem, ſi vel maxime vinceret Octauianum, minime gentium poſſit rerum ſumma potiri: Caeſarem Octauianum ſcripta epiſtola certiorem facit de omnibus: quam inimicae ipſi Pompeianae partes forent: in quod iam emerſiſſent faſtigium: quanto Ciceronis ſtudio Brutus atque Caſſius attollerentur, qui iam ſeptendecim legionum potentes ſint: ſimulque denunciat ſe cum iſtis copias ſuas coniuncturum, ſuam ſi velit Caeſar aſpernari concordiam. *b*) Haec Caeſar Octauianus ſecum perpenſitans, cogitansque ſine aliorum ope nequaquam ſe Brutum aut Caſſium armis vlciſci poſſe, quandoquidem opes iſtorum ſuas longe ſuperarent, vt ne quidem ſolus cum ſolis confligere auſus fuerit: M. Antonium et M. Lepidum validiſſimis copiis inſtructos ſibi foedere iungit. Ad conſtituendam triumuiratus ſocietatem remque publicam ordinandam, poſt Mutinenſe bellum in Labinii amnis inſula conueniunt, et Romanum imperium veluti quandam poſſeſſionem inter ſe partiuntur ita, vt Caeſar vtramque Lybiam cum Sicilia et Sardinia, Lepidus Hiſpaniam et Galliam Narbonenſem, Antonius reliquas obtinuerit Gallias. Atque etiam Lepidum, vt Romam cum reliqua Italia tueatur, in ſequentem annum DCCXII. crearunt Conſulem. Caeſar et Antonius in oriente Bruti et Caſſii partes elatas aggrediuntur, et bellum, quod decreuerant, fortiter gerunt: praeuia lege Q. Pedii (vnde Pedia vocatur) hoc anno DCCXI. conſulis, *c*) qua omnibus

 qui

b) Vid. VELLEIVS lib. 2. cap. 65. *c*) VELLEI. l. 2. c. 69. add. DION. l. 46. APPIAN. l. 3. LIVIVM epit. 120. qui Caeſarem hanc le-

qui cum Iulii Diui Caeſaris percuſſoribus facerent, ignis et aqua interdicebatur. Quum haec ad Bruti atque Caſſii aures perlata eſſent, vterque eo animo in hoſtes iturum ſe mutua fide recipit, vt iſtos forti manu aut vinceret, aut victores deinceps non metueret. Vndiquaque militem conſcribunt, exercitumque ſibi comparant maximum, apud Athenas conueniunt, totam depopulantur Graeciam, et Rhodios terra marique oppugnatos ad deditionem cogunt, praeter vitam iſtis nihil relinquentes. *d*) Tandem Caeſar et Antonius cum ſuis copiis in Macedoniam obuiam veniunt patriae hoſtibus, ſuaque caſtra ad vrbem Philippos *e*) e regione iſtorum caſtris opponunt. Caeſar Octauianus quidem eo tempore inualidus atque aeger volebat in caſtris, capiendae quietis cauſſa, manere. Sed hortatu atque precibus medici ſui, qui per ſomnum ſe monitum fatebatur, vt eo die Caeſar ſalutis ſuae gratia exercitum educeret; ipſe cum ſuis copiis in aciem deſcendit. *f*) Heic pugnatum eſt acerrimo proelio, ſed Marte dubio: cum Brutus Caeſarem, Antonius Caſſium in fugam pelleret, et caſtra ab victoribus vtrinque expugnarentur. Caſſius vero

gem tuliſſe dicunt: nimirum quod Caeſar Pedium collegam in conſulatu eam ferre iuſſerat. Alii eam pro lege non eſſe habendam putant, cum neque in vniuerſum neque in futurum ſit lata. vid. ROSIN. antiq. Rom. l. 8. c. 27. *d*) VAL. MAXIMVS lib. 1. cap. 5. exemplo 8. memoriae prodidit, orantibus Rhodiis, ne cunctis Deorum ſimulacris ſpoliarentur, ſolem a ſe relinqui Caſſium reſpondiſſe. confer. OROSIVS l. 6. c. 18. *e*) Vnde hoc bellum *Philippenſe* dicitur. Nomen autem praebent Philippi, vrbs Macedoniae in Thraciae finibus, vltra Strymonem; non ficta quaedam vrbs Theſſaliae, vt veteres et noui ſcriptores errarunt. vid. CELLAR. geogr. praefat. et in notis ad Corn. Nepot. Attic. c. 11. *f*) Vid. SVETONIVS. Octau. Aug. cap. 13. OROSIVS l. 6. c. 18. BOECLERVS annot. in Vellei. l. 2. c. 7. p. m. 154.

vero proſpiciens e longinquo Brutum cum equitatu ſuo, arbitratus eſt ab illa parte hoſtes etiam in ſe irruere, et maluit liberti ſui Pindari manu interire, cui, vt truncaretur, extentam ceruicem interritus praebuit. *g*) Interim M. Brutus exercitus ſui reliquias vndiquaque collectas rurſum aduerſus Romanorum potentiam eduxit. Tum, nequid ſine auſpiciis fieri crederetur, ab VALER. MAX. *h*) notatum eſt, duas aquilas ex diuerſis caſtris aduolaſſe, pugnaque inter ſe edita, quae a parte Bruti fuerat, aquilam, omine malo, male multatam fugiſſe. M. Brutus certe hoc altero proelio victus et in fugam compulſus, Stratonem fugae comitem rebus deſperatis exorat, vt manum morituro commodaret ſibi: ita perfoſſus gladio miſere vitam DCCXII. ſeptimum et trigeſimum annum aetatis agens finiuit. *i*) Poſtea Bruti caput, vt Caeſaris ſtatuae ſubiiceretur, Romam mittitur. Octauianus cetero in ſplendidiſſimum quemque captiuum, non ſine verborum contumelia, ſaeuiit: quo quidem ſucceſſu victoriae ſuae male eſſe vſum, SVETONIVS *k*) ait. Daemonum apparitionibus qui facile capiuntur et φαντάσμασι, haec notare poſſunt ex FLORO *l*) et PLVTARCHO, *m*) Brutum cum in Aſia commoraretur, aliquando concubia nocte, omnibus altiſſimo ſilentio ſopitis, quum ipſe admodum tenui vteretur lucerna, et vigilaret anxius curis, ſpectrum intrare vidiſſe, quod percunctanti, *quiſnam hominum aut Deorum eſſet*, *aut quid ſibi vellet*, reſpondit: *tuus*, *o Brute*, *malus ſum genius*, *apud Phi-*

g) VELLEIVS l. 2. cap. 70. *h*) Lib. 1. cap. 4. exempl. 6. *i*) VELLEI. PATER. l. c. conf. eiuſd. l. 2. c. 72. Integrum hoc Bruti et Caſſii bellum deſcribunt praeter Velleium FLORVS l. 4. c. 7. Dio l. 47. et ex eo ZONARAS t. 2. PLVTARCHVS in vit. APPIAN. l. 4. *k*) In eius vita cap. 13. *l*) lib. 4. c. 7. *m*) In vita Bruti.

Philippos me iterum videbis. Videbo, tum Brutus reſpondiſſe dicitur imperterritus: atque etiam illud ſpectrum pridie cum vltimo proelio ſuperaretur, in Philippis rurſum Bruto ſed mutum ſe ſtitiſſe. Sed nolumus B. L. eiusmodi fabellis fatigari. Hoc tamen, vt cruenta finiatur tandem tragoedia, non poſſumus ſilentio praeterire, Bruti vxorem, quae Portia erat M. Catonis filia, cum audiſſet maritum ſuum apud Philippos victum et ſua manu interemtum eſſe, deficiente ferro, ardentes ore carbones deuoraſſe, et eadem deſperatione cum infelici coniuge ſuo ad inferos manes deſcendiſſe. *n*) Haec vita, hic triſtis exitus virorum, quibus patriae libertas adeo curae cordique fuit, vt maluerint peſſime mori, quam condere imperium monarchae, et in ſeruitute, quamuis etiam maxime potuiſſent ſplendide, viuere. *Nec facile reperias*, vt VELLEII PATERCVLI *o*) verbis vtar, *quos aut pronior fortuna comitata ſit, aut veluti fatigata maturius deſtituerit, quam Brutum et Caſſium.*

§. XIV.

Vir ſui temporis Brutus erat vt in rep. grauis et ſpectatiſſimus, ita omnium doctiſſimus et eloquentiſſimus, atque is, qui Marco Tullio valde familiariter vtebatur. Inter ambo neceſſitudinis et amicitiae intimae veſtigia ſunt et teſtimonia ſatis luculenta in omnibus propemodum Ciceronis operibus. Scripſit ille non ſolum ad M. Brutum, et accepit ab illo viciſſim, epiſtolarum magnam copiam, ſed integros quoque libros: quales ſunt inſcripta *Brutus* ſeu de claris oratoribus commentatio elegantiſſima; item orator *Bruto* inſcriptus, et codices alii. Laudat in illis Cicero non ſemel Bruti animum, eruditionem, virtutes ceteras: nec

n) VALER. MAX. l. 4. c. 6. exempl. 5. *o*) l. 2. c. 69. extr.

nec parum conducit ad commendationem eius, quod inſigni diſcendi cupiditate ab optimis oratoribus continuo perquiſiuerit, quod eloquentiae genus probetur maxime, et quale videatur illud, cui nihil addi poſſit, quod CICERO *p*) ſummum et perfectiſſimum iudicauerat. Quare, *magnum*: inquit *q*) *opus omnino et arduum, Brute, conamur, ſed nihil difficile amanti puto. Amo autem et ſemper amaui ingenium, ſtudia, mores tuos. Incendor porro quotidie magis, non deſiderio ſolum, quo quidem conficior, congreſſus noſtros, conſuetudinem victus, doctiſſimos ſermones requirens tuos, ſed etiam admirabili fama virtutum incredibilium, quae ſpecie diſpares, prudentia coniunguntur. Quid enim tam diſtans, quam a ſeueritate comitas? Quis tamen vnquam te aut ſanctior eſt habitus, aut dulcior?* Etiam Cicero, commotus hortationibus Bruti, libellum concinnauit de optimo genere dicendi: in quo quidem ille diſſentit ab auctore, vt ipſe TVLLIVS *r*) conqueritur, ad Atticum ſuum cauſſam referens. Annales Fannii Brutus noſter redegit in compendium, quod CICERO *s*) *Bruti epitomen Fannianorum* vocat. Item fecit compendium hiſtoriarum Caelii Antipatri: vnde CICERO: *t*) *Epitomen Bruti Caelianorum velim mihi mittas*. Ibi quidem MANVTIVS *v*) librum de illuſtribus in Caelia familia viris intelligit: ſed VOSSIVS *x*) aliter ſentit, et ipſum Antipatrum hiſtoricum, quod diximus, in compendium redegiſſe putat. Librum eius *de officiis* CHARISIVS citat *y*)

p) Oratore cap. 1. *q*) Ibid. cap. 10. *r*) Ad Attic. lib. 14. epiſt. 17. *s*) Ad Attic. lib. 12. epiſt. 5. confer. G. I. VOSSIVS de hiſtor. Latin. l. 1. c. 7. p. m. 28. et c. 13. p. 68. *t*) Ad Attic. lib. 13. epiſt. 8. *v*) Comment. in Cicer. l. 12. ad Attic. epiſt. 5. *x*) De hiſt. Lat. l. 1. c. 8. p. 32. et c. 13. p. 68. *y*) Lib. 1.

Digitized by Google

et PRISCIANVS, *z) de patientia*, DIOMEDES. *a)* Epiſtolas praeterea ſcripſit multas, quarum hodie adhuc nonnullae ſuperſunt, ac inter Ciceronianas conſeruantur. Sunt autem Bruti ex illis, quae *ad familiares* vulgo inſcribuntur, libro vndecimo II. III. XXIII. ex illo *ad Brutum* libello IV. X. XII. XIII. XVII. XIX. XXII. XXIII. omnes magno ſpiritu et inſigni eloquentia conſcriptae.

§. XV.

D. OCTAVIANVS *b)* CAESAR *c)* AVGVSTVS *d)* natus eſt M. Tullio Cicerone et M. Antonio Coſſ.

z) Lib. 6. *a)* Lib. 1. *b)* Dictus eſt *Octauianus* poſt adoptionem, cum antea nominatus eſſet *Octauius*. vid. DIONEM CASSIVM lib. 46. et quae CELLARIVS ex eo ad Eutrop. 7. 1. 3. notauit. De antiquitate gentis Octauiae vid. SVETONIVM Aug. c. 1. 2. cum BERNEGGERI annotationibus. *c) Caeſaris* nomen obtinuit a D. Iulio Caeſare, qui adoptauit eum. *d)* Cognomen, honoris gratia Imperatori noſtro datum, vnde commodius poſſit deriuari, adhuc ſub iudice lis eſt. Quidam ab auium geſtu guſtuue eſſe malunt. Ita FESTVS in h. v. *Auguſtus, locus ſanctus ab auium geſtu, id eſt, quia ab auibus ſignificatus eſt, ſic dictus: ſiue ab auium guſtatu: quia aues paſtae id ratum fecere.* Atque etiam VOSSIVS etymol. f. 55. 56. in ea haereſi eſt, praeterquam quod ſimpliciſſime verbum hoc deducat ab *augurio*. MARTINIVS etymol. p. 94. ab ἀυγὴ *ſplendor*, et ἀυγάζω *ſplendeo*. Alii (quorum ſententia magis arridet) volunt eſſe hoc vocabulum ab *augeo*. Nam vltima terminalis *ſtus* nihil impedit, et ſuam in lingua Latina vbique analogiam reperit: ita enim *venuſtus* eſt a *venere*, *robuſtus* a *robore*, ab *vnco vnguſtus*, a *fide fiduſtus* etc. vid. VOSSIVS l. c. Sed falluntur et inſignem antiquitatis ignorantiam produnt, et vim vocis non ſatis aſſequuntur, qui *augere* in ea ſignificatione ſumunt, vt *auguſtus* ſit, qui honoribus auctus, dignus veneratione, et maieſtate plenus. vid. MARTINIVS l. c. Errant multo magis, qui *auguſti* nomen Imperatoribus inditum eſſe putant ab *augendo* et amplificando imperio: vnde vernacula ab Germanis hodie

Coſſ. anno ab V. C. DCXCI. IX. Kal. Octobris, patre C. Octauio
R 2

vocantur zu allen Zeiten Mehrer des Reichs. Inueteratus iſte error, nec demum Accurſii tempore inuentus eſt: nam ISIDORVS quoque orig. lib. 9. c. 3. *Auguſtus*, inquit, *ideo apud Romanos nomen imperii eſt, eo quod olim augerent rempublicam amplificando. Quod nomen primo ſenatus Octauiano Caeſari tradidit, vt quia auxerat terras, ipſo nomine et titulo conſecraretur.* Et multae apud SYMMACHVM epiſtolae Imperatoris *ſemper auguſti* titulum praeſcriptum habent. Etiam haec exſtat: AETERNO PRINCIPI D. N. FLAVIO CLAVDIO IVLIANO VBIQVE VENERANDO. SEMPER AVG. BONO REIPVBL. NATO. At verbum iſtud *augere*, vnde *auguſtum* deducimus, ea ſignificatione ſumitur, qua ſacris in vſu fuit, eandemque vim habuit cum *immolare*, *mactare*, *adolere*. Nam cum mola ſalſa reſpergebatur aut conſecrabatur hoſtia, dicebatur *augeri*: vt *res auguſta* idem ſit, quod *ſacra facta*. Ita SVETONIVS Auguſt. cap. 96. *Circa Peruſiam ſacrificio non litante, cum augeri hoſtias imperaſſet, ac ſubita eruptione hoſtes omnem rei diuinae apparatum abſtuliſſent, conſtitit inter haruſpices, quae periculoſa et aduerſa ſacrificanti denunciata eſſent, cuncta in illos recaſura, qui exta haberent.* Vetus inſcriptio: SI QVIS HVIC ARAE DONVM DARE AVGEREQVE VOLET, LICETO. Neque res demonſtratu difficilis eſt, hinc deriuata *auguſtus* et *auguſte* idem ſignificare, quod *ſanctus* et *ſancte*. CICERO de natura Deorum l. 3. c. 21. *Qui hos Deos ex hominum genere in coelum translatos, non re, ſed opinione eſſe dicunt, quos auguſte omnes ſancteque veneramur.* OVIDIVS faſtor. l. 1. v. 609.

Sancta vocant auguſta patres: auguſta vocantur
Templa, ſacerdotum rite dicata manu.

Vet. Gloſſ. *Auguſtus* σεβαστὸς, ἱερὸς, σεβάσμιος. Vnde elegans ἐξεργασία LIVII hiſt. praefatione: *Datur haec venia antiquitati, vt miſcendo humana diuinis, primordia vrbium auguſtiora faciat. Et, ſi cui populo licere oportet, conſecrare origines ſuas, et ad Deos referre auctores.* Cum ergo Caeſar Octauianus, ſuis et patriae hoſtibus deuictis, imperii Romani principatum inſtituit, primus ob-

Octauio, ex antiquiſſima familia viro ſenatore, matre Atia, quae filia erat M. Atii Balbi, ex Iulia C. Caeſaris ſorore genita. *e)* Infanti cognomen Thurino inditum eſt, quod exoleuit, accepto maioris auunculi, nec longe poſt, ex ſenatus conſulto, nomine ſanctiori. *f)* Aetatis anno quarto patrem

tinuit hunc titulum, vt *auguſtus*, hoc eſt ſanctus, et ſupra communem naturam, Diis ipſis proximus haberetur. Totam cauſſam explicat FLORVS l. 4. c. 12. *Tractatum etiam in ſenatu, an quia condidiſſet imperium, ROMVLVS vocaretur: ſed ſanctius ac venerabilius viſum eſt nomen AVGVSTI; vt ſcilicet iam tum, dum colit terras, ipſo nomine et titulo conſecraretur.* DIO CASSIVS lib. 53. Αὔγουστος, ὡς καὶ πλεῖόν τι ἢ κατὰ ἀνθρώπους ὤν, ἐπεκλήθη. πάντα γὰρ τὰ ἐντιμότατα καὶ τὰ ἱερώτατα, αὔγουστα προσαγορεύεται. *AVGVSTVS, quaſi hominis natura amplior ipſe, cognominatus eſt: AVGVSTA enim ea, quae honore digniſſima et ſanctiſſima ſunt, dicuntur.* SVETONIVS Auguſt. cap. 7. *Poſtea C. CAESARIS et deinde AVGVSTI cognomen aſſumſit: alterum, teſtamento maioris auunculi; alterum, Munacii Planci ſententia: cum quibusdam cenſentibus, Romulum appellari oportere, quaſi et ipſum conditorem vrbis praeualuiſſet, vt Auguſtus potius vocaretur, non tantum nouo, ſed etiam ampliore cognomine: quod loca quoque religioſa, et in quibus augurato quid conſecratur, auguſta dicantur: ab auctu, vel ab auium geſtu guſtuue* etc. Puta *geſtum* ex auium volatu et modo, quo ſe in volando gerunt, dici; *guſtum* vero hoc eſſe, quod aues paſtae ratum faciebant. Atque etiam inde patet, Suetonium in ea vocis deriuatione nihil certi auſum fuiſſe decidere. Vtra vero ſententia magis placeat, eo tandem res abit, vt *Auguſtus* nihil aliud ſignificet hic, quam (ſiue augurio, ſiue mola ſalſa in modum hoſtiae, perinde eſt) conſecratum. Plenus ille honoris et magnificentiae titulus eadem ſerie poſtmodum omnibus Imperatoribus, in hunc vſque diem, tributus eſt: quod infinita omnium temporum monumenta loquuntur. *e)* SVETONIVS in eius vita cap. 4. et 5. *f)* Ibid. cap. 7.

patrem amiſit, duodecimo auiam Iuliam, quam pro concione laudauit. Sedecim annos natus virilem togam ſumſit. Mox in Hiſpanias proauunculum Pompeii liberos debellantem ſecutus eſt: victisque illis, ab Imperatore in Dacos Parthosque expeditionem ſuſcipiente, praemiſſus Apolloniam, quae ciuitas erat in Macedonia ad Ionium mare ſita et legibus optimis inſtituta, *g*) literis vacauit. C. Caeſaris victoris, a Brutis Caſſiisque occiſi, poſtmodum asſumſit cum hereditate nomen et vindictam; quicquid illi cum Philippo vitrico Atia mater obloqueretur, quibus periculoſum eſſe videbatur, adiri nomen inuidioſae fortunae Caeſaris. Vicinarum ergo legionum centurionibus illi ſtipulantibus operam, in vrbem reuertitur, ac forti manu caedis reos aggredi ſtatuit. *h*) Conſules tum erant P. Dolabella, poſt Iul. Caeſarem occiſum, et M. Antonius. Hic, quum eſſet heres ſecundus Caeſaris teſtamento, et Octauium ſibi praelatum videret, illum octodecim annos natum, ingenii vero acerrimi iuuenem, propter adoptionem furens ſuperbe et iniurioſe excipit, in Pompeianos hortos vix admittit, neque tempus illi ſecum loquendi concedit: ipſe impotenter regnat, et quotidianis Caeſarem petit inſidiis: cum interea temporis ciuitas Antonii dominatione torperet, Caeſar vero, deprehenſa fraude, veteranos milites e coloniis excitaret, ac vires reip. aduerſus eum pararet: *i*)

 qui,

g) STRABO geogr. lib. 7. p. m. 219. Ἀπολλωνία πόλις εὐνομωτάτη, κτίσμα κορινθίων καὶ κερκυραίων. *Apollonia vrbs legibus optimis temperata, condita a Corinthiis et Corcyraeis.* Confer. CASAVBONVS in h. l. comment. p. 120. *h*) Vid. VELLEIVS l. 2. c. 60. DIODOR. l. 45. APPIANVS de bello ciuili l. 3. FLORVS l. 4. c. 3. SVETONIVS Auguſt. c. 8. et 10. *i*) FLORVS l. 4. c. 4. LIVIVS epit. 117. VELLEIVS l. 2. c. 60. 61. SVETONIVS Aug. c. 10. SENECA de clement. l. 1. c. 9. CICERO ad famil. l. 12. epiſt. 23.

qui, vt omnium ſibi reconciliaret amorem et beneuolentiam, Antonio omnem Iulii Caeſaris defuncti pecuniam ad ſe transferente, *k*) patrimonium ſuum venale proſcripſerat, vt ſoluere poſſet legata populo, ſuique auunculi teſtamentum explere. Quo conſtantius autem res ſuas exequeretur, Tribuni Plebis forte demortui locum petiit: ipſique aduerſante Antonio Conſule, ad optimates ſe contulit, quibus Antonium inuiſum eſſe ſciebat. Percuſſores Caeſaris diffugerant, Antonii metu, ex vrbe, M. Brutus quidem et Caſſius in Graeciam et Aſiam; Decimus Brutus, Conſul deſignatus, vt Antonio ciſalpinam Galliam, quae ſibi fuerat decreta, petenti reſiſteret, Mutinam cum exercitu ingreſſus erat. Hunc Antonius, cum videret copias ſuas, quas ad opprimendum iuuenem Octauianum Caeſarem parauerat iam tum, in ciſalpina Gallia diſturbari, Mutinae, quo ſe receperat, obſidione cinxit: vt, ſi pote, prouinciam ipſi a Caeſare datam, confirmatamque per ſenatum, armis eriperet. Mittuntur ad eum de pace legati a ſenatu. *l*) Sed fruſtra. *m*) Interea temporis Cicero cum ſuis id egit, vt Antonius hoſtis iudicaretur. Eum in finem quintam Philippicam orationem in ſenatu habuit, in qua non modo legationem diſſuadet, verum etiam bello Antonium eſſe proſequendum cenſet. Poſtridie Antonius, ita vt Cicero per-

k) VELLEIVS l. 2. c. 60. *Aperte deinde Antonii ac Dolabellae conſulum ad nefandam dominationem erupit furor. Seſtertium ſepties millies, depoſitum a C. Caeſare ad aedem Opis, occupatum ab Antonio*, etc. Vnde CICERO Philipp. orat. 2. cap. 14. *Qui maximo te aere alieno ad aedem Opis liberaſti: qui per easdem tabulas innumerabilem pecuniam diſſipauiſti: ad quem e domo Caeſaris tam multa delata ſunt* etc. confer. ad Attic l. 14. epiſt. 16. *l*) Vid. CICER. Philipp. orat. 6. Ad famil. l. 11. epiſt. 4. et lib. 12. epiſt. 24. *m*) DIO lib. 46. CICERO ad famil. lib. 12. epiſt. 4. LIVIVS epit. 118.

Digitized by Google

perſuaſerat, hoſtis fuiſſet iudicatus, niſi Saluius tribunus pl. intercesſiſſet. Decreuit tamen ſenatus, *vt Dec. Brutus laudaretur, quod Galliam Antonio non conceſſiſſet: item, vt Caeſar cum Hirtio et Panſa Coſſ. exercitu illo, quem haberet, bellum adminiſtraret, atque ſtatua illi poneretur: vt ſententiam loco conſulari diceret, conſulatumque decem annis prius, quam leges permitterent, illi petere liceret: quantamque pecuniam militibus earum legionum, quae Antonium reliquiſſent, parta victoria pollicitus eſſet, tanta publice daretur.* *n*) Bellum demandatum Octauianus, nondum viginti annos natus, fortiſſime circa Mutinam adminiſtrauit, et D. Brutum obſidione XVII. Kal. Maii DCCXI. liberauit. *o*) Antonius in Galliam confugit, et M. Lepidum cum legionibus, quae ſub ipſo erant, ſibi iunxit. Cum vero Hirtius in acie, Panſa paulo poſt ex vulnere periiſſet, rumor increbuit, ambos Octauiani opera occiſos fuiſſe, vt Antonio fugato, republica conſulibus orbata, ſolus ſumma rerum potiretur, exercitusque victores occuparet. *p*) Senatus ipſe Octauiano, qui ſolus e tribus ducibus ſupererat, parum gratus fuit. Antonio victo et fugato, receſſit metus, animuſque ad partes Pompeianas rediit. Caeſaris interfectoribus M. Bruto et Caſſio, quas ipſi occupauerant ſine vllo ſenatus conſulto, decernuntur prouinciae, et

n) APPIANVS lib. 3. DIO lib. 45. 46. VELLEIVS lib. 2. cap. 61. et 62. SVETONIVS Auguſt. cap. 10. *o*) Vid. VELLEIVS l. 2. cap. 61. SVETON. l. c. FLORVS lib. 4. cap. 4. Scriptores reliqui. XVII. Kalend. Maii vt Galba ad Ciceronem ſcribit famil. lib. 10. epiſt. 30. vel, vt OVIDIVS faſtor. lib. 4. indicat, XVIII. Kalend. Maii, Antonius ad Mutinam proelio ſuperatus eſt. Vid. etiam CICERON. ad famil. l. 12. epiſt. 6. ad Brutum epiſt. 2. 6. et 7. Phil. orat. 14. *p*) SVETON. Auguſt. c. 11.

Digitized by Google

et omnia tranſmarina imperia illorum arbitrio committuntur. D. Bruto, vtut alieno beneficio viueret, decretus eſt triumphus. Panſae atque Hirtii corpora honorifice efferuntur publica ſepultura. Caeſaris Octauiani vero non ſolum mentio facta eſt nulla; verum etiam legati ad exercitum eius miſſi, eo ſummoto, milites alloqui iuſſi ſunt, ita quidem vt milites ipſi, Caeſare iniuriam ferente, audituros ſe ſine Imperatore ſuo vlla mandata, negarent. Neque Cicero veritus eſt palam profiteri, *laudandum eſſe puerum, et tollendum:* cum aliud diceret, aliud intelligi vellet. *q*) Octauianus vero cum effeciſſet, vt milites inter ſe iureiurando ſancirent, cum nullo exercitu, qui C. Caeſaris fuiſſet, bellum ſe geſturos: quadringentos milites Romam ad ſenatum miſit, qui conſulatum ſibi, conſule vtroque defuncto, exercitus nomine depoſcerent. Cunctatur ſenatus. Sed Cornelius quidam centurio, legationis princeps, reiecto ſagulo, gladii capulum oſtendens, in ipſa curia non dubitauit dicere: *hic faciet, ſi non feceritis vos.* Tum Cicero: *Si ita conſulatum petieritis, eum accipiet.* *r*) Militibus re infecta ad Octauianum reuerſis, inter eum Lepidumque et Antonium epiſtolarum commercia inſtituuntur. Et Antonius quidem Caeſari ſignificat, quam inimicae ipſi Pompeianae partes forent; in quod iam emerſiſſent faſtigium; quan-

q) Vid. CICERO ad famil. lib. 11. epiſt. 20. VELLEIVS l. 2. c. 62. SVETON. Auguſt. c. 12. LIVIVS epit. 119. Octauianus *puer* appellatus eſt, quod Iulio interfecto cum reip. admoueretur, tantum 19. annos habebat. Sic puer vocatur CICERONI ad famil. l. 10. epiſt. 28. l. 11. epiſt. 7. l. 12. epiſt. 25. paſſim. VIRGILIO in culice v. 26. At SERVIVS ad Virgil. eclog. 1. *hic illum vidi iuuenem* etc. notat, ſenatum decreuiſſe, ne quis eum puerum diceret, ne maieſtas tanti imperii minueretur. *r*) DIO lib. 46. SVETONIVS. Auguſt. c. 26.

quanto Ciceronis ſtudio Brutus atque Caſſius efferentur; ſe cum iſtis, qui iam tum decem et ſeptem legionum potentes erant, ſuas vires coniuncturum, ſi diutius vellet aſpernari concordiam; ſic inultam fore Caeſaris mortem &c. *s*) Tum inita potentiae ſocietas, et priuigna Antonii deſponſata eſt Caeſari, qui Romam cum exercitu venit, ac perculſis omnibus, qui in eum iniqui fuerant, vix tum natus annos viginti, *t*) cum Q. Pedio collega Conſul creatus eſt. Mox auctor fuit quaeſtionis habendae in eos, quorum opera Iulius Caeſar, ex adoptione pater, occiſus eſſet. Q. Pedius ergo collega tulit legem, *Pediam* ab illius nomine vocatam; qua omnibus Caeſaris percuſſoribus igni et aqua interdictum eſt. Eaque cum primis poſtulati M. et D. Bruti, C. Caſſius atque alii. *v*) Proſcriptionem ſecutum eſt bellum atrociſſimum, de quo ſatis paulo ſuperius dictum eſt. Decimus Brutus, cui ſenatus olim, vt Antonium perſequeretur, mandauerat, ab legionibus ſuis, quum ſtatuiſſet ad M. Brutum Caſſiumque in Macedoniam fugere, tae-

s) VELLEIVS l. 2. c. 65. *t*) LIVIVS epit. 119. *cum annos XIX. haberet, Conſul creatus eſt.* VELLEIVS l. c. *Conſulatumque iniit Caeſar pridie, quam viginti annos impleret, X. Kal. Octobr. cum collega Q. Pedio, poſt V. C. annis DCCIX.* verius DCCXI. ſi faſtos conſulares, FVNCCIVM et alios conſulimus. Neque conueniunt ſcriptores de die. SVETONIVS enim teſtatur in Auguſto, cum in ordinatione anni ſextilem menſem e ſuo cognomine nuncupaſſe, quod eo ſibi et primus conſulatus, et inſignes victoriae obtigiſſent. Atque etiam DIO l. 56. tradit, eum XIX. die Auguſti, eodem, quo primum conſulatum ceperit, deceſſiſſe. Annum vero aetatis vigeſimum egiſſe, quum ſenatui Romano conſulatum extorſerit, referunt etiam PLVTARCHVS in Bruto, ex Octauiani commentariis, et EVTROPIVS lib. 7. init. *v*) Vid. LIVIVS epit. 120. DIO l. 46. APPIANVS l. 3. VELLEIVS l. 2. c. 69.

Digitized by Google

dio et difficultate itineris procul dubio deterritis, relictus capitur ad Aquileiam, et iuſſu Antonii, in cuius poteſtatem venerat, a Capeno Sequano, qui illi Galliae parti praeerat, trucidatur. *x)* Interea temporis Octauianus, Antonius atque Lepidus triumuiri *y*) conſultationes de republica ordinanda habuerunt; imperium Romanum, velut quandam poſſeſſionem, inter ſe partiti ſunt, ita quidem vt Caeſar vtramque Lybiam cum Sicilia et Sardinia, Lepidus Hiſpaniam et Narbonenſem Galliam, Antonius Galliae reliquas prouincias haberet; vt triumuiri ipſi eſſent reipublicae conſtituendae cum ſummo imperio in quinquennium; quibus ipſi vellent, neque ſenatu, neque populo conſulto, magiſtratus deferrent; Lepidus in Decimi Bruti occiſi locum anno ſequenti Conſul crearetur; vt ille Romam atque reliquam tueatur Italiam; Antonius vero atque Caeſar M. Brutum Caſſiumque bello perſequantur; inimicorum denique ciuium cuilibet ſuorum caedes et proſcriptio libera ſit. *z*) Republica per triumuiros vtcunque ordinata, Caeſar Octauianus et Antonius cum ingenti exercitu aduerſus Brutum et Caſſium in Macedoniam proficiſcuntur, caſtris poſitis ad vrbem Philippos, vnde hoc *bellum Philippenſe* vocatur.

---

x) LIVIVS epit. 120. VELLEIVS l. 2. c. 64. SENECA epiſt. 82. VALER. MAX. l. 9. c. 13. *y*) Congreſſus horum trium occultus in triduum fuit apud Bononiam in loco a caſtris remoto et flumine circumfuſo: teſte PLVTARCHO in Cicerone et Antonio. Sic quoque DIO l. 46. triumuiros, ſcribit, conueniſſe in parua inſula fluminis, quod Bononiam praeterlabitur. APPIANVS lib. 4. init. eos congreſſos eſſe ad Mutinam in Lauinii fluuii inſula. Et FLORVS l. 4. c. 5. pacem inter tres Duces factam apud confluentes inter Peruſiam et Bononiam. *z*) LIVIVS epit. 120. VELLEIVS l. 2. c. 66. PLVTARCHVS in Cicerone et Antonio. DIO lib. 46. APPIANVS l. 4. FLORVS l. 4. c. 6. OROSIVS l. 6. c. 18.

catur. Sed de eo ſatis alibi dictum eſt. Poſt confectum Philippenſe bellum, et reportatam inde victoriam, Antonius in Aſiam ad cogendas, militibus quas promiſerant, pecunias, proficiſcitur; Octauianus vero in Italiam cum veteranis redit, quos municipalibus agris collocandos receperat. Non ſine magna inuidia. Nam veteres bonorum poſſeſſores vi atque iniuria ſe pelli conquerebantur; milites pro meritorum ſpe negabant ſe tractari: tandemque ab Fuluia M. Antonii coniuge, praeter ſexum quae nihil muliebre videbatur prae ſe ferre, pollicitationibus pellecti mouebant ſeditionem, non ſine magno periculo ab Caeſare extinguendam. Lucius Antonius Conſul, M. Antonii triumuiri frater, peſſimum ſemper alias ingenium ſuum agitari ab eadem Fuluia paſſus eſt, vt Caeſari bellum inferret, in partes ſuas receptis populis, quorum agri veteranis aſſignati erant. Marcum Lepidum, qui cuſtodiae vrbis Romae cum exercitu praeerat, aggreditur primo, et hoſtiliter in ipſam ciuitatem irrumpit. Caeſar vero, qui in Nurſinos et Sentinates exercitum duxerat, Romam reuerſus, iſtum quaſi ad bellum ex S. C. vrbe proficiſcentem verſus Galliam, in itinere intercipit, ac Peruſiae (vnde *bellum Peruſinum*) in Hetruria concludit, diuque obſeſſum, et aliquoties erumpere fruſtra conantem, fame cogit ad deditionem, datque veniam petenti. Sic Peruſia diruta, et omnibus aduerſae partis in poteſtatem ſuam redactis, Octauianus bellum hoc, Caluino et Pollione Coſſ. anno V. C. DCCXIV. ſine ſanguine multo ſuorum confecit. *a*) Rebus minime ex voto geſtis, Fuluia cum liberis atque Iulia matre ad M. Antonium maritum in Aſiam confugit, illique perſuaſit

S 2 vt

a) Livivs epit. 125. 126. Svetonivs Auguſt. c. 14. ſeq. Florvs l. 4. c. 5. Velleivs l. 2. c. 74. Dio l. 48. Appianvs l. 5.

vt Caeſari bellum indiceret. Brunduſium Antonius breui poſt tempore ingreditur, hoſtilia quaeque minitans. Sed ex militum interceſſione circa Brunduſium pax componitur, et Fuluia, ne ducum obſtaret concordiae, dimiſſa, mox Sicyone defuncta, Antonius Octauiam Caeſaris ſororem, vt vt iamtum Cleopatrae teneretur amoribus, in matrimonium ducit. *b*) Ita Caeſar Octauianus Sardiniam, Dalmatiam, Hiſpaniam et Galliam: Antonius reliqua omnia ſupra Ionium mare in Aſia et Europa (ſed Africam Lepidus, Siciliam Sextus Pompeius tenebant) ſortiti, veſtibus triumphalibus in vrbem equis inuecti ſunt. Quae *ouatio* dicebatur. *c*) Anno ab V. C. DCCXX. L. Scribonio et L. Atratino Coſſ. ab Octauiano Caeſare *bellum Siculum* geſtum eſt. Fuerat ex S. C. ab Hiſpania in Italiam reuocatus Sextus Pompeius, *d*) eique patrimonium ex aerario reſtitutum, atque claſſis commiſſa. Sed triumuiris dominantibus iamtum, proſcriptos et fugitiuos vndique ad ſe recepit, ac Meſſanam primo oppidum, deinde Siciliam totam occupauit, Caeſaris, in Brutum Caſſiumque bellum parantis, legatum nauali proelio ſuperauit, latrociniis mare inſe-

b) LIVIVS epit. 127. VELLEIVS l. 2. c. 76. ſeqq. PLVTARCHVS in Antonio, Auctores citati. *c*) *Ouatio* eſt laetitia minor triumphali honore, qui ob inſignes victorias imperatoribus concedebatur; cum ob leuiores ouatio daretur. Ouantes ſingulari equo vecti ſolebant incedere; triumphantes quadrigis et curru. Nomen eſſe dicitur ab *oue*, quam ſacrificabant ouantes, cum taurum triumphantes immolarent. vid. PLVTARCHVS in Marcello, et SERVIVS in Virgil. Aeneid. l. 4. v. 543. Sed FESTVS *ouantes* dici putat laetantes ab eo clamore, quem faciunt redeuntes ex pugna victores milites, geminata O litera. Pl. vid. ALEX. ab ALEX. genial. dier. l. 2. c. 22. et l. 6. c. 18. ROSINVS antiq. Rom. l. 10. c. 38. *d*) Cneus autem frater eius in Hiſpania perierat. vid. HIRTIVS, bell. Hiſp. c. 39.

infeſtum reddidit, eaque inſula, quae vrbis et imperii horreum fuit maximum, in poteſtatem redacta, omnem annonae ſubuectionem impediuit: vt Romani aliquot annos premerentur fame, atque cogerentur petere pacem, quam reipublicae nomine cum iſto Caeſar et Antonius fecerunt, ea lege, vt in quinquennium Siciliam et Achaiam haberet, a piratis maria liberaret, atque mitteret commeatum in vrbem. Haec geſta ſunt circa annum DCCXVI. Sed promiſſis ille minime gentium ſtetit, quin pergeret, vel ſuſciperet iterum latrociniis commercia impedire. Neceſſarium ergo Caeſar bellum contra Pompeium tandem ſuſcipit, et, Lepido ex Africa cum legionibus accito, pugnat duobus proeliis naualibus ancipiti Marte. Noua claſſe parata, rurſum vario euentu pugnatum eſt, ita vt duarum Caeſaris claſſium altera, cui Agrippa praeerat, vinceret; altera, quam Caeſar ipſe ducebat, deleretur, et milites in terram depoſiti a Pompeio maximam partem opprimerentur. Tandem victus Pompeius Meſſanam confugit, inde Corcyram, mox in Aſiam, vbi ex fuga delatus in Samum inſulam, cum de Antonii clade a Parthis accepta intelligeret, imperium eius vt transferre ad ſe poſſet, reges varios atque populos ad ſocietatem et auxilia pertrahere ſtuduit. Verum captus a M. Titio, Antonii legato, iuſſu Antonii, apud Miletum, cum ageret annum aetatis quadrageſimum, iugulatus eſt ab Antonii militibus. *e*) In hoc Siculo bello Caeſar ex Africa Lepidum ad ſe accerſiuerat cum legionibus

e) Vid. LIVIVS epit. 123. 127. 128. 129. 131. FLORVS l. 4. c. 8. APPIANVS lib. 5. EVTROP. l. 7. DIO l. 49. VELLEIVS l. 2, c. 79. SVETONIVS Auguſt. c. 16. OROSIVS l. 6, c. 18. STRABO lib. 3, p. 97. edit, Caſaub, Geneu. 1587.

bus XII. ſemiplenis. Hic vero propria maluit quam Caeſaris auctoritate res agere, et exercitum Pompeii, caſtra Caeſaris ſecutum, ſibimet ipſi iunxit, ac viginti amplius legionum elatus numero, non ſolum victoriam ſibi totam adſcripſit, verum etiam, vt virtutis perciperet fructus, Caeſarem Sicilia excedere iuſſit: et iam tum coepit occulta cum Sexto Pompeio fugiente inire conſilia. Quod cum Caeſar comperiſſet, arma ſua continuo in Lepidum triumuirum et imperii ſuperbientem ſocium conuertit, ac legionis rapuit aquilam. Milites cum obſiderentur, alii poſt alios ad Caeſarem tranſiere, vt Lepidus ab ſuis deſertus vitam ſupplex peteret. Sic veniam delicti obtinuit quidem, ſed triumuiratus maxima dignitate, quam tueri nullo modo poterat, ademta, *f*) Circeios in perpetuum *g*) relegatus eſt eodem, quo Sextus Pompeius interiit, anno. *h*) Biennio poſt inter Caeſarem atque Antonium inimicitiae coeperunt, quae anno ſequente in funeſtas noui belli ciuilis erumperunt flammas. Antonius Caeſari obiiciebat criminis inſtar, quod Lepidum exuiſſet triumuiratu, et quod copias, cum Sexti Pompeii, tum ipſius Lepidi, quae communes deberent eſſe, ſolus ſibi ſumſiſſet. Caeſar contra criminabatur Antonium, quod Aegyptum ſine ſorte teneret; quod Sextum Pompeium, cui ſponte ignouerit dudum, interemiſſet; quod Artuasdem, Armeniorum regem, dolo captum

f) At Pontificatum retinuit, qui non prius, quam mortuo illo, in Auguſtum translatus eſt. *g*) Ita SVETONIVS Aug. c. 16. et alii. APPIANVS l. 5. Romam miſſum dicit in exilium, vt dignitate priuatus priuatam vitam ibi degeret. DIO refert anno DCCXXXVII. duodecimo poſt conſpirationem, ab Auguſto in vrbem eſſe retractum. *h*) Vid. LIVIVS epit. 129. VELLEIVS l. 2. c. 80. DIO l. 49. et 54. APPIANVS l. 5. SVETONIVS Auguſt. c. 16.

captum non ſine opprobrio populi Romani in vincula conieciſſet; quod in contumeliam ſororis ſuae Cleopatram haberet pro vxore, et liberos ſuſceptos ex ea vellet eſſe reges; quod Cleopatrae filium ex Iulio Caeſare nominaſſet Caeſarionem, adeoque iſtum ad Caeſaris genus traduxiſſet. Motis hinc inde per literas legatosque rerum controuerſiis, Antonius tandem Caeſaris ſorori, quam in matrimonio habebat, Octauiae mittit repudium, bellumque ſuſcipit. Caeſar in ſenatu et concione recitat teſtamenti tabulas, in quibus Caeſarionem vere Caeſaris ex Cleopatra filium eſſe teſtabatur; ſuis ex Cleopatra natis, Philadelpho et Alexandro, ingentia legabat munera, ſeque iubebat in Aegypto cum Cleopatra ſepeliri. Neque obſcurus in vrbe rumor erat, Antonium parta victoria Romam eſſe traditurum Cleopatrae, libidinis immenſae praemium, et imperium ipſum, vt voluptatibus et cupiditati mulieris ſatisfaceret, translaturum in Aegyptum. *i*) His rebus S. P. Q. R. indignatus atque perterritus conſulatum Antonio, quem geſturus erat cum Caeſare, abrogauit ſimul atque bellum Cleopatrae indixit, quod mulier Aegyptia Romanum

i) Quamobrem HORATIVS l. 1. od. 37.

- - - dum Capitolio
Regina dementes ruinas,
Funus et imperio parabat,
Contaminato cum grege turpium
Morbo virorum - - -

PROPERTIVS 2. 16.

Coniugii obſcoeni pretium Romana popoſcit
Moenia, et addictos in ſua iura patres.

et Auctor elegiae in Maecenatis obitum:

Hic modo miles erat, ne poſſet femina Romam
Dotalem ſtupri turpis habere ſui,

Digitized by Google

num imperium affectaret. Itaque C. Caeſar Octauianus, tertium conſul cum Meſſala Coruino; anno DCCXXIII. bene armatus in orientem cum exercitu proficiſcitur, cui Antonius et Cleopatra claſſe occurrunt ad Actium Epiri promontorium, vnde hoc *bellum Actiacum* vocatur. Statim in ore atque oculis Antonianae claſſis, Leucas, Patrae et Corinthus per M. Agrippam expugnantur. Aliquandiu naualibus proeliis dubio Marte pugnatur: donec in fugam prima ſe daret Cleopatra. Antonius, qui, nullis verarum virtutum radicibus innixum imperium vt facilius amitteret, conſueuit adhuc voluptatibus vacare, fugientis Reginae, quam pugnantis militis ſui comes eſſe maluit, et quaſi victus Alexandriam in Aegyptum profugit. Exercitus ergo, cuius deſertor factus eſt, cum diu pro abſente imperatore dimicaſſet, aegre tandem ſummiſſis armis, Octauiano Caeſari victoriam ceſſit, ac veniam citius impetrauit ab eo, quam perſuadere ſibimetipſi potuit. Poſthaec Antonius atque Cleopatra cum eſſent Alexandriae, in ipſa metropoli ac regali ſede, ab Octauiano eiusque victoriam proſequente copia cincti, nequidem Regina, immenſae libidinis femina, coniugi fidem praeſtitit illibatam: vtpote quae Caeſari miſit munera, ipſique Peluſium de amore credula prodidit, atque lubens, niſi abhorruiſſet triumphi contumeliam, in poteſtatem eius tranſiiſſet. Antonius vero claſſis defectione, peditum, nec longe poſt equitum clade, ſimul atque falſo Cleopatrae occiſae rumore, ad ſummam rerum deſperationem actus ſemetipſum perfodit gladio, atque demens amore, cum ſuperſtitem eſſe cognouiſſet, animam in ſinu eius efflare uoluit, ſexto et quinquageſimo aetatis anno. Tandem Alexandria in poteſtatem Caeſaris redacta, et regnum et ſemetipſam victori tradidit Cleopatra, quae, cum impe-

imperatorem flectere non poſſet amore, verita ne duceretur in triumpho, ad quem ſentiebat ſe cuſtodiri, triginta et nouem annos nata, aſpidibus ſibi admotis, *k*) lenta morte exſpirauit. *l*) Sic aemulis ſublatis feſſam remp. Octauianus in ſinum quaſi recepit, anno ab V. C. DCCXXIII. Sequenti reuertitur Romam VIII Idus Ianuarii, atque tres nobiliſſimos egit triumphos, vnum ex Illyrico, alterum ex Actiaca victoria, *m*) tertium de Cleopatra, cuius imaginem in triumphum duxit, ita quidem expreſſam fictamque, vt aſpis affixa ei adhaereret. *n*) Tum primum Caeſar templum Iani, omnibus finitis ciuilibus bellis, clauſit. *o*) Ipſe vero ex ſenatus conſulto primum Auguſtus

T cogno-

k) De morte Cleopatrae non conueniunt auctores. Plerique aſpidum morſu, alii acu venenata, rurſum alii hauſto veneno, mortem ſibi attutiſſe credunt. Sed iudicante PLVTARCHO in Antonio, τὸ ἀληθὲς ὐδεὶς οἶδεν, *veritatem nouit nemo*, quia nulla macula, nec vulnuſculum in corpore iſtius repertum, neque ſerpens, quamuis diligentiſſime quaeſitus, inueniri potuit. *l*) Vid. LIVIVS epit. 132. 133. DIO lib. 51. VELLEIVS l. 2. c. 84. 85. 86. 87. PLVTARCHVS in Antonio. SVETONIVS Auguſt. c. 17. FLORVS l. 4. c. 11. EVTROPIVS lib. 7. OROSIVS lib. 6. c. 19. HORATIVS l. 1. od. 37. *m*) Quae vt celebratior in poſterum eſſet, Nicopolin apud Actium condidit: ludosque illic quinquennales conſtituit &c. SVETONIVS Auguſti cap. 18. STRABO lib. 4. DIO l. c. plures alii. *n*) LIVIVS epit. 133. SVETON. Aug. c. 22. OROSIVS l. 6. c. 20. Auctores citati. De triplici hoc Caeſaris triumpho VIRGILIVS Aeneid. l. 8. v. 714.

At Caeſar triplici inuectus Romana triumpho
Moenia, diis Italis, votum immortale ſacrabat,
Maxima ter centum totam delubra per vrbem.
Laetitia, ludisque viae plauſuque fremebant &c.

o) Vid. SVETONIVS Aug. c. 22. DIO l. 51. OROSIVS l. 6. c. 20. CELLARIVS hiſt. antiq. p. 106. et IOH. MASSON, qui ſingulari tractatu elegantiſſime commentatus eſt de Iani templo reſerato.

cognominatus, eoque nomine menſis Sextilis poſtea, cum annus denuo ordinaretur, in honorem illius, vt in Iulii Quintilis olim, appellatus eſt. *p*) *Tunc ſopitus vbique armorum furor; reſtituta vis legibus, iudiciis auctoritas, ſenatui maieſtas; imperium magiſtratuum ad priſtinum redactum modum; - - - rediit cultus agris, ſacris honos, ſecuritas hominibus, certa cuique rerum ſuarum poſſeſſio; leges emendatae vtiliter, latae ſalubriter; ſenatus ſine aſperitate, nec ſine ſeueritate lectus. Principes viri triumphisque et ampliſſimis honoribus functi, hortatu principis, ad ornandam vrbem illecti ſunt.* *q*) Statim Octauianus quidem poſt victum Antonium, an vere, an ſimulate, quis dixerit? de rep. reddenda et imperio deponendo conſilium habuit. *r*) Atque etiam hoc ipſi perſuadere ſtuduit M. Agrippa, quem poſtea ſibi generum aſciuit. Contra Maecenas eum prolixa oratione hortatur, vt imperium tot laboribus quaeſitum, ad ſalutem reip. et ſecuritatem propriam retineret: cuius ſententiam Caeſar lubens amplectitur. *s*) Adeoque beneficiis, humanitate, ſaluberrimis legibus, et prudenti conſilio, ſibi omnes deuincit, ac facile ſummum principatum a S. P. Q. R. obtinet: qui non ſolum omnes illi honores atque nouos titulos *t*) tribuerunt, verum etiam

p) VELEIVS l. 2. c. 91. FLORVS l. 4. c. 12. extr. LIVIVS epit. 134. SVETON. Aug. c. 7. et 31. OROSIVS l. 6. c. 2. confer. quod ſupra de nomine Auguſti ſcriptum a nobis eſt. *q*) VELLEIVS l. 2. c. 89. confer. SVETONIVS Aug. c. 32. ſeqq. PHILO IVDAEVS de legatione ad Caium. Oper. p. m. 642. *r*) DIO lib. 51. et 52. SVETONIVS Aug. c. 28. *s*) Legi meretur ea de re I. H. BOECLERI Maecenas ſiue conſiliator regius ex Dion. lib. 52. delineatus diſſert. academ. tomo poſteriori pag. 701. ſeqq. *t*) Ita *Pater patriae* vocatus eſt. SVETON. Aug. c. 58.

iam ex ſenatus conſulto imperium, quod vſquam reip. fuit, in Auguſtum ſuum ſponte transtulerunt. *v)* Sed tamen ille callidus Imperator, vt omnem a ſe auerteret monarchiae ſuſpicionem, ſemper exhorruit appellationem ***Domini***, vt maledictum et opprobrium; *x)* eamque rerum poteſtatem, quam ſibi conceſſam habebat (vitato nomine inuidioſae ***Dictaturae***, *y)* quae dudum lege Antonia, vt regia poteſtas a Bruto, ſublata fuit) non niſi in decennium ſumſit. Hoc enim ſpacio affirmauit ſe conſtiturum remp. vel etiam imperium, rebus ex animi ſententia compoſitis, citius redditurum. Decennio vero tranſacto, in quinquennium eandem poteſtatem; deinde in alterum quinquennium, poſtremo in vltimum decennium facile impetrauit: vt imperium adminiſtrauerit perpetuum. Motibus vbique ſopitis ciuilibus, aduerſus exteras gentes profectus eſt. Anno DCCXXVI. bellum aduerſus Cantabros et Aſtures, duos Hiſpaniae fortiſſimos populos, ſuſcipit atque victor Romam redux ſecundo Iani templum claudit. *z)* Eodem tempore bellum a M. Craſſo aduerſus Thracas geſtum eſt, et Salaſſi, gens Alpina, perdomiti ſunt. *a)*

 Anno

v) Vid. TACITVS hiſt. l. 1. c. 1. Annal. l. 1. c. 11. DIO CASSIVS l. 53. STRABO ſub fin. lib. vltim. Inde legem regiam eliciunt, de qua VLPIANVS in l. 1. D. de conſtit. Princip. Aduerſus eam legem ſcripſit LENTVLVS de ſtatu rei Romanae l. 3. c. 2. p. 524. ſeqq. et SCHOOCKIVS de quadruplici lege regia. Pro lege iſta pugnat HVBERVS digreſſionibus Iuſtinianeis l. 1. c. 16. ſeqq. *x)* SVETONIVS Auguſt. cap. 53. *y)* Idem cap. 52. *Dictaturam magna vi offerente populo, genu nixus, deiecta ab humeris toga, nudo pectore deprecatus eſt.* *z)* DIO lib. 53. OROSIVS l. 6. c. 21. SVETON. Auguſt. c. 20. 21. adde gratulatoriam HORATII lib. 3. od. 14. l. 4. od. 5. *a)* LIVIVS epit. 135. FLORVS l. 4. cap. 12. SVETON. Aug. c. 21. alii.

Anno DCCXXXVII. M. Lollius cum exercitu in Germaniam mittitur, ſed victus et male affectus ad ſuos redit. *b*) DCCXLIII. Caeſar primus omnium tigrim manſuefactam Romae oſtendit. *c*) Anno ab vrbe condita DCCLI. Auguſti XLI. Iani templum tertio clauditur, et IESVS Chriſtus Dominus pacis homo naſcitur. *d*) DCCLX. Tiberius totum Illyricum, quod intra Italiam regnumque Noricum et Thraciam et Macedoniam, interque Danubium flumen et maris Adriatici ſinum patet, triennio perdomuit. *e*) DCCLXII. Quintilius Varus aggreditur Germanos, quos nihil habere credebat hominum praeter vocem atque membra. Sed illi, poſtquam in ſummam ſocordiam Quintilium perduxerunt, duce Arminio Cheruſcorum principe, qui de liberanda Germania dudum cogitauerat, Romanos ex inſidiis in Teutopurgenſem ſaltum inter Luppiam et Amiſiam pertractos, ibique paludibus atque ſiluis impeditos oppreſſit. Ita tres Romanorum legiones obtruncatae ſunt; Varus autem in proelio vulneratus mortem ſibi, rebus deſperatis, conſciuit. *f*) Ea clade nunciata, Caeſar excubias per

b) DIO lib. 54. SVETON. Aug. c. 23. VELLEIVS l. 2. c. 97. TACITVS ann. l. 1. c. 10. EVSEBIVS chron. olymp. 99. quem quidem CASAVBONVS ad Suet. l. c. vnum eſſe accuſat, qui Lollii non cladem, ſed victoriam memoret. Eum tamen defendit BOECLERVS ad Velleium annot. p. 177. *c*) PLINIVS hiſt. natur. l. 8. c. 17. FVNCCIVS ad h. annum. *d*) OROSIVS l. 7. c. 3. IRENAEVS l. 3. c. 25. FVNCCIVS chronol. ad h. a. *e*) SVETON. Aug. c. 21. FLORVS l. 4. c. 12. OROSIVS l. 6. c. 21. *f*) Vid. FLORVS l. 4. c. 12. VELLEIVS l. 2. c. 117. 118. 119. DIO lib. 56. TACITVS annal. l. 1. c. 61. de morib. Germ. c. 37. STRABO geogr. l. 7. non longe a principio. OROSIVS l. 6. c. 21. CLVVER. Germ. antiq. l. 3. c. 19. ERN. CASIM. WASSERBACHI elegantiſſ. diſſert. de ſtatua illuſtri Harminii liberatoris Germaniae, vulgo *Hiermenſul.*

per vrbem indixit, ne quis tumultus exiſteret; ipſe autem conſternatus fuit adeo, vt per continuos aliquot menſes barba capilloque ſummiſſo, caput interdum foribus allideret, vociferans: *Quinctili Vare, legiones redde*; diemque cladis *g*) moeſtum ac lugubrem quotannis haberet. *h*) Eam cladem ſequenti anno vindicauit Tiberius, qui trans Rhenum penetrauit vlterius, agros vaſtauit, domos vſſit, obuios fudit. *i*) Tandem Caeſar Octauianus Auguſtus obiit Nolae ex ventris profluuio XIV. Kal. Septembris anno ab V.C DCCLXVI. Sexto Pompeio et Sexto Apuleio Coſſ. aetatis LXXVI. imperii LVII. Collationem felicitatis Auguſti cum infortuniis, quae terra et mari, domi foriſque paſſus eſt, PLINIVS, *k*) cetera et quicquid in eius vita notari meretur, data opera SVETONIVS recenſet. Nos tantum breuiter nunc tanti principis in bonas literas literatoſque ſummum affectum, et quae manarunt ex eo, bene merita commemorare ſtudebimus.

§. XVI.

Vt feliciſſimus imperator eſſet, omneſque in imperio Romano inſigni prudentia et conſilio poſſet regere, eloquentiam ſtudiaque liberalia, quibus ab ineunte aetate laborioſiſſime et diligenter incubuit, nunquam etiam profectioribus annis negligere voluit. Cum ad Mutinam ipſi pugnandum eſſet, in ea rerum difficultate maxima traditur quotidie et legiſſe, et ſcripſiſſe, et declamaſſe. Neque poſtmodum in ſenatu, ad populum militeſue locutus eſt vnquam, niſi meditata et compoſita oratione: *l*) vtut ex-

 tem-

g) Dies hic inperueſtigabilis CASAVBONO; ab TORRENTIO vero ponitur ad IV. Non. Sextil. *h*) SVETON. Aug. c. 23. *i*) Auctores citati. *k*) Hiſt. nat. l. 7. c. 45. *l*) Vid. DIO lib. 53. init. SVETON. Aug. c. 84.

temporali facultate non deſtitueretur. Atque etiam omnia e libello recitare conſueuit, ne periculum adiret memoriae, aut in ediſcendo tempus abſumeret. Pronunciabat autem oris quodam proprio et dulci ſono: atque operam in eo aſſidue phonaſco *m*) dabat. Vt plurimum ſcripta quoque ſua in familiarium coetu, velut in auditorio recitauit: et cum volumina quaedam nunc ſenior ex magna parte legiſſet, fatigatus Tiberio perlegenda tradidit. *n*) SVETON. teſte, *o*) inconcinnis ſententiarum ineptiis, et verborum reconditorum, vt ipſe dicere ſolebat, foetoribus vitatis, ſemper et vbique genus orationis elegans et temperatum ſecutus eſt, animique ſenſum apertiſſime ſimul omnibus exprimere maxima cura ſtuduit. *Cacozelos et antiquarios, vt diuerſo genere vitioſos, pari faſtidio ſpreuit.* Ipſum Maecenatem ſuum, quem in oculis ferebat, plurimum in oratione mollem et diſſolutum imitando per iocum irriſit. *p*) Neque Tiberio, exoletas et reconditas voces nonnunquam aucupanti, pepercit. *q*) M. Antonium ſcribentem ea, quae mirentur potius, quam intelligant homines, vt inſanum increpauit. *r*) Et epiſtola quadam Agrippinam neptem collaudans, *opus eſt*, ſcripſit, *dare*

m) Ita SVETON. l. c. Eſt autem Phonaſcus a φωνέω, qui vocem et pronunciationem format. Ein Sing-Meiſter. Vnde QVINTIL. inſtit. orat. l. 11. c. 3. *Non eſt eadem cura oratoribus, quae phonaſcis.* *n*) SVETON. Aug. c. 85. *o*) Aug. c. 86. *p*) Confer. MACROBIVS Saturn. l. 2. c. 4. *q*) SOSIPATER CHARISIVS lib. 2. *Diuus Auguſtus reprehendens Tiberium Claudium ita loquitur: ſcribis enim per viam, ἀντὶ τοῦ obiter.* *r*) Atqui hoc etiam TVLLIVS illi paſſim obiicit et Philippica orat. 3. cap. 9. notabiliter: *Nonne ſatius eſt mutum eſſe, quam quod nemo intelligat, dicere?*

dare te operam, ne moleſte ſcribas, aut loquaris. s) QVINTILIANO t) teſte, Auguſtus in epiſtolis ad C. Caeſarem ſcriptis emendat, quod is *caldum* quam *calidum* malit: non quia illud non ſit Latinum; ſed quia ſit odioſum et, vt ipſe Graeco verbo ſignificauit, περίεργον. Hinc ſatis patet Imperatoris Auguſti ingenium elegantiſſimum, et cura, quam habuit, linguae patriae ſuae maxima: ne quid eius gloria et maieſtate indignum et intempeſtiuum loquatur, vel audiat: quamuis orthographiam a grammaticis inſtitutam non adeo cuſtodierit. v) Sed et quotidiano ſermone, rurſum SVETONIO teſte, x) vt erat faceto ingenio, quaedam praeter vſum vulgarem frequentius et notabiliter vſurpauit. Ita cum aliquos nunquam ſoluturos indicare vellet, ad *Kalendas Graecas* y) *ſoluturos*, dixit. Cum hortaretur ferenda eſſe praeſentia, qualiacunque ſint, *contenti ſimus hoc Catone.* z) Vt exprimeret feſtinatae rei velocitatem, *velocius quam aſparagi coquantur.* Stultum *baceolum*, pullum *pulleiaceum*, ceritum *vacerroſum*, pro male *vapide ſeſe habere*, et pro languere *betiſſare* dixit: et cetera, quae apud TRANQVILLVM legi poſſunt.

§. XVII.

Non potuit non cum inſigni peritia et ſtudio bonarum artium, quae oſores nullos praeter ignorantes vnquam habu-

s) Apud SVETON. Aug. c. 86. t) Inſtit. orat. l. 1. c. 10. v) SVETON. Aug. c. 88. x) cap. 87. y) Kalendae, ἀπὸ τȣ̃ καλεῖν *vocare*, vnde veteres Latini *calare* fecerunt, apud Graecos nullae, ſed propriae fuerunt Latinorum, quibus conuocati quid toto menſe in religione peragendum ſit intelligebant: atque etiam qui aere alieno obruti, vel debitum, vel vſuras, reddere debebant. vid. HORATIVS l. 1. ſat. 3. v. 87. POLYD. VIRGIL. l. 2. c. 5. z) Confer. CASAVBONVS animadu. ad Sueton. l. 2. c. 87. pag. edit Boecleri. 295. ſeqq.

habuere, ſummus literatorum quorumlibet fauor coniunctus eſſe: quem quidem ſi laudare, vel deſcribere tantum, ego nunc ſuſtinerem: verendum omnino eſſet, ne dicendi copia et oratione deſtitutus in minimis haeream, et nulla, quamuis operoſa, diſquiſitione rerum vbertati ſatisfacere queam. Inſtar perennis monumenti ſunt ſcripta poetarum, quos familiaritate et intima amicitia ſibi iunxit, licet infimae ſortis homines, purpura dignatus eſt, atque totos beneficiis obruit. Quis neſcit Horatium? Cuinam in memoria non continuo verſantur Ouidii fata, qui gratiae et virtutum procul ab vrbe, et in ipſo exilio, nunquam obliuiſci potuit? Virgilium, cui in theatro recitanti vniuerſus populus perinde ac imperatori aſſurrexit, tenerrimo affectu proſequebatur, eiusque carmina impatienter deſiderabat, quae contra Virgiliani teſtamenti verecundiam conſeruari, poſtea et legum poteſtatem potius rumpi voluit. Eiusdem poetae natalem diem, qui fuit Idibus Octobris, curabat quotannis celebrari, et quibusdam ceremoniis, ſed quae tanti Principis humanitas, ipſe venerabatur. Saluidienum Rufum ad conſulatum vſque, et Cornelium Gallum elegiographum ad praefecturam Aegypti, ex infima vtrumque fortuna, prouexit. *a*) At quis ſatis admirari poterit tanti Herois in amore conſtantiam, qui teſte SVETONIO *b*) cum perfidiae reus et ingratus iſte Gallus ſenatusconſultis ad necem compelleretur, laudauit quidem tantopere indignantium pro ſe pietatem; illacrumauit tamen etiam et palam confeſſus eſt, quod ſibi ſoli, quatenus vellet, amicis iraſci non liceat. Cum Alexandria eſſet potitus, Arium philoſophum manu tenens et cum eo ſolo colloquens vrbem

a) SVETON. Aug. c. 66. *b*) l. c.

vrbem inuectus eſt. Alexandrinis vero, qui verſabantur in ſummo timore, ſupplicibus dixit, reconciliari ſe propter vrbis amplitudinem, propter conditorem Alexandrum, et tertio in huius, inquit, amici mei (ſc. Arii) gratiam. *c*) Promiſcuis ſalutationibus ſemper et vbique admittebat etiam plebem: tanta comitate adeuntium deſideria excipiens, vt quendam ioco corripuerit, quod ſic ſibi libellum porrigere dubitaret, quaſi elephanto ſtipem. *d*) Solebat deſcendenti a palatio Caeſari Graeculus quidam honorificum aliquod epigramma porrigere. Id cum aliquoties fruſtra feciſſet, id rurſus facturum eum fore vidit Auguſtus, et ipſe illi Graecum ab ſe exaratum epigramma obuiam miſit. Pauper illud legendo laudat miraturque tam voce quam vultu. Pergit deinde ad ſellam, et manu in fundam demiſſa, paucos protulit denarios, quos principi daret his verbis: μὴ κατὰ τὴν τύχην σὴν σεβαστὲ, εἰ πλέον εἶχον, πλέον ἐδίδουν. *Non ſecundum fortunam tuam, Auguſte: ſi plus haberem, plus darem.* Secuto omnium riſu, eum Caeſar diſpenſatorem vocauit, iuſſitque ſeſtertia illi centum millia numerari. *e*) Sed quid multa? *Ingenia*, vt SVETONII *f*) verbis vtar, *ſeculi ſui omnibus modis fovit. Recitantes et benigne et patienter audiuit: nec tantum carmina et hiſtorias, ſed et orationes et dialogos. Componi tamen aliquid de ſe, niſi et ſerio, et a praeſtantiſſimis, offendebatur.* Neque hoc ſilentio praetermittendum eſt; ad maxima ſtudiorum incrementa et publicos vſus, ab Auguſto Romae primo inſtitutas fuiſſe Latinae et Graecae linguae bibliothecas: de

V quibus

c) Vid. PLVTARCHVS in vita Antonii, et praeceptis politicis oper. p. m. 133. et Apophthegmat. oper. p. 195. *d*) SVETON. Aug. cap. 53. MACROBIVS Saturn. l. 2. c. 4. n. 2. *e*) MACROB. l. c. extremo. *f*) Aug. cap. 89.

quibus in fine capitis primi quaedam notatu digna in medium ab nobis iamiam prolata fuerunt.

§. XVIII.

Scripſit tanta rerum negotia ſuſtinens Auguſtus praeter epiſtolas multas, paſſim auctoribus memoratas, in proſa et in ligata oratione codices plurimos. Ipſe libris XIII. *vitam ſuam*, Cantabrico tenus bello, nec vltra, expoſuit. *g*) Dedit quoque *reſcripta Bruto de Catone*, *Hortationes ad Philoſophiam*. *h*) Praeterea reliquit tria volumina, quorum vno *mandata de funere ſuo* complexus eſt; altero *indicem rerum a ſe geſtarum*, quem vellet incidi in aeneis tabulis, vt ante mauſoleum ſtatuerentur; *i*) tertio *breuiarium totius imperii*. *k*) Inſuper ſcripſit *commentaria ad Agrippam et Maecenatem*, quae PLVTARCHVS, in Ciceronis vita, *τὰ πρὸς Αγρίππαν καὶ Μαικήναν ὑπομνήματα* vocat. In oratione ligata ab eo liber, cuius argumentum et titulus *Sicilia*, hexametris verſibus editus eſt. Item *epigrammatum* liber, quem fere balnei tempore meditabatur. De Aiace vero tragoediam, quam magno impetu exorſus erat, ſtilo non ſuccedente, aboleuit, et amicis quaerentibus,

g) SVETON. Aug. cap. 85. Decimum eius librum citat VLPIANVS l. 1. D. de cadaueribus punitorum, qui eſt titulus vlt. lib. 48. Iſtius operis etiam mentionem fecerunt SERVIVS Georg. 1. et Aeneid. 8. libro. APPIANVS lib. 4. PLVTARCHVS in Antonio et Bruto. DIO lib. 48. SVIDAS in Αὔγουστος. G. I. VOSSIVS de hiſt. Lat. lib. 1. c. 18. *h*) SVETON. Aug. c. 85. *i*) Eius fragmentum ex lapide Ancyrano tranſcriptum ſupereſt, et legitur in multis Suetonii editionibus, etiam in minori Hartnacciana, quae prodiit Dresdae 1695. 12. pag. 627. Conferri meretur CASAVBONI in monumentum iſtud Ancyranum commentarius cum LIPSII ſupplementis, quem inſeruit animaduerſionibus ad Sueton. p. 334. -- 353. editionis Boeclerianae, Argentor. 1688. 4. *k*) SVETON. Aug. c. vlt.

bus, quidnam Aiax ageret? *Aiacem ſuum in ſpongiam incubuiſſe*, reſpondit. *l*) Aurea fragmenta operum Auguſti vndique collegit ac notis illuſtrauit IANVS RVTGERSIVS, Potentiſſimi Suecorum Regis olim conſiliarius, var. lect. lib. 2. cap. 14. Sed obiit, ita in fine dolemus, Auguſtus, et ſui ſimilem poſt ea tempora habuit neminem: vt quod olim HORATII *m*) perhibetur fuiſſe, nunc ſero nimis ingemiſcentium quoque literarum deſiderium atque votum ſit:

Lucem redde tuae, dux bone, patriae.
Inſtar veris enim vultus vbi tuus
Affulſit populo, gratior it dies,
Et ſoles melius nitent.

§. XIX.

Eiusdem cum Octauiano dignitatis et imperii, ſed fortunae diuerſae et ingenii deterioris fuit M. ANTONIVS triumuir, M. Antonii oratoris *n*) filius, Caii, Ciceronis in conſulatu collegae, et Lucii, bello Perufino ſatis noti, Antoniorum frater. Sed quae notatu de eo maxime digna ſunt, cum rebus geſtis Caeſaris Octauiani modo recenſuimus. Paſſim etiam in huius diſſertationis pertractatione dabitur alia iſtius imperatoris vel bene vel male facta commemo-

l) Vid. SVETON. Aug. c. 85. MACROBIVS Saturn. l. 2. c. 4. Spongia deletilis ſemper ſcribentibus ad manum fuit, vt quod non ſatis accurate videbatur eſſe ſcriptum, continuo deleri, et aliud magis commodum ſubſtitui poſſet. Vnde Graecorum prouerbium σπόγγῳ ἰᾶσθαι, *ſpongia curare*, eſt emendare. Auguſtus ergo hic venuſtam alluſionem fecit ad interitum Aiacis. Attamen SVIDAS: ἔγραψε τραγῳδίαν Αἴαντα. *m*) Carm. l. 4. od. 5. *n*) De quo vid. diſſertatio, quam de adoleſcentia Latinae linguae ſcripſi. c. 5. §. 18.

memorandi occaſio: *o)* vt nimis prolixum eſſe reputemus, omnia huc transferre, eademque vicibus iteratis ſcribere ad commendandum Romanae ciuitatis principem, qui quidem pro viribus literas artesque bonas propagare, et remunerari, et beneuole amplecti ſtuduit: in vno vero Cicerone, cuius hoſtis et parricida fuit, orbi literato plus detrimenti dedit, quam centena millia oratores, ſub Antonii fauore, et auſpicio, et opera ſolicita, reſarcire potuiſſent. Liberalis erat, ſed non in optimae notae viros; operam dabat elegantiae, ſed cauere tamen ſibi non vsque quaque potuit: quin crebro in Tullii et ipſius Octauiani, quod modo in huius viri praeclare meritis enarrauimus, cenſuram venerit. Anaxenori citharoedo, ſed quae inſania eſt, tributa quatuor ciuitatum legenda praebuit. *p)* Satis aperte, quamuis non adeo caute et circumſpecte, CICERO, *q)* *Haec*, inquit, *vt colligeres, homo amentiſſime, tot dies in aliena villa declamaſti: quanquam tu quidem, vt tui familiariſſimi dictitant, vini exhalandi, non acuendi ingenii cauſſa declamitas. Tum vero adhibes ioci cauſſa magiſtrum ſuffragio tuo, et compotorum tuorum rhetorem: cui conceſſiſti, vt in te quae vellet diceret. Salſum omnino hominem. Sed materia facilis in te et in tuos dicta dicere. Vide autem inter te et auum tuum quid interſit. Ille ſenſim dicebat, quod cauſſae prodeſſet: tu curſim dicis aliena. At quanta merces Rhetori data eſt? audite, audite P. C. et cognoſcite reip. vulnera: duo millia iugerum campi Leontini*

o) Cetera videri poſſunt apud PLVTARCHVM in vita ANTONII, DIONEM CASSIVM, VELLEIVM atque alios hiſtoriae Romanae ſcriptores, qui ea tempora attingunt. *p)* Vid. STRABO geogr. l. 14. p. m. 446. *q)* Philippica Oratione 2. cap. 17.

tini Sex. Clodio rhetori aſſignaſti, et quidem immunia, vt pro tanta mercede nihil ſapere diſceres. r) Rurſum: *s*) *At in rebus triſtiſſimis quantos excitat riſus? ſententiolas edidi cuiusdam memoriae mandaui, quas videtur ille peracutas putare. Ego autem qui intelligeret, quid dicere vellet, adhuc neminem inueni. AN VLLA CONTVMELIA EST, QVAM FACIT DIGNVS? primum quid eſt dignus? nam etiam malo digni multi, ſicut ipſe: an quam facit is, qui cum dignitate eſt? quae autem poteſt eſſe maior? quid eſt porro facere contumeliam? quis ſic loquitur? Deinde, NEC TIMOR, QVEM DENVNCIAT INIMICVS. Quid eſt ergo? ab amico timor denunciari ſolet? Horum ſimilia deinceps. Nonne ſatius eſt mutum eſſe, quam quod nemo intelligat, dicere.* etc. Alibi *t*) notat *piiſſimi* vocabulum ab Antonio, praeter vſum linguae Romanae inuentum eſſe: *Tu porro*, inquit, *ne pios quidem, ſed piiſſimos quaeris, et quod verbum omnino nullum in L. L. eſt, id propter tuam diuinam pietatem nouum inducis.* Procul dubio etiam ſcripta quaedam in lucem emiſit: fatis autem nunc obliterata ſunt omnia, vt ipſi tituli cum operibus interierint, et memoriam, ſine magno tamen diſpendio, et criſin eruditorum fugiant. Epiſtolae memorantur paſſim, etiam apud SVETONIVM Auguſt. c. 7. et TACITVM annal. lib. 4. cap. 34.

§. XX.

Viris illuſtribus et ſummis in republica Romana literarum fautoribus adſcribendum eſſe omnino cenſemus,

 quam-

r) Confer. SVETON. de claris rhetor. cap. 5. et ipſe TVLLIVS Philipp. orat. 3. c. 9. s) Ibidem. t) Philipp. orat. 13. c. 19.

quamuis conditione imparem, CAIVM CILNIVM MAECENATEM, *v*) de cuius vita, moribus et rebus geſtis IOH. HENRICVS MEIBOMIVS, Archiater Lubecenſis, ſingularem et elegantiſſimum librum conſcripſit, Lugduni Batau 1653, in 4to vulgatum. Fuit ille procul dubio ex Tyrrhenorum ſeu Etruriæ Regum proſapia oriundus. Vnde PROPERTIVS *x*) eum alloquitur:

Maecenas eques Etruſco de ſanguine Regum,
Infra fortunam qui cupis eſſe tuam.

HORATIVS: *y*) *Maecenas atauis edite Regibus.* Et auctor elegiae in Maecenatis obitum: z)

Regis eras genus Etruſci -- --

Aiunt fuiſſe filium Menedori, qui Caeſari contra Pompeium affuit. Illi Menippus pater, filius Caecinae Regis Etruſcorum. Propter ingenium, quod vulgare non fuit, prudentiam, taciturnitatem, reliquas virtutes, Octauiano Caeſari Auguſto familiaris amicus et conſiliorum moderator

v) De varia illius nominis ſcriptione vide TORRENTIVM, LAMBINVM et CHABOTIVM ad Horat. l. 1. od. 1. qui cum Mureto non *Moecenas*, aut *Mecoenas*, ſed *Maecenas* ſcribendum eſſe, ex vetuſtiſſimis marmoribus et codicibus euincunt. Contra BECMANNVS de orig. L.L. id nominis contendit eſſe a μὴ et κοινὸς, vt idem ſit ac ſingularis, non plebeius, non vnus e multis, ſupra vulgum patronus. Fabulae. Confer. MARTINI lexicon etymol. in voc. *Maecenas*

x) Lib. 3. eleg. 8. v. 1. Etiam SILIVS ITALICVS lib. 10 v. 40. Maecenatis meminit,

-- -- *cui Moeonia venerabile terra*
Et ſceptris olim celebratum nomen Etruſcis.

Et CICERO orat. pro Cluentio c. 56. C. Maecenatem quendam inter fortes equites, et robora populi Romani recenſuit: qui a noſtro diuerſi, eiuſdem vero nominis et originis fuerunt. *y*) l. 1. od. 1. v. 1. conf. l. 3. od. 29. v. 1. *z*) In catalectis Virgilii.

tor fuit, omnium clariſſimus. Magnus hic in aula Caeſarea principalium curarum adminiſter, Auguſto in bella concedente, vrbis cuſtos et gubernator conſtitutus eſt. *a)* Vnde auctor elegiae in Maecenatis obitum: *b)*

-- -- *Tu Caeſaris almi*
Dextra. Romanae Tu vigil vrbis eras.
Omnia cum poſſes, tanto tam carus amico,
Te ſenſit nemo poſſe nocere tamen.

Eo tempore, quo Maecenas noſter vrbis praepoſitus erat cuſtodiis, M. Lepidus iuuenis, triumuiri filius, quam primum reuertiſſet in vrbem, Caeſaris interficiendi conſilia inierat. Noſter vero iſtius iuuenis peſſima ſpeculatus eſt molimina per ſummam quietem et diſſimulationem, quaſi aliud agendo. Rebus cognitis, Lepidum celeriter oppreſſit, ac noui belli ciuilis initium reſtinxit, priusquam tumultus aliquis exoriri, et rerum hominumque perturbatio interuenire potuit: quae difficilem plerumque medicinam reddere ſolet. *c)* Quanta proinde fuerit eius poteſtas in aula Caeſaris, Dio *d)* conſulendus eſt. Idem omnium arcanorum conſiliorum conſcius, auctor idem, per quem audiebat, per quem loquebatur, per quem ſcribebat Auguſtus. Etiam dominum ſuum ad bella ſecutus eſt aduerſus Sextum Pompeium, ſecundo aduerſus M. Brutum Caſſiumque, rurſus contra Antonium et alios, et nullibi res non bene geſſit armis et conſilio. Quam Maecenatis virtutem in catalectis Virgilii auctor elegiae in obitum illius praeclare deſcribit:

comes

a) Vid. VELLEIVS l. 2. c. 88. TACITVS annal. l. 6. c. 11. *b)* In catalectis Virgilii. *c)* VELLEIVS PATERCVLVS l. c. conf. LIVIVS epit. 133. *d)* Lib. 51.

-- -- comes impiger idem,
Miles et Auguſti fortis et vſque pius:
Illum piſcoſi viderunt ſaxa Pelori
Ignibus hoſtiles reddere ligna rates.
Puluere in Emathio fortem videre Philippi,
Quam tunc ille tener, tam grauis hoſtis erat.
Cum freta Niliacae texerunt lata carinae,
Fortis erat circum, fortis et ante ducem.
Militis Eoi fugientis terga ſecutus:
Territus ad Nili dum fugit ille caput.
Pax erat: haec illos laxarunt ocia cultus.
Omnia victores, Marte ſedente, decent.
Actius ipſe lyram plectro percuſſit eburno,
Poſtquam victrices conticuere tubae.
Sic modo miles erat, ne poſſet femina Romam
Dotalem ſtupri turpis habere ſui. etc. *e*)

Debellatum iam erat apud Actium et occiſus Antonius, cum animum ſubiret Caeſaris cogitatio, quam arduum eſſet cuncta regendi onus, et quanto cum periculo coniuncta erudi adhuc ſeruitii populo obiecta imago: quod funeſto Iulii exemplo didicerat. Vocat ergo in conſilii conſortium cum Agrippa Maecenatem. Illi vero prudentiſſimi et ſummi auctoritatis conſiliarii, pro ſua quisque ſenſus et animi paſſione in diuerſa abeunt. Agrippa quidem animo magis populari, nimis arduum ratus, immenſum illud imperii corpus ita recte librari poſſe, ſi vnus omnia complecteretur conſilio atque cura; plures facilius munia reip. ſociatis la-

e) Confer. in eam elegiam DOMITII CALDERINI Veronenſis commentarius, in editione Virgilii Veneta fol. impreſſa anno 1495. pag. 342. ſeqq. Vid. etiam HORATIVS epod. 1. et 9.

Digitized by Google

tis laboribus executuros. Maecenas contra, temporum callidus obſeruator, pacis artibus et conſiliis excellens, quum videret, nihil aliud patriae diſcordantis remedium fore, quam vt vnius manu, ſed caute, regeretur, Maecenati perſuadet, vt monarchiam retineret, cuius cauſſa tot labores et pericula, tot vitae diſcrimina et calamitates ſubierit. Atque etiam illi rationem et viam ſimul demonſtrat, vti conſequeretur id, cui pridem inhiarat. Tantoque lubentius eam rationem Auguſtus iniit; ac facilius imperium ad ſe, nullo aduerſante, pertraxit. Eius oratio ab DIONE *f*) deſcripta eſt, rebus tot tantisque referta, vt iure optimo *politica monarchica* vocari poſſit, iudice IOH. HENR. BOECLERO, qui occaſione et ductu illius elegantiſſimam diſſertationem ſcripſit. *g*) Erat cum naturali prudentia et ſagacitate Maecenatis coniuncta vbiuis pene vtilis, ſed in plerisque conſiliariis, vel adulatoribus Regum potius, deſiderata, veracitas ac dicendi libertas, vſque adeo, vt iſtam, quod ſub tyranno capitale fuiſſet, boni principis aequitate fretus, palam profiteri nunquam omitteret. Aliquando Caeſar multos illuſtres viros capitis damnare in animum induxerat, iamque funeſtam illis ſententiam pronunciaturus tribunal aſcenderat. Quod cum ſentiret Maecenas, neque aliud ſuadere liceret, tabellam in eius ſinum conii cit, quaſi res alias contineret. Inſcripſerat autem illi: ***Surge tandem carnifex.*** *h*) Atque etiam tum paruit ſummus

X

f) Lib. 52. *g*) Inſcripta eſt haec laudata BOECLERI diſſertatio: *Maecenas, ſiue Conſiliator regius ex Dion. lib. 52. delineatus* Iterum impreſſa comparet diſſertationum, magni illius quondam viri, academicarum tomo poſteriori pag. 701. ſeqq. *h*) DIO lib. 55.

mus imperator, et conſiliarii ſui liberiorem increpationem adamauit, nihil magis exiſtimans viros principes fugere, quam vitiorum dedecus profitentes: et illos, qui omnia poſſident, maxima veritatis inopia laborare. Sed callidus tantorum conſiliorum adminiſter, vt principis ſui gratiam ſibi magis magisque confirmaret, ſingularem eius et conſtantem præ ſe ferebat amorem: cum omnia demonſtraret ſuppeditare ad ſubleuandum, cuius ſtupenda moles, Romanum imperium, et conſulendum ſaluti principis et patriae patris, cuius grauiſſimi labores ſine aliorum cura et fideli opera ſufficere vix poſſint: vt, qui vnius nutu regatur, orbem terrarum ſaluus et incolumis teneret. Acceſſit vrbanitas mira et comitas morum: vt omnia ad Caeſaris ingenium flecteret prorſus ac ſemetipſum conformaret: vſque adeo vt etiam in illius vitia declinaret, voluptates ſectaretur, iocis ludisque incumberet. Vnde TACITVS: *i)* *Ludos Auguſtales tunc primum coepta turbauit diſcordia, ex certamine hiſtrionum. Indulſerat ei ludicro Auguſtus, dum Maecenati obtemperat effuſo in amorem Bathylli: neque ipſe abhorrebat talibus ſtudiis, et ciuile rebatur miſceri voluptatibus vulgi.* Opes quidem illi magnae fuerunt et poſſeſſiones minime contemnendae: *k)* attamen vixit anguſto clauo contentus. *l)* Vnde PROPERTIVS: *m)*

Cum tibi Romano dominas in honore ſecures,
Et liceat medio ponere iura foro,
Vel tibi Medorum pugnaces ire per hoſtes,
Atque onerare tuam fixa per arma domum,

Et

i) Annal. lib. 1. cap. 54. *k)* Apud TACITVM Annal. l. 15. c. 39. et SVETONIVM Tiber. c. 15. horti Maecenatiani. Neron. c. 38. turris Maecenatiana. Apud PLINIVM hiſtor. natur. l. 14. c. 6. vina Maecenatiana laudantur. *l)* VELLEIVS l. 2. c. 88. *m)* Lib. 3. eleg. 8.

Digitized by Google

Et tibi ad effectum vires det Caeſar, et omni
Tempore tam faciles inſinuentur opes,
Parcis, et in tenues humilem te colligis vmbras.

Auctor elegiae in obitum Maecenatis:

Maius erat potuiſſe tamen, nec velle triumphos:
Maior res, magnis abſtinuiſſe, fuit.
Maluit vmbroſam quercum, nymphasque canentes,
Paucaque pomoſi iugera certa ſoli.
Pieridas, Phoebumque colens in mollibus hortis,
Sederat argutas garrulus inter aues.
Marmora Maeonii vincunt monumenta libelli:
Viuitur ingenio, cetera mortis erunt.

Scilicet hortos ſuos in Eſquiliis Maecenas habuit, quibus verſari maluit cum poetis ac indulgere ingenio, quam honores in aula magnosque triumphos promereri. Hinc modeſtia, citra vſum aulicorum, et cultus mediocritas apparet; ne forſan bonis Auguſti videretur inhiare: aut, quicquid ageret, propriis ſeruire commodis. Maluit paucis eſſe contentus, neque luxuriare in illis, quae poſſidebat. Inſigni videlicet prouidentia verebatur, ne viris principibus, cum ſoli eminere cupiant, ingratum ſit, quod nimium ſplendet. Contra ſibi facile perſuadebat, fore vt quietem humilitatemque, et ſummam rerum abſtinentiam ſimulantes magis diligerentur ab imperii ſummo principe, ac negotiis etiam grauiſſimis intimius admouerentur. Itaque ſufficiebat illi Caeſaris amor, eaque potentia, quam habere apud dominum imperii Romani potentiſſimum prudens ſciensque ſibi gratulabatur. Nec parum illa conditionis mediocritas et honorum declinatio Maecenatem prouexit: vt qui flocci haberet honores, elatum ſe in ſummo

 digni-

dignitatis faſtigio ſentiret; qui nihil concupiſceret, habere omnia, et ipſum Caeſarem in manibus tenere videretur. Tantus heros et imperii caput noſtro noluit eſſe dominus, ſed amicus, qui otium in ciuitate ipſi fecit, eaque praemia tribuit, quae princeps vix dare amico, aut amicus a principe accipere potuit *n*) Nec minus honore, quam diuitiis eum ornauit: vt qui eſſet equeſtri ordine, ciuitatis proceribus ab Auguſto annumeratus, triumphalium conſulariumque dignitate multos anteiret. In ea cum verſaretur Auguſti ſumma gratia: vitium nullum eximere illum potuit, quantum etiam illud fuiſſet. Quotus enim quisque ex mortalibus eſt, qui omnibus horis ſapit? Ita Caeſar aliquando Maecenatis deſiderauit taciturnitatem, quam HORATIVS tantopere commendat, eumque negat alia ſecum colloqui, *quam quae rimoſa bene deponuntur in aure*. Secretum videlicet de comperta Murenae coniuratione vxori Terentiae prodiderat. *o*) Quo licet offenderetur Auguſtus, tamen etiam delictum hoc indulgenter et multa cum patientia tulit: qui, teſte TRANQVILLO, *p*) *illacrumauit* nonnunquam, *et vicem ſuam conqueſtus eſt, quod ſibi ſoli non liceret amicis, quatenus vellet, iraſci.* Extremo tamen non ea, qua primum gauiſus eſt, Auguſti gratia perſtitit. Quod TACITVS *q*) ſuppeditat, vbi de Salluſtio, *aetate*, inquit, *prouecta ſpeciem magis in amicitia principis, quam vim tenuit. Idque*, pergit, *et Maecenati acciderat*; *fato potentiae raro ſempi-*

n) Seneca apud TACITVM annal. l. 14. cap. 53. Nero ibid. cap. 55. Auctor elegiae in Maecenatis obitum:

Caeſar amicus erat: poterat vixiſſe ſolute,
Cum iam Caeſar idem, quod cupiebat, erat.
Indulſit merito -- --

o) SVETONIVS Auguſt. c. 66. *p*) Loco citato. *q*) Annal. l. 3. c. 30.

ſempiternae: an ſatias capit, aut illos cum omnia tribuerunt; aut hos, cum iam nihil reliquum eſt quod cupiant. Obiit tandem Maecenas, eodem quo Horatius, anno V. C. DCCXLVI. Auguſto deſideratiſſimus: neque enim pares habuit, quos huic et Agrippae ſubſtitueret miniſtros. r) PLINIVS s) auctor eſt, Maecenatem perpetua febri laborauiſſe, nec vllius horae momento ſomnum ei contigiſſe, triennio ſupremo. Quamobrem Saluti promiſerat templum, ſi ſaluus euaderet: quod HORATIVS t) ſcribens ad aegrotantem Maecenatem innuit:

-- -- reddere victimas
Aedemque votiuam memento:
Nos humilem feriemus agnam.

Eademque oda, quod notari meretur, vates negat, Maecenate tanto patrono ſuo defuncto, viuere diutius ſe velle. Hic vero quantopere Horatium dilexerit, patet ex eo, quod extremis Auguſto dixit: *Horatii Flacci, vt mei, memor eſto.* v) Sed expertus eſt poeta hic adeo dilectus fata ſua V. Kalend. Decembr. iam ante Maecenatem, qui obitum illius numeris Phaleucis deplorauit. Fragmentum inde habemus apud ISIDORVM: x) *Lugente mea vita, nec ſmaragdos berilloſque, mi Flacce, nec nitentes per candida margaritas quaero, nec cortinalis me perpolibit anulus, nec iaſpius capillus.* Fragmentum hoc quidem ſatis molle eſt, qualis ipſe Maecenas in omni vita fuit, ſed etiam valde mendoſum: quod AND. ALCIATVS y) reſtituere conatus eſt in hunc modum:

r) Vid. DIO l. 55. s) Hiſt. natur. l. 7. c. 51. t) Lib. 2. od. 17. extr. v) Teſte SVETONIO in vita Horatii. x) Orig. l. 19. c. 32. confer. ANDR. SCHOTTVS obſeruationum humanarum lib. 2. cap. 60. y) Lib. παρέργων.

Lucentes, mea vita, nec ſmaragdos
Beryllos mihi, Flacce, nec nitentes
Nec praecandida margarita quaero:
Nec quas Thynica lima perpoliuit
Annellos, nec iaſpios lapillos.

ADR. TVRNEBVS z) ſic concinnabat verſus priores:

Lugent te, mea vita, te ſmaragdos,
Beryllus quoque, Flacce, nec nitentes
Nunc per candida margarita quaero.

§. XXI.

Apud SENECAM bene multa legi poſſunt de Maecenate: inter alia, quod fuerit ingenioſus vir, et magnum exemplum eloquentiae Romanae daturus, niſi felicitas eum caſtraſſet, ac ipſe vita molli grande et virile ingenium ſibi diſcinxiſſet. *a*) Idem VELLEIVS PATERCVLVS *b*) notauit: *vir vbi res vigiliam exigeret, ſane exſomnis, prouidens, atque agendi ſciens; ſimul vero aliquid ex negotio remitti poſſet, otio ac mollitiis paene vltra feminam fluens.* Ad eam mollitiem luxumque vitae IVVENALIS *c*) reſpexit, vbi *veſtem* commemorat *purpuream teneris quoque Maecenatibus aptam*: alibi *d*)

-- -- *referens de Maecenate ſupino.*

Apud PETRONIVM *e*) Trimalchio ſe vocat *Maecenatianum*, i. e. aeque mollem et vinoſum ac Maecenas fuit. Quum ergo diſcinctus ipſe et effeminatus eſſet, oratio eius non potuit non eſſe mollis et diſſoluta. *f*) Quam ob rem Auguſtus

z) Aduerſ. lib. 20. cap. 2. vide plura apud SCHOTTVM l. c. *a*) Vid. epiſt. 92. 102. 114. et 140. *b*) Lib. 2. c. 88. *c*) Satyr. 12 v. 39. *d*) Satyr. 1. v. 66. *e*) cap. 71. *f*) Vt non immerito apud TACITVM auctor dialogi de oratoribus cap. 26. *malim hercule C. Gracchi impetum, aut L. Craſſi maturitatem, quam calamiſtros*

guſtus per ludibrium etiam ſaepe talem ſe praeſtitit in epiſtolis ad Maecenatem ſcriptis, et plura in iocos effuſa ſubtexuit: *Vale mel gentium, melcule, ebur ex Etruria, lacer Aretinum, adamas ſuperas, Tyberinum margaritum, Cilneorum ſmaragde, iaſpis figulorum* etc. *g*) PLVTARCHVS *h*) vero teſtatur, eum Veneri deditum fuiſſe, ac ſedulo conuenire ſolitum Romanos, qui non ſolum meretrices, verum etiam coniuges ſuis proſtituere. Vbi narrat, quod Cabba quidam ad caenam inuitauerit Maecenatem. Inde eum et vxorem ſuam cernens inter ſe annictantes, leni capitis inclinatione ſimulauerit dormire. Interea cum quidam ex ſeruis foris arreperet ad menſam, vinumque intercipere: ſuſpicientem dixiſſe, neſcis, infelix, ſoli me dormire Maecenati? Neque auctor elegiae in Maecenatis obitum *i*) potuit diſſimulare, molli et effeminato eum corpore fuiſſe: ita tamen hanc vulgi vocem excipit, vt virtutibus longe praeſtantiſſimis, ſi quid fuerit in iſto vitii, compenſatum demonſtret:

Quod diſcinctus eras, animo quoque, carpitur unum:
Diluitur nimia ſimplicitate tua.
Sic illi vixere, quibus fuit aurea virgo k)
Quae bene praecinctos poſt modo pulſa fugit.
Inuide, quid tandem tunicae nocuere ſolutae?
Aut tibi ventoſi quid nocuere ſinus? etc.

§. XXII.

Maecenatis, aut tinnitus Gallionis. Eſt autem *calamiſter* vel *calamiſtrum* ferreum inſtrumentum, quo calefacto criſpantur ornanturque capilli. Germ. ein Kräuſſel-Eiſen. Sed in rhetorum ſchola *calamiſtros adhibere* eſt fucatum cultum orationi addere. Conf. CICERO in orat. c. 23. de claris orat. c. 75. extr. *g*) Vid. MACROBIVS Saturn. l. 2. c. 4. confer. SVETONIVS Auguſt. cap. 86. *h*) Amatoriis. Oper. p. m. 94. *i*) In catalectis Virgilii. *k*) i. e. iuſtitia, quae vna cum pudicitia nequitiam mundi reliquiſſe traditur.

§. XXII.

Tanta fuit eius in literatos omnes et viros doctos beneuolentia et liberalitas, vt ipſum nomen, quod fuit illi, proprium tranſierit in commune, ac prouerbiali ſchemate obtinuerit iam vſurpari, quo ſtudiorum omnium et eruditorum fautores ac patroni *Maecenates* vocantur. Neque enim ille ſolum ipſe praeclara ingenia fouit, atque beneficiis cumulauit pene et obruit; verum etiam Octauiano Caeſari, orbis domino, commendauit vſque adeo, vt optimus princeps in eandem bonarum artium ſalutem conſpirare, et cum ipſo conſiliario ſuo de virtutis palma et maiori doctorum cura decertare videretur. Ego certe neſcio vtri magis debeant muſae Romanae: cum Caeſar, qui maxime potuit, omnes facultates porrexerit ad vſus et maximum commodum earum; Maecenas ad eam ſalutis arcem ipſis dux fuerit atque comes. Id quod eius aeui ſcriptores praeſertim poetas vno ore videmus celebrare omnes: et de laudibus tanti praeſidii dulciſque decoris ſui, vt HORATII *l*) verbis vtar, in coelum efferendis valde ſolicitos eſſe. *m*) Principes eiuſmodi viros, qui benefici et liberales aeque in ſtudia ſint, anxie deſiderauit, aſt nunquam vidit, ſequioris aeui calamitas. Ita MARTIALIS: *n*)

Otia da nobis: ſed qualia fecerat olim
Maecenas Flacco Virgilioque ſuo.

Alibi: *o*)

Ingenium ſacri miraris abeſſe Maronis,
Nec quemquam tanta bella ſonare tuba.

Sint

l) Lib. 1. od. 1. v. 2. et l. 2. od. 17. v. 4. *m*) Dicemus de illis capite ſequenti. *n*) Lib. 1. epigr. 108. *o*) Lib. 8. epigr. 56.

Sint Maecenates, non deerunt, Flacce, Marones,
Virgiliumque tibi vel tua rura dabunt.

Rurſum: *p*)

Quod Flacco Varioque fuit, ſummoque Maroni,
Maecenas atauis regibus ortus eques:
Gentibus et populis hoc te mihi, Priſce Terenti,
Fama fuiſſe loquax chartaque dicet anus.

Doctos viros ille ſummus bonarum artium patronus lubentiſſime ſecum habuit, et in familiari conſuetudine, et in conuiuiis: etiam ab illis ſe vocari ad coenam paſſus eſt vicisſim. *q*) Et palam profiteri nullus dubitauit, illos, qui praeſidium ſuum in bonis artibus ponunt, maiori etiam, quam merita ipſorum poſtulant, honore afficiendos eſſe. *r*)

§. XXIII.

Neque ſolum Maecenas doctis fauit, ſed ipſe etiam eleganter doctus fuit *s*) ac ingenii reliquit inſignes foetus, epiſtolas et carmina, ex quibus fragmenta quaedam adhuc ſuperſunt. Ita ex Octauia et incerta eius tragoedia nonnihil legimus in fragmentis veterum tragicorum, quae PETRVS SCRIVERIVS collegit, ac praemiſſis auctorum, qui tragicos laudant, teſtimoniis, et ſubiectis caſtigationibus notisque vberioribus GERH. IOH. VOSSII nouimus eſſe vulga-

p) Lib. 12. epigr. 4. *q*) Ita HORATIVS conuictorem ſe Maecenatis vocat l. 1. ſatyr. 6. v. 47. Epod. 3. allium deteſtatur, quod apud Maecenatem ederat. Ipſum vero ad conuiuium inuitat Carm. l. 1. od. 20. l. 3. od. 29. *r*) Vid. BOECLERI Maecenas, diſſert. acad. tomo poſter. pag. 745. *s*) HORATIVS carm. l. 3. od. 8. doctum fuiſſe, ait, *ſermones vtriusque linguae:* Graecae videlicet ac Latinae. Et auctor elegiae in Maecenatis obitum artibus liberalibus eum fuiſſe praeſtantiſſimum ſimul atque rei militaris amantiſſimum innuit.

ta Lugduni Batau. 1620. 8. *t*) Comparent etiam C. Cilnii Maecenatis fragmenta in epigrammatibus veteribus, quae prodierunt Pariſiis 1590. 12. et Geneuae 1596. 8. ex bibliotheca et cum emendationibus P. PITHOEI. *v*) Item in erroribus Venereis, ſiue Petronii Arbitri appendice, qui cum variorum animaduerſionibus proſtat Amſtelodami 1687. 8. *x*) DIO *y*) Maecenatem γράμματα πρὸς τάχος ſiue ſiglas quaſdam primum inueniſſe refert: quas nulla iniuria ipſius liberto, Aquilae cuidam, adſcribunt alii: *z*) niſi quod quis per alium fecit, illud ipſum feciſſe velis, et dominos ſeruorum ſibi vindicare ſtudia. Quo inductum fuiſſe nouimus TRITHEMIVM *a*) vt Ciceronem de notis, quas Tironi eius liberto debebant, volumen edidiſſe ſomniaret: et ipſe PETRVS BEMBVS *b*) illud inuentum Ciceroni adiudicaret.

CAPVT III.

De Poetis ſex maioribus, quorum ſcripta Latinae linguae perfectionem demonſtrant.

§. I.

Latinitate florente omnes propemodum trahebantur ſtudio poetico. 2. CATVLLI *vita,* 3. *ſcripta,* 4. *ſtilus,* 5. *ex antiquioribus imitatores, &* 6. *editiones notantur.* 7. TIBVLLI *deſcribitur vita,* 8. *ſcripta recenſentur,*

Pallade cum docta Phoebus donauerat artes:
Tu decus et laudes huius et huius eras.

t) Celeb. FABRICIVS ea recenſet biblioth. Latin. l. 4. c. 1. p. 670. *v*) Ibid. p. 673. *x*) Ibid. p. 689. *y*) lib. 55. *z*) Confer. ISIDORVS orig. l. 1. c. 21. *a*) Polygraphiae l. 6. p. 599. *b*) Famil. epiſt. l. 5. epiſt. 8. ad Iulium II. Pontificem.

tur, *et* 9. *merita*. 10. *Agitur de* PROPERTII *vita*, 11. *ſcriptis*, 12. *ſtilo*, 13. *editione*. 14. *Recenſentur Catulli*, *Tibulli et Propertii editiones ex ſeculo decimo quinto*, 15. *decimo ſexto*, 16. *decimo ſeptimo*, 17. *decimo octauo*. 18. *Agitur de* VIRGILII *vita*, 19. *ſcriptis*, 20. *catalectis*, 21. *ſcribendi ratione*, 22. *admiratoribus*, 23. *obtrectatoribus*, 24. *meritis & ſtilo*, 25. *editionibus ſeculi decimi quinti*, 26. *decimi ſexti*, 27. *decimi ſeptimi*, 28. *decimi octaui*. 29. *Agitur de* HORATII *vita*, 30. *ſcriptis*. 31. *admiratoribus*, 32. *obtrectatoribus*, 33. *ſcribendi ratione et ſtilo*, 34. *editionibus ſeculi decimi quinti*, 55. *decimi ſexti*, 36. *decimi ſeptimi*, 37. *decimi octaui*. 38. *Agitur de* OVIDII *vita*, 49. *ſcriptis*, 40. *phraſi*, *ex fratre nepos*, 41. *obtrectatoribus*, 42. *meritis et ſtilo*, 43. *editionibus ſeculi decimi quinti*, 44. *decimi ſexti*, 45. *decimi ſeptimi*, 46. *decimi octaui*.

§. I.

Si quod aeuum, certe hoc Auguſteum, Latinae linguae feliciſſimam atque adeo virilem aetatem in ſe continens, artis poeticae ſtudio, et carmina fingendi quodam quaſi pruritu trahebatur. Romani ad otium a militia traducti erant aſtu principis: neque melius poterant ignobile otium traſigere, quam pangendis verſibus: vt ſumma et mediocria quaeque ingenia (quid enim ſuauius eſt diuina quaelibet fingendi, ſuisque numeris linguam ligandi arte mortalibus conceſſa?) deſiderium poetandi, ceu morbum familiarem quendum, ſentirent. Quam ob rem HORATIVS haud iniuſtam querelam mouit:

Scribimus indocti doctique poemata paſſim.

Et alibi:

-- -- *Populus leuis hoc calet vno*

Scribendi ſtudio: pueri patreſque ſeueri
Fronte comas vincti caenant, et carmina dictant.

Summa, quam arti huic Romani, etiam principes viri, illa aetate conceſſerunt, dignitas et gloria, et voluptas, et munera, et neſcio quid tandem, pleroſque potuerunt eo perducere: nec paucos incomparabili felicitate ad ſacra Muſarum, et abdita quaeque ſublimioris illius ſcientiae commoda, penetrare docuerunt. Illud ſtudiorum genus quis non arripuerit auidiſſime, quod ex infima plebe mortales ad conſortia et familiaritatem principum virorum, atque adeo ad inſignem gloriam, et vitae maxima emolumenta promouiſſe conſtat? Profecto non ſine admiratione lego, ipſum Iulium Caeſarem, cum in republica Romana eiuſque imperio ampliſſimo ſuper omnes elatus longe et primus eſſet, forte aliquando in poetarum collegium aſcitum, in illo ordine infra multos ſediſſe: vt oſtenderet quanti facienda ſit poetica. Et Accius quidam illum venientem, in poetarum collegium nunquam veneratus eſt. *a*) Virgilio vero Senatus P. Q. R. in theatro ſicut Caeſari aſſurrexit. *b*) Atque etiam hoc fuit grande commendationis argumentum, quod Octauianus Caeſar Auguſtus, ſingulare ciuilis ſapientiae et vniuerſae doctrinae exemplum, frangi potius voluerit venerandam legum poteſtatem, quam Virgilianum carmen aboleri. *c*)

Sic

a) Vid. VALERIVS MAXIMVS l. 3. c. 7. n. 11. *b*) Auctor dialogi, an ſui ſeculi oratores antiquis concedant, cap. 13. *Malo ſecurum et ſecretum Virgilii ſeceſſum, in quo tamen neque apud diuum Auguſtum gratia caruit, neque apud populum Romanum notitia. Teſtes Auguſti epiſtolae, teſtis ipſe populus, qui auditis in theatro verſibus Virgilii, ſurrexit vniuerſus, et forte praeſentem ſpectantemque Virgilium veneratus eſt, ſic quaſi Auguſtum.* *c*) Vide ſubſequentem Virgilii vitam.

Sic honor et nomen diuinis vatibus, atque
Carminibus venit. -- -- -- *d)*

Illud vero abſit dicamus, tam eruditio, tam abſoluto omni diſciplinarum genere, felici et perfecto ſeculo, etiam indoctis, et immerito hanc artem iactantibus, obtigiſſe, et omnes, idem nomen qui affectabant, eadem cum optimis fata, eandem gloriam et nominis famam habuiſſe. Quod minime fieri tum poterat inter Romanos, delicatiſſimi qui erant palati, vſque adeo, vt indoctum doctumque fugaret recitator acerbus. *e)* At

-- -- *mediocribus eſſe poetis*
Non homines, non Di, non conceſſere columnae. f)

Sed tamen ratio fuit, vt extra diuinae artis poeticae notitiam, quae in omnibus non maxima eſſe potuit, admitterentur etiam ad voluptatem alii, qui animos rigidius libertatem amantium rebus ludicris emollirent. Quamobrem Imperator Auguſtus non modo hiſtriones, qui calamitatibus antea expoſiti fuerant omnibus, *g)* verberum immunes eſſe iuſſit; *h)* verum etiam pantomimorum artem, antea incognitam, primus in vrbem induxit, vt extra comoediam, vel tragoediam, venirent in orcheſtram, et taciti fabulam deſaltarent. Eaque in re vſus eſt Pyladis Cilicis et Bathylli Alexandrini, Maecenatis liberti, opera. Hinc

d) HORATIVS de arte poetic. *e)* Idem loc. cit. circa finem. *f)* Ibid. *g)* Certe fabularum actores honore nullo dignabantur; et in ſcenam prodire, et populo eſſe ſpectaculo, apud Romanos videbatur eſſe ab honeſtate remotum. vid. CORN. NEPOS praefat. Et CICERO orat. pro Quinctio, de Roſcio Comoedo, quem toties laudauit, praeſertim in oratione propter ipſum habita: *Etenim*, inquit, *cum artifex eiusmodi ſit, vt ſolus dignus videatur eſſe, qui ſcena ſpectetur: tum vir eiuſmodi eſt, vt ſolus dignus videatur, qui eo non accedat.* *h)* Teſte SVETONIO Auguſt. c. 45. et TACITO an-

SVIDAS: Ὀρχησις παντόμιμος. Ταύτην ὁ Αὔγουστος Καῖσαρ ἐφεῦρε, πυλάδου καὶ βαθύλλου πρῶτον αὐτὴν μετελθόντων. *Saltatio pantomimorum. Hanc Auguſtus Caeſar inuenit, Pylade et Bathyllo, primitus eam introducentibus.* Alibi: *i*) Κατὰ δὲ τοὺς καιροὺς ἐκείνους καὶ ἡ παντόμιμος ὄρχησις εἰσήχθη, οὔπω πρότερον οὖσα. *Illis temporibus introducta eſt ſaltatio pantomimorum, quae antea non obtinebat. k*) Videlicet ad reip. tranquillitatem conducebat, vt populus non de Caeſaris dominatu, ſed de ludorum nugis cogitaret: cuius rei non ignarus Auguſtus cunctos otii dulcedine pellexit. Nihil nos nunc pantomimos hiſtrionesque moramur, ſed in praeſenti poetas optimos, quorum opera, ad demonſtrandam Latinitatis perfectionem, maiora ſuperſunt, oculo non conniuenti perluſtrabimus. Capite vero ſubſequenti poetas, aut ſcriptis, aut fama, minores quoſdam illis Latinae linguae luminibus maximis ſubiiciemus. Sunt autem, quibus incomparabilia et artis diuinae, et ſermonis elegantioris monumenta debemus, numero ſex: trifolium primo amoris, Catullus, Tibullus atque Propertius: quos Virgilius epici carminis princeps excipit: tum Horatius, et vltimo Ouidius, quorum alter in lyrico, alter in elegiaco poeſeos genere principatum tenet.

§. II.

CAIVS *l*) VALERIVS CATVLLVS, Veronenſis poeta

nal. l. 1. c. 54. *i*) In Ἀθηνόδωρος. *k*) Vid. idem in πυλάδης. ZONARAS lib. 1. ATHENAEVS lib. 1. MACROBIVS Saturn. l. 2. c. 7. VOSSIVS inſtit. Poetic. l. 2. c. 37 OCTAV. FERRARIVS de mimis et pantomimis diſſert. elegantiſſima. *l*) *Quintum* pro *Caio* vocant nonnulli codices: quos Ios. SCALIGER ſequitur: et hunc theſaurus eruditionis ſcholaſticae, qui ſub FABRI nomine omnibus innotuit. Plerique vero Caium vocant, cum APVLEIO in apologia, et S. HIERONYMO

Digitized by Google

poeta celeberrimus, natus anno V.C.DCLXVIII in peninſula Sirmione lacus Benaci, in agro Veronenſi: *m*) non obſcuro genere. Nam pater eius, teſte SVETONIO *n*) Iulii Caeſaris hoſpitio vſus eſt. Aetate adhuc tenera deducitur Romam a Mallio: *o*) vbi felicitate ingenii et doctrina tantum profecit, vt omnibus in ciuitate gratus M. Tullii Ciceronis patrocinium meruerit. Quod ipſe teſtatur de ſe haud ineleganti epigrammate, *p*) ad M. Tullium ſcripto, quo gratias illi ceu patrono immortales egit:

Diſertiſſime, inquit, *Romuli nepotum*,
Quot ſunt, quotque fuere, Marce Tulli,
Quotque poſt aliis erunt in annis,
Gratias tibi maximas Catullus
Agit, peſſimus omnium Poeta;
Tanto peſſimus omnium Poeta,
Quanto tu optimus omnium patronus.

Virorum maximorum auctoritatem aliquando parui fecit, vſque adeo vt Strumam Nonium in ſella curuli viſum indigne tulerit. *q*) Iulium Caeſarem offendit verſiculis de Mamurra, *r*) quibus impoſita continuo ſtigmata ne diſſimulauit quidem. Eius rei cauſſam dicere iuſſus, Caeſari e continenti ſatisfecit, h. e. rogauit eum vt ignoſceret, deprecantium formula: *nollem eſſe factum.* Libens ergo Caeſar inimicitias depoſuit, eodemque die poetam adhibuit caenae:

in chro n. quos Is. VOSSIVS ſequitur. *m*) OVIDIVS amor. l. 3. eleg. 15. v. 7. *n*) In Iulio Caeſare cap. 73. *o*) Quem celebrat carmine 63. Illius etiam ac Iuliae nuptias magno ſtudio decantauit. carm. 56. Alii *Manlium* pro *Mallio* legunt vtrobique. *p*) Vid. CATVLLI epigr. 45. *q*) PLINIVS hiſt. natur. l. 37. c. 6. *r*) Vid. eiusd. carm. 26. et 53.

caenae: hoſpitioque patris eius, ſicut conſueuerat, vti perſeuerauit. *s*) In priori vero de Mamurra carmine, cuius initium:

Quis hoc poteſt videre? quis poteſt pati
Niſi impudicus, et vorax -- --

cum mentionem faciat praedae Ponticae et Ibericae, facilis coniectura eſt, haec ſcripta factaque eſſe ſub tempora Caeſaris nouiſſima, cum eius maxima eſſet in rep. auctoritas. Iuuenis admodum puellam adamauit ciuem ſuam, quam Ipſithillam vocat, *t*) omnium vero maxime *v*) Clodiam, quam ficto nomine Lesbiam dicit, etiam cum viro nupſiſſet, *x*) impune vſque adeo, vt nullus dubitauerit ſcribere ad eam: *y*)

Viuamus mea Lesbia, atque amemus.
Rumoresque ſenum ſeueriorum
Omnes vnius aeſtimemus aſſis.

Clodiam vero latere ſub ficto nomine Lesbiae, APVLEIVS *z*) diſerte ſcribit: ***Eadem igitur opera accuſent C. Catullum, quod Lesbiam pro Clodia nominarit.*** Haec fuit, quae cum primis excitauit ingenium poetae. Μουσικὴν ἔρως διδάσκει; et pluribus amicae feliciſſimam in carmina materiam praebuerunt: vt iuncta nomina toto celebrentur in orbe. *a*) Vnde

confer. PLINIVS hiſt. natur. l. 36. cap. 6. *s*) Teſte SVETONIO in Iulio Caeſare cap. 73. *t*) Carm. 29. *v*) Hinc ipſe carm. 82.

Nulla poteſt mulier tantum ſe dicere amatam
Vere, quantum a me Lesbia amata mea eſt.

x) Vid. carm. 78. confer. carm. 54. 74. 67. 65. *y*) Carm. 4. confer. MARTIALIS lib. 11. epigr. 7. et lib. 12. epigr. 59. PROPERTIVS I, 2. eleg. vlt. circa finem. *z*) Apolog. p. m. 338. *a*) OVIDIVS ad amicam Amor. l. 1. eleg. 3.

Nos quoque per totum pariter cantabimur orbem.

Vnde MARTIALIS: *b)*

Si dare vis noſtrae vires animosque Thaliae,
Et victura petis carmina; da, quod amem.
Cynthia te vatem fecit laſciua, Properti:
Ingenium Galli pulchra Lycoris erat.
Fama eſt arguti Nemeſis formoſa Tibulli:
Lesbia dictauit, docte Catulle, tibi. etc.

Et SIDONIVS APOLLINARIS: *c) Memineris quod ſaepe verſum Corinna cum ſuo Naſone compleuit, Lesbia cum Catullo, Caeſennia cum Getulico, Argentaria cum Lucano, Cynthia cum Propertio, Delia cum Tibullo. etc.* Inter ceteros amicos M. Tullium Ciceronem, et Mallium ſiue Manlium, patronos dilexit, Cornelium quoque Nepotem, cui libellus carminum inſcriptus, Furium et Aurelium, tum etiam Cinnam, Cornificium, Fabullum et Verannum, quem omnibus ex amicis antiſtitem *d)* alicubi *Veranniolum* blanditer appellat. Fratris mortem impatienter admodum tulit, et confeſſus eſt: *e)*

Totum hoc ſtudium luctu fraterna mihi mors
Abſtulit, o miſero frater adempte mihi.
Tu mea tu moriens fregiſti commoda frater:
Tecum vna tota eſt noſtra ſepulta domus.
Omnia tecum vna perierunt gaudia noſtra,
Quae tuus in vita dulcis alebat amor.

Anne Virgilius quoque inter Catulli familiares recenſendus eſt? Quod potuiſſet non nemo elicere ex hoc MARTIALIS: *f)*

Iunctaque ſemper erunt nomina noſtra tuis.

b) Lib. 8. epigr. 73. Confer. PROPERTIVS l. 2. eleg. vlt. circa finem. *c)* Ad Heſperium. *d)* Carm. 8. *e)* Carm. 63. *f)* Lib. 4. epigr. 14. Quod fecit PETRVS CRINITVS lib. 2. de poetis Latinis, in vita Catulli.

Sic forſan tener auſus eſt Catullus
Magno mittere paſſerem Maroni.

Sane non poteſt. Virgilium enim Catullus aetate multo praeceſſit; ac Martialis fingit hoc, tum vt ſe Catullo, tum vt Virgilio Silium conferat, qui eum diligenter imitatus eſt, et natalem eius aramque religioſiſſime coluit. *g*) Hic autem poetae ſenſus eſt: Sic forte etiam Catullus, ſi Virgilii aetatem attigiſſet, vt ego tuam, auſus fuiſſet illi ſua de paſſere viuo et mortuo Lesbiae carmina mittere. *h*) Sed Vossivs *i*) per paſſerem συνεκδοχικῶς intelligit totum poema: nempe ab initio, quia primum epigramma ſcriptum eſſet de paſſere. Mortuus eſt Romae circa annum V. C. DCCV. aetatis XXXVII. *k*) quo bellum ciuile Pompeio ac reip. funeſtum coepit. Iosephvs Scaliger *l*) quidem et Is. Casavbonvs *m*) contendunt, poetam noſtrum quoque Iulium Caeſarem ſuperuixiſſe: Contrarium vero Is. Vossivs *n*) et Petrvs Baelivs *o*) meridiana luce clarius demonſtrarunt. Fuit alius *Q. Catullus*, quem vulgo ſcriptores cum *C. Catullo* confundunt. Integrum illius nomen eſt *Q. Lucatius Catullus*, mimographus, de quo videndus eſt vetus ſcholiaſtes ad Ivvenalis: *p*)

clamo-

---

g) Confer. Mart. l. 11. epigr. 49. et 51. Plinivs l. 3. epiſt. 7. *h*) Angelvs Politianvs miſcell. cap. 6. ex Mart. l. 11. epigr. 7. in fine, obſcoenum quid per Catulli paſſerem intelligit: cui. Fr. Floridvs ſubciſ. l. 1. c. 5. ſimplicem ſenſum aſſerit. *i*) De poetis Latinis c. 1. *k*) Hieronymvs tamen ſcribit in chronico eum trigeſimo aetatis anno Romae vita defunctum eſſe, olymp. 180. ann. 4. Lentulo et Metello Coss. quibus Cicero ab exilio reuocatus fuit. *l*) Ad Euſebii num. MDCCCCLX. *m*) Ad Sueton. Iul. Caeſar. c. 73. *n*) Ad Catullum p. 35. 72. 81. ſeq. et 317. *o*) In lexico. *p*) Satyr. 8. v. 186. Polyb. l. 1. Evtrop. l. 2. c. 16.

-- -- *clamoſum ageres vt Phaſma Catulli.*

Phaſma autem ſeu ſpectrum eſt fabula ita inſcripta, cuius ille mimographus Catullus auctor eſt. Idem alibi: *q*)

-- -- *mimum agit ille,*

Vrbani qualem fugitiuus ſcurra Catulli.

Is omnino videtur eſſe, cuius mentionem fecit PLINIVS. *r*) Alius CICERO *s*) meminit, cuius magna fuit auctoritas et verecundia, cum nihil noui in Pompeio conſtitui vellet.

§. III.

Multa ſcripſit Catullus noſter, vt ex veteribus Grammaticis conſtat, pauca tamen ad nos venere, quae extant libro epigrammatum et variorum poematum, diuerſo carminis genere ſcriptorum dicatorumque Cornelio Nepoti. PETRVS CRINITVS *t*) dicit, haec poemata in tres libros diuidi, vt primus lyricos, ſecundus eligidia, tertius epigrammata contineat. Haec diſtinctio quidem apparet in editione Veneta 1487. fol. ſed in MSt. codicibus antiquis non reperitur, et merito hinc in reliquis editionibus omiſſa eſt.

§. IV.

Verſus illius vt duriuſculi notantur ab iuniore PLINIO. *v*) *Praeterea facit verſus*, inquit, *quales Catullus aut Caluus. Quantum illis leporis, dulcedinis, amaritudinis, amoris! inſerit ſane, ſed data opera mollius leniusque, duriuſculos quoſdam: et hoc, quaſi Catullus aut Caluus.* In iambis

q) Satyr. 13. v. 110. *r*) Lib. 5. epiſt. 3. *s*) Pro lege Manil. c. 20. confer. VELLEIVS l. 2. c. 32. *t*) De poetis Latinis lib. 2. in vita Catulli. *v*) Lib. 1. epiſt. 16. qua de Saturnini ſtilo agit.

iambis acerbitas a QVINTILIANO *x*) obſeruatur, vbi, *iambus*, inquit, *non ſane a Romanis celebratus eſt vt proprium opus, a quibuſdam interpoſitus: cuius acerbitas in Catullo, Bibaculo, Horatio* etc. Sed tenuem, i. e. nitidum et cultum aemulus eum vocat MARTIALIS: *y*)

Nec ſua plus debet tenui Verona Catullo.

Neque GELLIVS *z*) eum veretur *elegantiſſimum poetarum* appellare; nec dicere alibi: *a*) verſibus illius auctoris *mundius, venuſtius, limatius* (perperam vulgo *limitatius* legitur) *preſſius, Graecum Latinumue nihil quicquam reperiri.* Et OVIDIVS *b*) hunc non ſolum Ennio atque Lucretio, verum etiam maieſtati Virgilianae, oppoſuit: quemadmodum hoc quoque vulgatum eſt: *c*)

Tantum magna ſuo debet Verona Catullo,
Quantum parua ſuo Mantua Virgilio.

Imo tantam nominis famam laudemque apud eruditos Catullus noſter conſecutus eſt: vt vno omnium conſenſu, quoddam quaſi epitheton peculiare, *Docti* cognomen acceperit. *d*) Hinc MARTIALIS: *e*)

Verona docti ſyllabas amat vatis.

Alibi: *f*)

Lesbia dictauit, docte Catulle, tibi.

Sed

x) Inſtit. orat. lib. 10. cap. 1. Cui reſpondet BORRICHIVS de poetis p. 49. *ſi abunde duriuſculus appareat, praeſertim in epicis, mirifica ingenii amoenitate horrorem illum abſterſit* etc. *y*) Lib. 11. epigr. 103. confer. eiusd. l. 14. epigr. 195. *z*) Noct. Attic. l. 7. c. 20. *a*) L. 19. c. 9. *b*) Triſt. l. 2. *c*) Apud MARTIAL. l. 14. epigr. 195. confer. eiuſd. l. 11. epigr. 103. *d*) Quod ei tribuit OVIDIVS amorum lib. 3. eleg. 9. *e*) Lib. 1. epigr. 62. *f*) Lib. 8. epigr. 73.

Sed quare veteres illi, prae tot aliis illuſtribus viris et eruditione clarioribus, *docti* cognomen dederint, nuſpiam reperire potui: attamen ſi coniecturis aliquid tribuendum eſt, cum BARTHIO *g)* videtur mihi, eum honoris titulum a coaeuis ſuis ideo accepiſſe, quod multa Graecorum, quae imitabilia eſſe nemo putabat, Latinis literis erudite et feliciſſime expreſſerit. Quocum PETRI VICTORII *h)* iudicium conuenit, Catullo nihil ingenioſius, nihil expeditius, excogitari poſſe. Neque audiendus eſt cum inepta ſententia ſua IACOBVS GADDIVS *i)* qui, cum in pleroſque poetarum principes iniurius cenſorque nimium moroſus eſſet, *maioris*, inquit, *famae ac exiſtimationis poeta, quam praeſtantiae et molis, cum pauca poemata ediderit. Docti nomen obtinuit, cuius rationem ignoro, et libere fateor ignorantiam meam.* Rurſum: *k) iudicarem doctum Catullum, ſi non legiſſem eius carmina, in quibus nullam inueni doctrinam.* Illum vero, ceu hominem inficetum, MORHOFIVS *l)* dudum cum bellis ſuis iudiciis valere iuſſit, quum ad cenſuram de poetis ferendam aeque aptus ſit, ac aſinus ad lyrae cantum iudicandum. Eius furfuris ſunt quoque Virginius Caeſarinus, Iohannes Ciampolus et alii, qui non ſolum in Catullum grauiter inuehunt, verum etiam omnia veterum pura, et incorrupto nitore fulgentia contemnunt. Hucusque vero ſapientum neminem mouere potuerunt. *m)* Catullum *inaffectatae elegantiae affectorum* HEINSIVS, et pro-

g) Aduerſ. l. 38. c. 7. Quantumuis illi lib. 52. cap. 16. Catullum velut a nequitiis docti nomen tuliſſe videatur. *h)* Var. lect. l. 24. c. 15. *i)* De ſcriptoribus non eccleſiaſt. t. 1. p. 125. *k)* Sub Florido Sabino p. 186. *l)* Polyhiſt lit. l. 4. c. 11. §. 13. *m)* Vid. ERYTHRAEI Pinac. 3. p. 214.

pter eandem ſtili puritatem SCALIGER pater *pecten Muſarum* vocat. *n*) BARTHIO *o*) eſt ſuauis maxime et Latinus poeta. Alibi: *p*) neminem putat meliorem Graecarum Venerum interpretem ante Catullum fuiſſe, quam illum ipſum, qui metrorum genera, quae illis ſolis data videbantur, incomparabili ſucceſſu primus Latinis tranſcripſerit. Res quidem ipſas quod attinet, materiamque ſcribendi, multa ſunt in eius verſibus vulgaria, multa etiam impudica: ſed quod IVL. CAESAR SCALIGER *q*) maxime reprehendit, cum eius ſyllabae durae ſint, ipſum non raro eſſe durum; aliquando contra adeo mollem, vt fluat, neque conſiſtat; multa languida, quorum miſeret; multa coacta, quorum piget; ipſumque ſaepius inuitum ab ſuis verſibus tractum eſſe: Graecis translationibus atque ſeruo imitationis generi adſcribimus, in argumento, quod ſumſerat, non ſatis caſto. Haud raro tamen etiam illum horrorem ſuauitate ingenii abſterſit, et res leuiſſimas linguae Romanae venuſtate redemit. Quamobrem ſuauiſſimus poeta vocatur BORRICHIO *r*) et dignus qui in argumento caſtiori occuparetur. Ipſe PAVLVS MANVTIVS *s*) Tibullo demum et Propertio locum a Catullo proximum in elegantia verborum et in ſententiarum concinnitate concedit. Et RENATO RAPINO *t*) *Catul-*

n) Vid. SCALIGERI filii confutatio ſtultiſſimae Burdonum fabulae, quae eſt in opuſculis illius variis poſtumis. Idem videtur Catullum ipſi Ouidio eiusque lubricitati praeferre. Exercit. 341. de ſubtilit. adu. Card. Sed Docti nomen male Catullo eſſe ab antiquis tributum autumauit. Verum ei reſponder HENR. IVL. SCHEVRLIVS in Stat. Mercurial. P. 2. ſect. 2. c. 6. et Catullum ex merito defendit. *o*) Aduerſ. l. 8. c. 22. *p*) Aduerſ. l. 38. c. 7. *q*) Hypercrit. cap. 7. *r*) De poetis pag. 49. *s*) Lib. 3. epiſt. 14. *t*) Vid. les comparaiſons des grands hommes de l' antiquite. p. m. 135.

Catulle fut le premier des Romains, qui commença à donner le beau tour de l' elegance a la langue. MVRETVS vero nimio affectu raptus in epigrammate et elegia Catullum ita euehit, vt omnes alios prae illo contemnat. Sed probe diſtinguendus eſt ab elegiae et epigrammatis natura dictionis character. Superat in hoc multos, et vincitur a multis in illa viciſſim: ab Ouidio certe in elegia, a Martiale, aeui deterioris ſcriptore, in epigrammatibus: quamuis hunc, ſi comparetur cum Catullo, Muretus vocat aliquem e triuio ſcurram. *v)* Sed FRANC. VAVASSOR, *x) meum, inquit, iudicium ſemper fuit, ita Catullum cum Martiale comparari poſſe, vterque vt vincat et vincatur: illum quidem puro ac ſimplici candore et natiua quadam minimeque adſcita excellere venuſtate formae, quae accedat quam proxime ad Graecos: hunc acumine, quod proprium Latinorum et peculiare tunc fieri coepit, valere, adeoque Catullum toto corpore epigrammatis eſſe conſpicuum, Martialem clauſula praecipue atque vltimo fine, in quo relinquat cum delectatione aculeum, ſpectari. Quod ſi verſum et numeros attendimus, Martialis hendecaſyllabos, ſcazontas, iambos, prae Catullianis agreſtes et inuenuſtos, elegiacos Catulli duriuſculos et ſcabros, et parum, vt ita loquar, enodes. Si expendimus elocutionem, tantum videri alterum ſcriptorem alteri praeſtare, quanto ex duobus, quibus Latina lingua maxime floruit, temporibus, praeſtantior Iulii Caeſaris aetas, quam Veſpaſianorum et Neruae Traianique fuit.* Notante CELLARIO *y)* et REIMANNO *z)* Catullus noſter ex antiquis primus et ſo-

v) Vid. MORHOF. Polyh. lit. l. 4. c. 11. §. 13. *x)* De dictione ludicra p. 231. 232. *y)* Cur. poſt. c. 5. p. 181. *z)* Hiſtoria vocabul. p. 18.

et ſolus fere vſus eſt verbo *moechari*, cuius auctoritatem ſcriptores eccleſiaſtici poſtea ſecuti ſint. Fecit illud ex Graeco μοιχεύειν in epigrammate *a)* minus caſto:

Nil nimium ſtudeo Caeſar tibi velle placere:
Nec ſcire vtrum ſis albus, an ater homo.
Mentula moechatur, moechatur mentula certe:
Hoc eſt quod dicunt, ipſa olera olla legit.

Atqui iam ante eum PLAVTVS *b)* pari modo adhibuit verbum *moechiſſare. In adulterio*, inquit, *dum moechiſſat, Caſinam, credo, perdidit.* Eiusque nomen ſubſtantiuum: *c) Moechi manifeſto deprehenſi.* Rurſus: *d) magnus moechus mulierum.* Et TERENTIVS: *e) Vt arbitretur, te ſibi paratum moechum, ſi illam duxeris.*

§. V.

Imitatores Catullus habuit complures, Pompeium Saturninum, et Sentium augurem, qui Catulli epigrammata miro ſtudio aemulati ſunt. Sic quoque Virgilius ipſe aliquando illius veneres et elegantias ſecutus eſt. *f)* Martialis vero Catullum ſibi exemplar, vix alium, propoſuit. Ita enim ille ad Macrum: *g)*

Sic inter veteres legar poetas,
Nec multos mihi praeferas priores,
Vno ſed tibi ſim minor Catullo.

Alibi: *h)*

Si locus et noſtris aliqua tibi parte libellis,
Qua Pedo, qua Marſus, quaque Catullus erit.

Rur-

a) XCV. aliis LXXXVII. *b)* Caſin. A. 5. S. 4. v. 7. *c)* Poenul. A. 4. S. 2. v. 20. *d)* Milit. A. 3. S. 1. v. 179. *e)* Andr. A. 2. S. 1. v. 16. *f)* Vid. MACROBIVS Saturn. l. 6. cap. 1. *g)* Lib. 10. epigr. 78. *h)* Lib. 5. epigr. 5.

Digitized by Google

Rurſum: *i*)

Si quando ex noſtris diſticha pauca legis,
Protinus aut Marſi recitas, aut ſcripta Catulli.
Haec mihi das, tanquam deteriora legas. etc.

Quamobrem Andr. Naugerius, nobilis poeta Italus, quotannis inſtituebat ſolenne, quo manibus Catullianis tria Martialis exemplaria, vt victimam, immolabat. *k)*

§. VI.

Superſtitem poematum Catullianorum librum in Gallia primum reperit ac luci publicae dedit Baptiſta Guarinus Veronenſis, qui id ipſum epigrammate, veteri editioni praefixo, teſtatus eſt ſequenti:

Ad patriam venio longis de finibus exul,
Cauſſa mei reditus compatriota fuit.
Scilicet a calamis tribuit cui Francia nomen,
Quique notat turbae praetereuntis iter,
Quo licet ingenio veſtrum celebrate Catullum,
Quouis ſub modio, clauſa papirus erat. l)

Saepius deinde poeta noſter, quem lepidum eſſe et priſca ſuauitate venuſtum hactenus prolixe multorum teſtimoniis comprobaui, paſſim locorum editus fuit ſeparatim, plerumque tamen cum Tibullo et Propertio, qui amorum ita coniunctim vocantur triumuiri, et puriſſimi nequitiarum ſcriptores. Licet forſan duobus illis ſuperſit plus pudoris, quam Catullo noſtro, qui argumentum ſibi vnicum ſumſit Venerem, etiam infandam: quod ſalibus obſcoenis

i) Lib. 2. epigr. 71. *k*) Vid. Morhofivs polyhiſt. lit. l. 4. c. 11. §. 13. *l*) Vid. Fabricii biblioth. Latina l. 1. c. 5. p. 53.

haud raro admixtis pertractat laſciuius, adeo vt PROPERTIVS ipſe *m)* videatur illum huius criminis accuſare.

§. VII.

ALBIVS TIBVLLVS, eques Romanus, et elegantiae terſae miraeque ſuauitatis poeta, parentibus, ex equeſtri ordine, bello et pace illuſtribus, Romae natus eſt anno DCCXI. A. Hircio et Panſa Coss. qui annus etiam Ouidii poetae natalibus inſignis eſt. *n)* Felicitas ingenii et gratia formae illi plurimos ciuitatis nobiles conciliauit: in quorum numero Meſſala Coruinus erat, qui Tibullum mira diligentia officiisque aſſiduis fouit. *o)* Idem virtutis et gloriae comitem continuo noſtrum eſſe voluit. Hic vero effeminatus propemodum Veneris, quam triſtia Martis caſtra ſequi malebat: quod ipſe nequidem diſſimulauit *p)* vbi inter alia:

Non ego, inquit, *diuitias patrum, fructusque requiro,*
Quos tulit antiquo condita meſſis auo.
Parua ſeges ſatis eſt, ſatis eſt requieſcere lecto,
Scilicet et ſolito membra leuare toro.

———— ———— ————

O quantum eſt auri pereat, potiusque ſmaragdi,
Quam fleat ob noſtras vlla puella vias.

Te

m) Lib. 2. eleg. vlt.

Haec quoque laſciui cantarunt ſcripta Catulli,
Lesbia queis ipſa notior eſt Helena.

n) Ita PETRVS CRINITVS de poetis Latinis lib. 3. in Tibulli vita FABRICIVS vero biblioth. Latinae l. 1. c. 14. p. 256. eum triginta minimum annis Ouidio aetate anteceſſiſſe putat. De aetate Tibulli IANVS DOVSA quoque ſchediaſma ſuccidaneum ad Tibullum dedit, quod Brouckhuſius editioni ſuae ſubiunxit. *o)* Ideoque paſſim illius noſter laudes et virtutem celebrat, maxime lib. 4. ab exordio. *p)* Lib. 1. eleg. 1.

Digitized by Google

Te bellare decet terra, Meſſala, marique,
Vt domus hoſtiles praeferat exuuias.
Me retinent vinctum formoſae vincla puellae,
Vt ſedeo duras ianitor ante fores.
Non ego laudari cupio, mea Delia, tecum
Dummodo ſim, quaeſo, ſegnis inersque vocer.

Captus enim erat amore *q*) Deliae vel, quae ſub eo nomine latebat, Flauiae *r*) Sulpitiae, Neerae, et Nemeſis, quam Martialis *s*) vbi Latinos recenſet poetas, quorum ingenia excitauerit amor, *formoſam*, atque ipſe Tibvllvs *t*) vt pretioſam deſcribit:

Eheu diuitibus video gaudere puellas,
Iam veniant praedae, ſi Venus optat opes.
Vt mea luxuria Nemeſis fluat, vtque per vrbem
Incedat donis conſpicienda meis:
Illa gerat veſtes tenues, quas femina Coa
Texuit, auratas diſpoſuitque vias.
Illi ſint comites fuſci, quos India torret etc.

Et hoc vulgatum eſt:

Vſſit amatorem Nemeſis laſciua Tibullum,
In toto iuuit quem nihil eſſe domo.

Hinc facilis coniectura eſt, eum quod cum bona forma di-

 uitias

q) Id quod eius ſcripta ſatis ſuperque teſtantur. Et Ovidivs amor. l. 3. el. 9. *r*) Apvleivs apolog. p. m. 338. *Eadem igitur opera accuſent C. Catullum* etc. *et Tibullum, quod ei ſit Flauia in animo, Delia in verſu.* P. Crinitvs de Latinis poetis l. 3. in vita Tibulli, pro Flauia *Plancia* legit: celeberr. Fabricivs *Plania.* biblioth. Latina l. 1. c. 14. p. 256. *s*) Lib. 8. epigr. 73. *t*) Lib. 2. eleg. 3.

uitias a Deo acceperat *v*) maximam bonorum partem dilapidaſſe. Imo parum abfuit, quin cum ſatis illi opum fuerit, ad paupertatem redigeretur. *x*) Tandem aliquando, quod ſaepius recuſauerat, relictis Veneribus ſuis, Phaeacum inſulam petiit, in comitatu Meſſalae Coruini: vbi in grauem morbum incidit, quem ipſe deplorat *y*) aeger inter alia ſcribens:

Me tenet ignotis aegrum Phaeacia terris,
Abſtineas auidas mors precor atra manus.
Abſtineas mors atra precor, non hic mihi mater,
Quae legat in moeſtos oſſa peruſta ſinus.
Non ſoror, Aſſyrios cineri quae dedat odores,
Et fleat effuſis ante ſepulchra comis.
Delia non vſquam etc.

Ibidem:

Quod ſi fatales iam nunc expleuimus annos,
Fac lapis inſcriptis ſtet ſuper oſſa notis:
Hic iacet immiti conſumtus morte Tibullus,
Meſſalam terra dum ſequiturque mari.

Tum vero, quod non ſatis fideliter aſſerit theſaurus eruditio-

v) HORATIVS l. 1. epiſt. 4.
-- -- *Di tibi formam,*
Di tibi diuitias dederant, artemque fruendi.

x) TIBVLLVS ipſe lib. 1. eleg. 1.
Me mea paupertas vitae traducat inerti,
Dum meus aſſiduo luceat igne focus.

Paulo poſt:
Vos quoque felicis quondam, nunc pauperis agri.

Confer. eiusd. l. 4. primum ad Meſſalam ſcriptum carmen, a verbis: *Nam mihi cum magnis opibus domus alta niteret* *y*) Lib. 1. eleg. 3.

ditionis ſcholaſticae, qui ſub FABRI nomine vulgatus eſt, z) non obiit diem ſupremum; ſed quum in patriam reuerſus eſſet, iuuenis annos quatuor et viginti natus, non multo poſt Virgilium *a*) tempore e viuis ereptus eſt. Atque in eius funere parens et ſoror pietatis officium praeſtiterunt: quod et Nemeſis et Delia, ***altera cura recens, altera primus amor***, pari animo fecerunt. Id quod fieri non potuiſſet in Phaeaco prouincia defuncto. Sed nihil clarius ipſius OVIDII elegia *b*) qua non ſine maximo moerore immaturum tanti poetae et amici ſui obitum deſcribit. Hic inter alia,

Sed tamen, inquit, *hoc melius, quam ſi Phaeacia tellus*
Ignotum vili ſuppoſuiſſet humo.
Hinc certe madidos fugientis preſſit ocellos
Mater; et in cineres vltima dona tulit:
Hinc ſoror in partem miſera cum matre doloris
Venit, inornatas dilaniata comas.
Cumque tuis ſua iunxerunt Nemeſisque priorque
Oſcula: nec ſolos deſtituere rogos.
Delia diſcedens, felicius, inquit, amata
Sum tibi: vixiſti, dum tuus ignis eram.

 Cui

z) In nomine *Tibullus.* *a*) Qui obiit X. Kal. Octobr. anno V. C. DCCXXXV. Epitaphium vero ſcriptis Tibulli annexum hoc eſt:

Te quoque Virgilio comitem non aequa Tibulle
Mors iuuenem campos miſit ad Elyſios:
Ne foret aut elegis molles qui fleret amores,
Aut caneret forti regia bella pede.

OVIDIVS amorum l. 3. eleg. 9. illum Catullo et Gallo in elyſia valle comitem adiunxit. Confer. MASSONVS in Ouidii vita p. 83. ſeq.
b) Amor. l. 3. eleg. 9.

Cui Nemeſis, quid, ait, tibi ſint mea damna dolori?
Me tenuit moriens deficiente manu.

Inter amicos Tibulli primum locum obtinet aliquoties laudatus Meſſala Coruinus, tum Macer poeta, qui de herbis libros conſcripſit, *c*) et Horatius Flaccus, qui *d)* eum hortatur, ne plus aequo doleat, ſibi riualem a Glycera indigne anteponi, alibi *e*) epicuream vt ſanam philoſophiam illi commendat. Familiaris fuit etiam Ouidio, qui longo carmine, vnde non nihil citauimus. *f*) mortem eius deflet. Marathum et Cerinthum pueros Tibullus maximo affectu dilexit.

§. VIII,

Extant eius elegiarum ſiue amorum libri IV. In quibus, qui in fronte libri vltimi eſt, panegyricum ad Meſſalam Coruinum carmine ſcripſit heroico. Sequentes eius libri verſus non Tibulli, verum Sulpiciae eiusque mariti Caleni eſſe, BARTHIVS, *g*) et poſt eum BROVCKHVSIVS *h*) exiſtimarunt.

§. IX.

HORATIVS *i*) Tibullum vocat *ſermonum* vel ſatyrarum ſuarum *candidum iudicem*; OVIDIVS *k*) *cultum*; MARTIALIS *l*) *argutum*; QVINTILIANVS *m*) *elegantem* atque *terſum* auctorem. Omnia eius ſcripta ſpirant amores. Quod ipſe fatetur: *n*)

Vixque cano Nemeſim, ſine qua verſus mihi nullus
Verba poteſt, iuſtos aut reperire pedes.

Et

c) Eum caſtra ſecutum proſequitur elegia 7. lib. 2. Scribentem de amoribus OVIDIVS amor. l. 2. el. 18. *d*) Carm. l. 1. od. 33. *e*) Lib. 1. epiſt. 4. *f*) Amorum lib. 3. eleg. 9. *g*) Aduerſar. l. 59. c. 16. *h*) Sua Tibulli editione. *i*) Lib. 1. epiſt. 4. *k*) Amorum lib. 3. eleg. 9. *l*) Lib. 8. epigr. 73. *m*) Inſtit. orat. lib. 10. c. 1. *n*) Lib. 2. eleg. 6.

Et Ovidivs: *o*)

Delicias ſi quis laſciuaque carmina quaerit;
(Praemoneo nunquam ſcripta quod iſta legat)
Aptior huic Gallus, blandique Propertius oris,
Aptior ingenium come Tibullus erit.

Vnde Antonius Poſſeuinus *p*) ad eius lectionem acceſſurus flexis genibus orabat Deum, ne ſuauitate verſuum ipſius ad libidinem moueretur. Cetero elegans et candidum eſt eius carmen, vt in eiusmodi caloribus deſcribendis, et maxima cum ſuauitate ingenii affectibus exprimendis, omnes fere Latinos ſuperaſſe videatur, valeatque tritum:

Donec erunt ignes, arcusque Cupidinis arma,
Diſcentur numeri, culte Tibulle, tui.

Deterrere, quod Ciceroni, *q*) Ovidio *r*) aliisque huius aeui ſcriptoribus eſt terrore a ſententia vel a propoſito auertere, noua ſignificatione vſurpauit pro eo, quod eſt terrore liberare. Ita: *s*)

Cuncta, inquit, *dabant reditum: tamen eſt deterrita nunquam,*
Quin fleret noſtras, reſpiceretque vias.

In eo tamen vſque adeo accuſandus non eſt: quum latiori ſenſu potuit idem verbum venire pro *retinere* et *cohibere*, abhalten: vel ex iudicio Stephani et Reimmanni *t*) Tibulli ſeculo non omnino noua fuit ea ſignificatio, quae nobis nunc noua eſſe videtur.

§. X.

o) Triſt. l. 5. eleg. 1. *p*) Teſte Menagio in Anti-Bailleto t. 2. p. 333. et Fabricio bibl. Lat. l. 1. c. 14. p. 256. *q*) Ad famil. l. 8. epiſt. 6. l. 11. epiſt. 11. ad Brut. epiſt. 15. et epiſt. 11. ad Attic. l. 10. epiſt. 3. de orator. l. 1. c. 25. de Aruſp. reſp. c. 9. *r*) Metamorph. l. 10. v. 600. *s*) Lib. 1. eleg. 3. *t*) Hiſtoria vocabulorum p. 21.

Digitized by Google

§. X.

SEXTVS AVRELIVS PROPERTIVS Vmber, quem ſemet ipſum profitetur: *v*)

Vt noſtris tumefacta ſuperbiat Vmbria libris,
Vmbria Romani patria Callimachi:

vtrum Meuaniae, vt PETRVS CRINITVS, *x*) an Ameriae, vt Ios. SCALIGER, *y*) an Aſiſii, vt alii *z*) opinantur, natus ſit, adhuc ſub iudice lis eſt. Sunt qui putant, eius patrem triumuirali poteſtate, et inter eos connumeratum fuiſſe, qui L. Antonium ſecuti, Peruſia capta, ex Octauii Caeſaris auctoritate ad aram diui Iulii perducti et occiſi fuerunt. *a*) Sed equeſtri dignitate ornatum fuiſſe, inter alia coniecturam fecit PLINII *b*) commendatio: vbi de Paſſieno Paullo poeta veterum literarum impenſe docto, qui Hadriani temporibus floruit, *c*) *ſplendidus eques Romanus, et imprimis eruditus, ſcribit elegos.. Gentilitium hoc illi: eſt enim municeps Propertii, atque etiam inter maiores ſuos Propertium numerat.* Obſtant vero ipſius PROPERTII *d*) verba:

Tu mea compones, et dices: oſſa Properti
Haec tua ſunt, eheu tu mihi certus eras:
Certus eras eheu, quamuis nec ſanguine auito
Nobilis, et quamuis non ita diues eras.

BEROALDVS homo, vt illa tempora ferebant, nec indoctus, nec malus, teſtatur, hunc titulum *Sex. Propertii Nautae* referri in fronte omnium fere librorum eius, quotquot renaſcen-

v) Lib. 4. eleg. 1. confer. l. 1. eleg. vlt. *x*) De poetis Latinis l. 3. in vita Propertii. *y*) In notis ad Propert. l. 4. eleg. 1. *z*) Apud LABBEVM bibl. nou. MSS. p. 68. *a*) Vid. CRINITVS l. c. Id vero pernegat LIPSIVS variar. lect. l. 3. c. 23. *b*) Lib. 6. epiſt. 15. *c*) A. GELLIVS noct. Attic. l. 19. c. 7. *d*) Lib. 2. eleg. 24.

naſcentibus iam primum literis diuulgati fuere. Atque etiam illa inſcriptio in quibuſdam libris antiquioribus exſtat. Beroaldus eam omnino reiiciendam putat, quod *Nautae* vox prorſus hoc loco aliena et inepta ſit. IVSTVS LIPSIVS vero *e*) ſibi perſuadere non poteſt, in priori illa ſimplicitate quemquam ſua ſponte Propertio cognomen *Nautae* adieciſſe: verum potius illud vitioſe factum ex *Natta*, et ſcribendum eſſe: *Sex. Propertii Nattae*. Nattarum gens fuit apud Romanos ſatis nota: cuius apud Ciceronem atque alios ſaepe fit mentio. Sed tamen fruſtra eſt politiſſimi viri coniectura, et res ita ſeſe omnino habet, vt Beroaldus optime monuit. Namque illud *nauta* prorſus confictum eſt, adiectumque ab id genus hominibus, qui non erubuere Martialem *coquum*, atque Plautum *Aſinium* nominare. *f*) Propertius vero *nauta* dictus eſt, ex male intellecto verſu: *g*)

-- -- *quamuis nauita diues eras:*

pro quo Scaliger, et ante eum laudatus Beroaldus, Sannazarius *h*) et hodie nemo non legendum putat:

-- -- *quamuis non ita diues eras.*

Patrem ſuum Propertius in tenera iuuentute, et cum eo maximam bonorum partem amiſit: quod ipſe *i*) clare teſtatur:

Aſpice me, cui parua domi fortuna relicta eſt,
Nullus et antiquo Marte triumphus aui.

Bb Alibi:

e) Variar. lectionum lib. 3. cap. 23. *f*) Vid. BARTHIVS aduerſ. l. 6. c. 1. *g*) Lib. 2. eleg. 24. *h*) Apud ALEXANDRVM ab ALEXAND. dier. genial. l. 2. c. 1. *i*) Lib. 2. eleg. vlt.

Alibi: *k*)

Oſſaque legiſti, non illa aetate legenda,
Patris, et in tenues cogeris ipſe lares.
Nam tua cum multi verſarent rura iuuenci,
Abſtulit excultas pertica triſtis opes.

Romam delatus ſub Auguſto, Virgilii, Horatii, Tibulli et Ouidii coaeuus floruit, *l*) atque breui nominis celebritatem adeptus eſt, maxime cum, vel praeter opinionem, ingenii comitate et elegantia carminum, Maecenatis primum atque Cornelii Galli gratiam iniret. Vix tum etiam verſabatur in vrbe, quae caput orbis erat, cum, velut Poetis commune et neceſſarium, ad fingenda carmina incitamentum aſſumeret amorem, captus pulchritudine formaque excellenti Cynthiae, vel Hoſtiae potius, quae ſub ficto illo nomine latet. *m*) Haec animum illi addidit, ac ſuauitate ſua, quod ipſe palam confeſſus eſt, a fronte ad calcem, elegiarum libros impleuit. Exordium operis eſt:

Cynthia prima ſuis miſerum me cepit ocellis.

Alibi: *n*)

Cynthia, inquit, *prima fuit, Cynthia finis erit.*

Neque diſſimulauit poetis amorem formare ingenium. *o*)

Sunt igitur, inquit, *muſae, neque amanti tardus Apollo,*
Queis ego fretus amo, Cynthia rara mea eſt.

Alibi: *p*)

Quicquid ero, dicam, Cynthia cauſſa fuit.

Ad

k) Lib. 4. eleg. 1. *l*) Ovidivs triſt. l. 4. eleg. 10.
Saepe ſuos ſolitus recitare Propertius ignes;
Iure ſodalitii qui mihi iunctus erat.

m) Apvleivs apol. p. m. 338. *Eadem igitur opera accuſent C. Catullum* etc. *et Propertium, qui Cynthiam dicat, Hoſtiam diſſimulet.*

n) Lib. 1. eleg. 12. *o*) Lib. 1. eleg. 8. *p*) Lib. 1. eleg. 11.

Digitized by Google

Ad ipſum Maecenatem: *q)*

Quaeritis vnde mihi toties ſcribantur amores,
Vnde meus veniat mollis in ora liber,
Non haec Calliope, non haec mihi cantat Apollo,
Ingenium nobis ipſa puella facit.

Vt ipſum confitentem recte ſequatur MARTIALIS, qui nullus de eo ſcribere dubitauit: *r)*

Cynthia te vatem fecit laſciua, Properti.

Alibi: *s)*

Cynthia facundi carmen iuuenile Properti
Accepit famam, nec minus ipſa dedit.

De obitu eius nihil certi habemus. Sed obiiſſe anno aetatis Ouidii XXXI. ab vrbe condita DCCXLII. coniicit IOH. MASSON Vir celeberrimus. *) Id conſtat, cum floruiſſe poſt Tibullum, cum Ouidio, quo tamen paullo maior fuit, vt ipſe OVIDIVS *t)* teſtatur.

§. XI.

Extant eius elegiarum libri IV. Sed IVSTVS LIPSIVS *v)* ex verbis ipſius Propertii: *x)*

Sat ſit magna, mei ſi tres ſint, pompa libelli,
Quos ego Perſephonae maxima dona feram:

coniecturam facit, illum tres modo libros elegiarum ſcripſiſſe: quorum hodie quatuor vulgo numerantur. Non quod ille quartus ſpurius ſit, ac male ipſi auctori affictus: ſed eum, vt argumento, ita et ordine, a tribus illis priori-

Bb 2 bus

q) Lib. 2. eleg. 1. confer. finis lib. 2. *r)* Lib. 8. epigr. 73.
s) Lib. 14. epigr. 189. *) In vita Naſonis p. 99. *t)* Triſt. l. 4. eleg. 10.
Succeſſor fuit hic (Tibullus) *tibi, Galle; Propertius illi,*
Quartus ab his ſerie temporis ipſe fui.
v) Variar. lection. l. 1. c. 16. *x)* Lib. 2. eleg. 13.

Digitized by Google

bus ſeiungi voluit. *Nam cum Propertius*, auctoris verba refero, *tribus libris amores ſuos eleganter deſcripſiſſet, quartum illum, quem iſti faciunt, in quo non de amoribus, ſed de vrbis antiquitatibus, de Auguſti laudibus, et alia quaedam grandiora caneret, noluit in diſpari materia cum prioribus illis coniungere, ſed proprium ei et ſuum locum tribuere: eumque fortaſſe MONOBIBLION ſeu librum ſingularem, quod eius argumenti ſolum illum compoſuiſſet, inſcripſit.* Quod deinceps probat. SCALIGER hoc etiam agnouit, ſed librum primum monobiblion inſcribere voluit.

§. XII.

Scripſit elegias omnium nitidiſſime et eruditiſſime: *y*) vt non minorem apud Latinos conſecutus ſit laudem, quam apud Graecos Callimachus, Cousque Philetas, quorum manibus comitem atque aemulum ſe profitetur paſſim, atque cumprimis ab exordio libri tertii:

Callimachi manes et Coi ſacra Philetae
In veſtrum quaeſo me ſinite ire nemus.
Primus ego ingredior puro de fonte ſacerdos
Itala per Graios orgia ferre choros.

Atque etiam ſemet ipſum alibi z) *Romanum Callimachum* vocat. Proinde FABIVS *a*) cenſor literarum acerrimus, *elegia*, inquit,

y) Vnde vulgatum: *Propertium plures amare, quam intelligere.* Et facundiam eius MARTIALIS lib. 14. epigr. 189. praedicat. Laſciuiam vero et amores nemo probat, ex quibus quoties euigilat, non ſtulte ſapit. *z*) Lib. 4. eleg. 1. *a*) Inſtit. orat. l. 10. c. 1. Confer. ROLANDVS MARESIVS l. 2. epiſt. 6. vbi, *durum*, inquit, *mihi quidem eſt, ab acris iudicii critico (Quintiliano) diſcedere, qui Tibullum videtur praeferre. Sed tamen in iis me eſſe fateor, qui Propertium malint. Quamuis enim Tibullus ſit mire iucundus et elegans, Latinae enim proprietatis amantior, quam alter, qui ſae-*

inquit, *Graecos quoque prouocamus: cuius mihi terſus atque elegans maxime videtur auctor Tibullus. Sunt qui Propertium malint. Ouidius vtroque laſciuior: ſicut durior Gallus.* Neque tamen caſtior in materia ſua eſt Propertius, vt qui plurimum de ſuis caloribus, et puellae ingenio ſcripſit: imo coelebs *b*) ad amorem pellicit Cynthiam Hoſtiamue dudum viro nuptam, Hinc ipſe OVIDIVS *c*) nec immerito:

Delicias ſi quis laſciuaque carmina quaerit,
Aptior huic Gallus, blandique Propertius oris.

Sed lepore et elegantia Tibullianis non concedunt; eruditione illos longe anteuertunt. Hinc SCALIGER pater *d*) eum candidum, facilem, et vere elegiacum vocat. LIPSIVS vero dixit: *e*) *Propertium qui non amat, eum profecto Muſae non amant: tanta eius verſuum ſuauitas, vt non, niſi Phoebo dictante, credantur excepti.* Conſentit TVRNEBVS, *f*) qui lepidiſſimum et nitidiſſimum poetam Propertium vocat: quamuis alibi *g*) optet illum beatam et candidam ingenii venam potius contuliſſe ad aliam quam amatoriam materiam: vt a iuuentute poſſet tutius legi: vbi tantam verſuum iucunditatem eſſe dicit, vt dictantibus Gratiis a poeta excepti videantur. Et CASP. BARTHIVS: *h*) *dulciori eruditione, et eruditiore dulcedine nemo ſcriptor eſt tota antiquitate ante Propertium, quem ſcriptorem quo magis rimaberis,*

pe Graeciſſat, et in carmine exactior et rotundior, tamen Propertius illum eruditione et ingenii ſuauitate videtur ſuperare, blandus omnino et lenis in affectibus, in quibus etiam exprimendis nonnunquam tanquam calidus amator et amore deperditus, vehementior fuit.

b) Vid. ipſius l. 2, eleg. 6. *c*) Triſt. l. 5, eleg. 1. *d*) Hypercritico c. 7. *e*) Antiq. lect. l. 2. c. 10. *f*) Aduerſ. l. 8. c. 2. *g*) Aduerſ. l. 11. cap. 15. *h*) Aduerſ. l. 9. cap. 10.

beris, eo magis amabis: quae enim primo intuitu obſcuriora videbantur, ea ſi penetraueris, omnium videbuntur naturali quadam Venere gratioſiſſima. Cum aliis BORRICHIVS *i*) Propertium illum, qui Graecos Latiali carmine haud infeliciter expreſſit, hoc vno parum dicit numeroſum eſſe, quod polyſyllabo frequentiſſime pentametrum claudat. Porro in iſto vt eſt nonſolum varia et recondita eruditio, verum etiam maxima ſententiarum elegantia, acumen et multa in verbis ipſis, quae notationem ac laudem merentur: IVSTVS LIPSIVS *k*) hoc ceu valde nouum, et non facile apud alium ſcriptorem inuentum, obſeruauit, quod verbis ſimplicibus, propria quadam et ſingulari ratione, pro compoſitis vti, atque illis ſignificationem tribuere ſolitus fuerit, quam verba iuncta habere debebant. Sic ille: *l*)

Exagitet noſtros manes, ſectetur et vmbras,
Inſultetque rogis, calcet et oſſa mea.

Vbi aperte *ſectetur* pro *inſectetur* poſuit. Idem: *m*)

Nec quia peccaris, teſtor te -- --

i.e. deteſtor, vel accuſo te. Ibidem:

Ergo, inquit, *muneribus quiuis mercatur amorem?*
Iuppiter! indigna merce puella perit.

i.e. deperit et amat quemuis, pretio donisque affectus venditans.

§. XIII.

IOVIANVS PONTANVS *n*) refert, Propertii elegias ſe adoleſcentulo primum in lucem prodiiſſe: cum antea incompertae forent et incognitae. Opus autem oblitera-

tum

i) De poetis p. 52. *k*) Variar. lection. l. 3. c. 7. *l*) Lib. 2. eleg. 8. *m*) Lib. 2. eleg. 16. *n*) Apud ALEX. ab ALEXANDRO genial. dier. l. 2. c. 2. et FABRICIVM biblioth. Latin. l. 1. c. 14. p. 258.

tum et longiſſimo aeuo abſumtum, corroſis et labentibus literis in cella vinaria ſub doliis inuentum apparuiſſe: et cum libelli vetuſtate, verbis et nominibus abſumtis longo ſitu et ſenio, veram lectionem aſſequi nequirent, factum vt mendoſi codices prodierint: neque omnibus curis effici potuiſſe, vt poſteris omnino integri et inoffenſi darentur. Prodiit primum anno 1474. Saepius deinde cum Catullo et Propertio vulgatus eſt.

§. XIV.

Dixi Catullum, Tibullum atque Propertium iunctim a plerisque fuiſſe editos, nec ſine doctorum obſeruationibus comparuerunt. Princeps editio eſt *Veneta* 1475. fol. quam Brouckhuſius, de his poetis optime meritus, nihilo inferiorem MStis laudat. Et in ea Tibullus adiunctos habet Bernardini Cyllenii Veronenſis commentarios. 1487. fol. ibidem prodiit Catullus cum commentario Antonii Parthenii Laſicii Veronenſis. Rurſum 1493. fol. apud Simonem Beuilaquam Papienſem recuſus ille eſt, atque ſimul Tibullus cum Bernardini Veronenſis, et Propertius cum Philippi Beroaldi commentariis. Prodierunt etiam illi poetae *Regii Lepidi* 1481. fol. quam editionem Vossivs in Ariſtarcho perperam pro prima habet. *Brixiae* 1486. et *Pariſiis* 1499. 4. apud Mich. Toloſam,

§. XV.

Iunctim prodiere Seculo ſequente *Venetiis* 1502. et 1515. apud Aldum in 8. 1558. et 1562. cum notis M. Antonii Mureti in 8. Catullus etiam Venetiis impreſſus eſt 1566. in 8. cum Achillis Statii Luſitani commentario. *Pariſiis* 1529. in 8. 1577. cum comment. Ioſephi Scaligeri in 8. *Lugduni* 1559. in 8. et 1594. in 12. Ex officina Gryph.

Gryph. 1546. 1551. et 1573. cum fragmentis Galli in 12. 1559. cum notis M. Anton. Mureti. 8. *Antverpiae* 1569. e recenſione Guil. Canteri apud Plant. in 12. 1582. cum notis Mureti et Scaligeri, in 8. *Lugduni Batau.* 1588. et 1592. cum Iani Douſae patris et filii paralipomenis, in 12. *Baſileae* 1530. 1569. et 1592. 8. additis Cornelii Galli operibus, cum notis et indice ſingularum vocum, opera Horatii Tuſcanellae. *Heidelbergae* 1600. apud Commelin. 8. cum eruditiſſimis Scaligeri caſtigationibus.

ſ. XVI.

Decimo ſeptimo poſt Chriſtum natum ſeculo prodierunt, *Pariſiis* 1604. fol. cum notis variorum. 1608. fol. cum inſigni Ioh. Paſſeratii commentario. 1685. 4. opera Philippi Syluii, in vſum Delphini, cum indice omnium vocabulorum, obſcoenis ad calcem reiectis. *Londini* 1684. 4. cum erudito Iſaaci Voſſii commentario. *Amſtelodami* 1619. 1640. 1664 1670. 1686. forma minori. *Lugduni Batau.* 1691. 4. ex recenſione et cum notis Iſaaci Voſſii. *Traiecti* 1659. 8. cum ſelectis variorum obſeruationibus, curante Simone Abbeſio Gabbema. 1680. 8. cum notis integris Scaligeri, Mureti, Achillis Statii, Rob. Titii, Hieron. Arantii, Iani Douſae patris et filii, Theodorique Marcilii, et ſelectis Paſſeratii aliorumque notis, ex recenſione Ioh. Georg. Graeuii. *Hanouiae* 1608. cum Corn. Galli poemat. et indice locupletiſſimo Horatii Tuſcanellae Florentini. 1618. 8. cum Iani Gebhardi notis. *Francofurti* 1621. cum notis Iani Gebhardi et Ioh. Liuineii, addito Iani Meleagri ſpicilegio, et indice Tuſcanellae.

ſ. XVII.

§. XVII.

Seculum, quo viuimus nunc, poſt reparatam generi humano ſalutem, decimum octauum eximiam vidit editionem *Cantabrigienſem* 1702. in 4. Breui poſt *Amſtelodamenſem* ex officina Henr. Wetſtenii, opera Iani Brouckhuſii, incomparabilis viri, qui omnes Propertii veneres imbibit, eumque poetam ſigillatim e MStis codicibus emendatum diligentiſſime cum animaduerſionibus ſuis luci publicae dedit 1702. in 4. Pari modo nobis Tibullum dedit 1708. 4. Nec diu poſt editum Tibullum eodem anno Brouckhuſius, ſingulari elegantiorum literarum iactura in viuis eſſe deſiit. Wetſtenii cum coeperint Brouckhuſii Catullum nuper vulgare, etiam Dauid Hochſtrat, cui illud negotii dederant, die 21. Nouembr. 1724. exſpirauit. Attamen nobis nunc de opere perfecto, nitido ac elegante gratulari poterimus.

§. XVIII.

PVB. VIRGILIVS *l*) MARO, modicis parentibus in vico Andae *m*) prope Mantuam anno V. C. DCLXXXIV. Cn. Pompeio Magno et M. Licinio Craſſo Coſs. Idibus octobris *n*) natus. *Virgilium* eſſe dictum, aiunt, a *virga* laurea, quae praegnanti matri erat viſa in ſomniis, vel a

 virga

l) *Vergilium* vocant alii. vid. POLITIANVS l. 5. epiſt. 2. 3. Miſcell. cap. 77. IODOCI BADII ASCENSII in opera Vergilii prolegomena. LAMBERTVS HORTENSIVS comment. in Verg. *m*) Hinc *Vates Andinus* a SILIO ITALICO appellatur. Confer. MARTIALIS l. 1. epig. 62. *Marone felix Mantua eſt.* OVIDIVS amor. l. 3. eleg. 15. *Mantua Virgilio gaudet.* *n*) Vid. MARTIALIS lib. 11. epigr. 68. HIERONYMVS in chronico olymp. 177. ann. 3.

virga populea, quae in puerperio illi conſecrata fuit. *o)* *Maro* Patris agricolae cognomen erat. Exiguis facultatibus primam aetatem tranſegit: nihilominus bonarum artium flagrabat ſtudio, et variis vrbibus, Cremonae primum, deinceps Mediolani, poſtremo Neapoli *p)* magiſtris optimis dabat operam, ingeniumque ſuum incredibili diligentia exercebat: cumprimis ab Orbilio et Scribonio Aphrodiſio liberalibus ſtudiis mature formatum fuiſſe, veteres tradiderunt. Donatus et poſt eum omnes de Virgilio teſtantur, decimo ſeptimo anno virilem togam cepiſſe, illis ipſis iterum conſulibus, quibus natus erat: ſed contradicunt faſti conſulares, quorum indicio DCXCIX. Pompeius Magnus et M. Licinius Craſſus, vterque ſecundo, conſules fuerunt: vti noſter, quum togam virilem ſumeret, XV. annorum fuiſſe dicendus: vel aliis conſulibus, nempe Cn. Domitio Caluino et M. Valerio Meſſala, qui anno DCCI. faſces imperii tenebant, illud factum eſſe. Subiungit, et eueniſſe

o) Vid. DONATVS de P. Virgilii Maronis vita. Id nominis alii deriuant ab *virginea* modeſtia, vnde et *Parthenius* dictus eſt: alii a *Vergiliis*, vnde *Vergilium* ſcribi oportere, ANG. POLITIANVS l. c. cumprimis miſcell. c. 77. contendit. FARNABIVS autem in notis ad Virgil. ab init. mauult ab antiqua *Virginiorum* familia diminutiuum deducere. *p)* Ita de ſemetipſo VIRGILIVS cecinit, georg. lib. 4. v. 559.

-- -- Caeſar dum magnus ad altum
Fulminat Euphratem bello, victorque volentes
Per populos dat iura, viamque affectat Olympo:
Illo Virgilium me tempore dulcis alebat
Parthenope, ſtudiis florentem ignobilis oti.

Parthenope Neapolis dicta eſt ciuitas Campaniae, ab vna Sirenum ibi ſepulta. Vnde SILIVS 12. 33. in huius vrbis deſcriptione:

Sirenum dedit vna ſuum et memorabile nomen
Parthenope muris -- --

Digitized by Google

euenisſe, vt eo ipſo die Lucretius poeta diſcederet. Falſo. Lucretius enim ſua manu periit annos natus quadraginta quatuor V. C. DCCIII. *q*) Neque melioris notae ſunt, quae apud eundem *r*) de equis, canibus, piſtore Auguſti patre etc. ſequuntur, et optimo iure dicuntur nugae nugaciſſimae a IOH. FR. GRONOVIO, qui putat eiusmodi multa, poſt Suetonium, primum illius vitae auctorem, nata irrepſiſſe. Facetiis talibus nihil opus fuit ad beneuolentiam Auguſti captandam: qui communis omnium eruditorum, omnium poetarum fautor beneficus et liberalis, ac inſtar refugii certiſſimi fuit. Virgilius autem, vt tanto Principi, et, quos ſecum continuo habebat, bonis omnibus placeret, artes liberales, medicinam, mathematicam, humaniores, cumprimis poeſin, a iuuentute coluit, et cunctis opinato citius palmam praeripuit. Ille ſummus literator his artibus inſtructus non potuit non vbique terrarum Romanarum, in maximo ſcientiarum flore et ſeculo, doctis admodum fa-

q) Diſſert. noſtra de adoleſcentia L.L. cap. 3. §. 42. p. 163. Videatur etiam GIFANIVS in Lucretii vita. *r*) DONATVM in vita Virgilii. Fabellam, his verbis, nimis enim relatu longa eſt, contrahere licebit: Virgilius medicinae et mathematicae peritus Romam venit. Vbi magiſtro ſtabuli equorum conciliatus, leuat equos variis morbis, nonnullorum etiam progenitores inſpectione cognouit. Mox idem in canibus facit: Auguſto illi panes ſemel iterumque multiplicari iubente. Tandem ipſe Auguſtus de patre ſuo dubitans, certior fieri volebat, Virgiliumque rogabat, quonam patre genitum ipſum putaret: cui noſter, poſtulata venia, reſpondet: ſi, quid ſentiam, libere poſſem fateri, patre piſtore te genitum dicerem: nam pro ſubtili iudicio meo, panes multiplicari iuſſiſti; quod piſtoris, vel nati piſtore officium eſt. Quo reſponſo, Auguſtus, tu vero, inquit, poſthac non a piſtore ſed a principe magnanimo dona feres.

uente, aureo dona, quaelibet commoda diuitiasque inueniſſe. In ipſa vero imperii ſede et orbis tam literati quam politici emporio communi, quod

-- -- tantum alias inter caput extulit vrbes,

Quantum lenta ſolent inter viburna cupreſſi;

amicos habuit bonarum artium amantiſſimos, Aſinium Pollionem, Alphenum Varum, Corn. Gallum, Maecenatem, et huius interceſſione Auguſtum, cuius nutu regebantur ampliſſima quaeque imperia, et gentes maximae non verebantur collum ſubmittere victricibus armis. Hic Deus erat, noſtro qui ſuauiſſima otia fecit: atque non ſolum agros, cum reliquis Mantuanis, amiſſos ſuos reſtituit, verum etiam largiſſima ipſi munera dedit, ſuamque munificentiam, qua ſolitus erat cumulare doctos, abunde teſtatus eſt. Ex liberalitate amicorum prope centies ſeſtertium poſſedit: ab Auguſto vero, quaecunque peteret, facili negotio obtinere potuit omnia, neque repulſam vllo tempore habuit. Ipſe tamen Caeſaris beneuolentiam captare palam minime gentium videbatur: quem tecto magis nomine colebat: *s)* cuius rei teſtimonium omnia eius ſcripta habent: ſpeciatim illud valuis, auctore non nominato, affixum diſtichon, quo cum laude felicitas Auguſti continetur:

Nocte pluit tota, redeunt ſpectacula mane:

Diuiſum imperium cum Ioue Caeſar habet.

Auguſtus diu multumque percontatus eſt, cuiusnam illi verſus eſſent, auctorem vero, quicquid etiam polliceretur, inuenire non potuit. Bathyllus quidam mediocris poeta, cum

s) Hinc A. GELLIO noct. Attic. l. 5. c. 12. dicitur multae antiquitatis homo ſine oſtendationis odio peritus.

cum animaduerteret omnes tacere, verſus malitioſe ſibi adſcripſit: ideoque donatus et honoratus a Caeſare fuit. Virgilius id aegre ferens, iisdem valuis affixit quater verſuum initia: *Sic vos non vobis.* Quae compleri Auguſtus praecepit. Fruſtra cum id reliquos tentare videret, Virgilius tandem praepoſito verſu, reliquos ſubdidit ordine:

Hos ego verſiculos feci: tulit alter honores.
Sic vos non vobis nidificatis aues.
Sic vos non vobis vellera fertis oues.
Sic vos non vobis mellificatis apes.
Sic vos non vobis fertis aratra boues.

Sua hoc modo ad Virgilium reuertitur gloria, quam Bathyllus, poſthaec omnibus fabula factus et ludibrium, ſibi falſo tribuerat. Corpore et ſtatura fuit grandi, aquilo colore, facie ruſticana, valetudine varia, ſtomacho, faucibus et capite plerumque laborans. Sermone tardiſſimus, nec indocto diſſimilis erat. Alibi tamen idem DONATVS perhibet, eum pronunciaſſe maxima cum ſuauitate et lenociniis miris. Quamobrem Iulium Montanum poetam ſolitum dicere, *inuolaturum ſe quaedam Virgilio, ſi vocem poſſet, et os, et hypocriſim: eosdem enim verſus eo pronunciante, bene ſonare: ſine illo, inareſcere, quaſi mutos.* Loquendi vero tempus noſter probe nouit atque tacendi. Cuius exemplum cum adhortatione ad eam virtutem idem DONATVS prolixe recenſet. Filiſtus orator quidam et poeta mediocris Auguſto erat familiaris, qui, vt ſolitus omnium dicta reprehendere, Virgilium quauis occaſione maledictis ſalibusque vexabat: vt ſaepe diſcederet tacibundus, ſaepe etiam ſuffuſus pudore taceret. Verum, cum ille, Auguſto audiente, noſtrum diceret elinguem, cauſſamque

Digitized by Google

ſuam, ſi linguam haberet, defendere non poſſe: *Tace*, inquit, *rabula. Nam haec mea taciturnitas defenſorem cauſſarum mearum Auguſtum fecit et Maecenatem: et ea tuba, cum volo, loquor, quae vbique et diutiſſime audietur. Tu loquacitate non modo aures hominum, ſed muros rumpis.* Auguſtus adhaec Filiſtum graui vultu increpauit: noſter vero ad Caeſarem ſe conuertens, *ſi tempus*, inquit, *tacendi hic ſciret, raro loqueretur. Tacendum enim ſemper eſt, niſi cum taciturnitas tibi noceat, aut oratio aliis proſit.* etc. Cibo vinoque vtebatur pauciſſimo. In ceteris vitae partibus continentiſſimus erat; tam probus ore et animo, vt Neapoli Parthenias vulgo appellaretur: Romae autem, quo rariſſime comeabat, ſi quando viſeretur in publico, ſectantes et demonſtrantes ſe ſubterfugere conſtituit in domum proximam. Aedes ſuas habuit Romae in Eſquiliis prope hortos Maecenatis: ſaepius tamen in Campaniam, Siciliamque ſeceſſit, ad animum recreandum, quo inchoatis a ſe operibus loci amoenitate liberius operam nauaret. Adeo excellebat abſtinentia, vt exulantis cuiusdam bona, quae illi Auguſtus offerebat, ne attingere quidem ſuſtineret. Erga ſuos gratus et liberalis erat. Fuerunt autem illi fratres germani duo, Silo et Flaccus, cum parentibus, quos iam grandis amiſit, pauperem certe et oculis captum patrem: cui alimenta, quantum ſatis, et pecuniam ad vitae ſuſtentationem quotannis ſufficientem mittebat. Erga omnes beneficentia eius tanta erat, vt nihil proprii habere videretur: neque minus aliis, quam ſibimet ipſi eius bibliotheca pateret: illud enim Euripidis in ore ſemper et in animo habebat, τὰ τῶν φίλων κοινὰ, *amicorum omnia eſſe communia.* Inter amicos et familiares Virgilii numerantur Aſinius Pollio,

lio, qui transpadanam prouinciam regebat; ille, cuius fauore et patrocinio maxime agros ſuos Mantuanos ſeruauit. Alexander Pollionis puer, quem, diligentia et pulchritudine captus, quum ad caenam aliquando inuitaretur, ab ipſo Pollione dono accepit. C. Aſinius Pollionis filius, Cornelius Gallus orator et poeta Auguſto valde charus. *t*) Quintilius Varus, expeditione Germanica ſuoque interitu clarus, Valerius Proculus, frater ex alio patre, *v*) quem ex dimidia parte, ipſe Auguſtus, quem ex quarta, Maecenas, quem ex duodecima, L. Varius et Plotius Tucca, quos ex reliquis partibus teſtamento heredes reliquit. *x*) Horatius, *y*) Propertius, omnes propemodum coaeui poetae ita illi adiuncti fuerunt, vt cum inter ſe plurimum arderent inuidia eiusdem confeſſionis artifices, vna omnes illum colerent. Refert enim Pedianus apud DONATVM in vita Virgilii, *benignum, cultoremque omnium bonorum atque eruditorum fuiſſe, et vſque adeo inuidiae expertem, vt ſi quid erudite dictum inſpiceret alterius, non minus gauderet, ac ſi ſuum fuiſſet: neminem vituperare, laudare bonos: ea humanitate eſſe, vt, niſi peruerſus maxime, quisque illum non diligeret modo, ſed amaret.* Inter oſores tamen eius fuit Cornificius, qui illum ferre ob naturam peruerſam minime gentium potuit, ſed in eum maledicta et inimicitias palam profeſſus. Quas cum non nemo Poetae refer-

t) Vid. DONATVS in Virgilii vita. *v*) DAN. HEINSIVS et I. F. GRONOVIVS reſtituere verba, *Haeredes fecit ex dimidia parte Valerium Proculum, fratrem ex altera parte* etc. apud DONAT. Proculum fratrem ex alio patre. *x*) Ibid. *y*) HORAT. ſerm. l. 1. ſatyr. 6.

— — *optimus olim*

Virgilius, poſthunc Varius, dixere quid eſſem.

confer. Horat. vita inferius §. 29.

Digitized by Google

referret: *quam putas*, dixit, *eſſe huiusce maleuolentiae cauſſam? nam neque vnquam Cornificium offendi, et eum amo. An Heſiodi ſententiae non meminiſti, architectum architecto inuidere, et poetam poetae? De malis Graecus ille intellexit: nam boni eruditiores amant. Sed magna cum laude et gloria vindictam in manu habeo. Maiore enim cura virtuti intendam: atque quo elegantior ego fiam, eo vehementius inuidia rumpetur.* z) Maximam praeterea virtutem habebat patientiam: qua nihil commodius accidere homini poteſt: nulla enim tam aſpera fortuna eſt, quam vir fortis patiendo non vincit. Quod ipſe eleganter expreſſit a)

-- -- *Quo fata trahunt retrahuntque ſequamur:*
Quicquid erit, ſuperanda omnis fortuna ferendo eſt.

In ſeceſſu, quod ſupra monui, plurimum ſecure vixit: neque in eo tamen Auguſti gratia, neque populi Romani notitia caruit. Auctor dialogi, an ſui ſeculi oratores antiquis, et quare, concedant, *b)* teſtatur, populum auditis in theatro verſibus Virgilii, ſurrexiſſe vniuerſum, et forte praeſentem ſpectantemque veneratum eſſe vt ipſum Auguſtum. Prodeunti etiam in publicum nitidiſſimo poetae ſaepius a populo acclamatum fuit: *Delicias Romae.* Frequentes ab ipſo Auguſto accepit literas, qui, quoties Poeta aliquid elaborauerit de Aenea, ſtatim communicari ſecum exoptauit. Quam difficilis vero ille fuerit, aliquid non ſatis politum dare, vel ex hoc eius reſponſo apparet: *c) De Aenea quidem meo, ſi mehercule iam dignum auribus*

z) Apud DONAT. in vita Virg. *a)* Aeneid. l. 5. v. 709. *b)* Apud TACITVM. cui vulgo adſcribitur, cap. 13. *c)* Apud MACROBIVM Saturn. l. 1. c. 24.

bus haberem tuis, libenter mitterem. Sed tanta inchoata res eſt, vt pene vitio mentis tantum opus ingreſſus mihi videar: cum praeſertim, vt ſcis, alia quoque ſtudia ad id opus multoque potiora impartiar. Scripta ſua bucolica atque georgica emendauerat, quum limam exoptaret vltimam admouere libris Aeneidos: quibus expoliendis totum triennium impendere decreuit. Vti vero plus otii nanciſceretur, atque minus interruptis vicibus limationi operam dare, poſthaec vero maiori etiam cura philoſophiae incumbere *d*) poſſet, aetatis anno quinquageſimo ſecundo ſtatuit in Graeciam Aſiamque ſecedere. Proficiſcitur ergo, ſed Athenis obuiam factus Auguſto ab oriente Romam reuertenti, cum eo fidem dat vna redire in patriam. Malis auibus: cum enim Megaram vicinum Athenis oppidum, viſendi gratia, peteret, languorem nactus eſt, quem continua nauigatio auxit, ita vt grauior in dies, Brunduſium tandem appulerit, vbi *e*) breui poſt diem obiit ſupremum X. Kal. Octobr. A. V. C. DCCXXXV. C. Sentio Saturnino et Sp. Lucretio Cinna Coſſ. Eius oſſa, prout ſtatuerat, Auguſtus iuſſit transferri Neapolim, vbi ſuauiſſime diu vixerat, ac ſepeliri via Puteolana intra lapidem ſecundum.

d) Donat. in vita Virgilii: *Audiuit a Sirone praecepta Epicuri: cuius doctrinae ſocium habuit Varium. Quamuis diuerſorum philoſophorum opiniones libris ſuis inſeruiſſe de animo maxime videatur, ipſe tamen fuit academicus: nam Platonis ſententias omnibus aliis praetulit.* *e*) Confer. Hieronymus chron. Euſeb. olymp. CXC. anno 2. Servius eum tradidit Tarenti mortuum eſſe, contracta aegritudine ex itinere ad viſendum Metapontum, propter calores et nimios aeſtus. Quem ſequitur Petrus Crinitus de poetis Latinis lib. 3. in vita Virgilii.

dum. Sepulcro inſcriptum eſt diſtichon, quod extrema valetudine ſibimet ipſi fecerat:

Mantua me genuit, Calabri rapuère, tenet nunc
Parthenope: cecini paſcua, rura, duces.

Et hoc recens inuentum eſt Neapoli breue atque concinnum poetae noſtri epitaphium: *f*) SISTITE. VIATORES. QVAESO. PAVCA. LEGITE. HIC. MARO. SITVS. EST.

§. XIX.

Donatus, vel quisquis deſcripſit vitam Virgilii, auctor eſt, eum puerum adhuc auſpicatum fuiſſe poeticam, eiusdemque ſpecimina haudquaquam vulgaria dediſſe. Deinde publici iuris feciſſe catalecton, Moretum, Priapeia, epigrammata, diras, et culicem, quum eſſet quindecim annorum. Scripſiſſe etiam, de qua ambigitur, Aetnam. Paulo poſt Romam proficiſcitur, agros recuperat ſuos, et magnis cumulatur beneficiis Aſinii Pollionis, Alpheni, Varii, Cornelii Galli, et ipſius Auguſti, quos vt celebraret, ad ſcribenda Bucolica animum appulit: in quibus Theocritum *g*) imitatus eſt ſtilo tenui ac humiliori paullo, qui paſtoribus conuenit. Sunt autem *bucolica* dicta *ἀπὸ τῶν βουκόλων a bubulcis.* Boues enim inter praecipua ruſticorum animalia numerantur: vti per ſynecdochen *bubulum* pro *paſtorale* dicatur. Et in ipſa voce βουκολικὰ ſubaudiendum eſt ἔπη *carmina.* Haec paſtoralia ſua carmina, quorum decem

f) Teſte MABILLONE muſ. Ital. p. 112. *g*) BARTHIVS aduerſ. l. 41. c. 26. poſtquam plurima eſſe Theocriti inacceſſa Maroni, plurima viciſſim Virgilii Theocriticis meliora, eſſet faſſus: *tamen inquit, Graecus ſcriptor immani interuallo Latinum relinquere videtur.* Inconuenientia quaedam notat l. 27. c. 3. et 4. l. 30. c. 24.

decem numerantur, vocat etiam eclogas, ab ἐκ et λέγω, quoniam, vt TVRNEBVS *h*) voluit, ex Theocriti Eidylliis excerptae ſunt: vel quod SCALIGERO *i*) magis placet, ex incondita turba eorum, quae ſubito excidiſſent calore ſelectae et concinnatae fuerunt. Sic TVLLIVS *k*) quoque eclogarium vocat, qui ex libro lecto κατὰ τάχος excipit obſeruatu maxime digna. IOH. FRISIVS Tigurinus *l*) vero putat τὴν ἐκλογὴν hic collocutionem eſſe; et eclogarios Ciceroni appellatos, qui colloquuntur. Carmen ipſum conſtat heroico verſu, qui melior in hoc genere eſt, ſi quartus pes dactylus fuerit. Ratio conſcribendorum bucolicorum DONATO, *m*) et aliis qui eum ſequuntur, haec fuiſſe traditur. Auguſtus, Caeſare interfecto, propter percuſſores et Antonium, poſt Philippenſem victoriam, agros Cremonenſium, qui in partibus fuerant, militibus veteranis diuiſit: nec his ſufficientibus, Mantuanorum agros adiecit, non quod illi peccaſſent, verum quod ſaltem eſſent vicini. Atque hos inter Virgilius quoque agros amiſerat ſuos: quos illi diuina poeſis reſtituit. Nam arte ſua bene munitus vix Romam ſalutauit, quum in amicitiam virorum maximorum reciperetur, quorum interceſſione ab Auguſto illi reddita fuerunt omnia. Huic ergo gratias agit *ecloga prima*, cui nomen Tityrus, ob receptum agrum, vbi felicitatem ſuam praedicat, aliumque, vt amplificaret beneficium, in ſcenam producit de fortuna ſua conquerentem. *Ecloga ſecunda*, quam inſcripſit Alexin, *n*) ſemet

ipſum

h) Aduerſ. l. 9. c. 22. *i*) Poetic. l. 1. c. 4. *k*) Ad Attic. l. 16. epiſt. 2. *l*) Annotat. in Vergilii Bucolica. *m*) De Virgilii vita. *n*) Verbum compoſitum ex α, particula priuante, et λέξις *dictio*, vt illum ſignificet proprie, qui nihil dicit.

ipſum proponit ſub Corydone flagrantem amore Alexidis, qui Pollionis puer, nomine Alexander, fuit, ſi DONATO credimus, ipſi Virgilio poſtea dono datus. *o*) *Tertia* Palaemon vocata, inter paſtorum lites et conuicia Palaemonis *p*) prudentiam laudat, qui ſua ſententia lites componit: Pollionis etiam ſtudium et ſummum erga poetas affectum praedicat. *Quarta* Pollio inſcripta, noui ſeculi interpretationem ſimul atque laudes continet Caeſaris Auguſti, Pollionis eiusque filii Salonii, cui genethliacum Poeta dicit. *q*) *Quinta* Daphnis, cuius mortem paſtores deplorant, laudesque decantant. Sub Daphnidis perſona vero quem propoſuerit, adhuc ſub iudice lis eſt. Alii Iulium Caeſarem nuper confoſſum intelligi putant, cuius ἀποθέωσιν celebret: alii Salonium fato defunctum, cuius natales ecloga ſuperiori cecinit: alii Quintilium Varum in Germania cum tribus legionibus caeſum: alii denique Flaccum Maronem, Virgilii fratrem, de quo vulgatum extat incerti auctoris:

Triſtia fata tui dum fles in Daphnide Flacci,
Docte Maro, fratrem Diis immortalibus aequas.

Ordine quae ſequitur *ſexta* prae ſe fert nomen Sileni, et conſcripta eſt in gratiam Quintilii Vari, qui, teſte Donato, vna cum Virgilio, Epicureorum doctrinam ab Silone Philoſopho hauſit. Deſcribit ergo perfectam Epicureae ſectae

o) Sed Maecenatis puerum fuiſſe, MARTIALIS innuit, l. 8. epigr. 56. LVD. VIVES et N. FRISCHLINVS tamen Cornelium Gallum ſignificari volunt. Alii, vt IOH. FRISIVS, ipſum Caeſarem intelligunt per Alexin, ac tempus a Poeta notari malunt, quo ipſius Caeſaris Auguſti amicitiam ambierat. *p*) Confer. SVETONIVS de illuſtr. grammaticis cap. 23. *q*) In bucolicon Virgilii quartum vid. BOECLERVS diſſert. academicarum tomo poſteriori diſſert. 11. pag. 387.

ſectae voluptatem, quae in compotationibus, cantu, amoribus et ſomno conſiſtebat. Magnam laudem, Grammatici tradunt, noſtrum ecloga iſthac conſecutum fuiſſe, quum recitaretur publice: Ciceronem quoque interfuiſſe confirmant, qui cum auſcultaſſet, interrogarit, quisnam eſſet: audito Virgilii nomine, ſtupefactum dixiſſe: magnae ſpes altera Romae. *r)* *Septima*, cui nomen Meliboeus, ad exemplum tertiae eclogae, certamen duorum paſtorum proponit: quo ſpecimen exhibeat copiae, multa feſtiuitate ex ruſticis vocibus refertum. *Octaua* Pharmaceutria *s)* vocatur a φαρμακεύω ſeu φαρμακεύομαι, veneno inficio, medeor, quod venefica introducitur quaedam pharmacis et incantationibus viri animum ad ſui amorem reuocans. Argumentum vero duplex eſt, conqueſtio amoris contemti: veneficia et incantationes, quibus muliercula peruertere virum et in amorem pellicere conatur. *Nona* Moeris, ita villicum ſuum nominat, querelis referta eſt, quod agros ab Auguſto ſibi reſtitutos cum vellet repetere, a militibus impediretur. *Decima* Gallus, cuius amorem celebrat. Haec ſua bucolica Virgilius Aſinii Pollionis ſuaſu

r) DONATVS in vita Virgilii: *Bucolica eo ſucceſſu edidit, ut in ſcena quoque per cantores crebra pronunciatione recitarentur. At cum Cicero quosdam verſus audiſſet, et ſtatim acri iudicio intellexiſſet, non communi vena editos, iuſſit ab initio totam eclogam recitari: quam cum accurate pernotaſſet, in fine ait: MAGNAE SPES ALTERA ROMAE. Quaſi ipſe linguae Latinae ſpes prima fuiſſet, et Maro futurus eſſet ſecunda. Quae verba poſtea Aeneidi ipſe inſeruit.* Confer. EDMVNDI CAMPIAN. de imitat. rhetor. cap. 3. BLOVNT cenſura celebr. auct. p. 73. *s)* φαρμακεύτρια, *venefica, ſaga.*

triennio perfecit: *t*) natus annos XXVIII. *v)* Georgica *x*) Virgilius libros ſuos de agricultura rebusue ruſticis inſcripſit: quos in honorem Maecenatis edidit. Hic enim vix dum ſibi noto, quum reſtitutos ab Auguſto agros recuperare vellet, ab Arrio centurione vero, qui occupauerat eos, impediretur, ac violentia veteranorum militum in altercatione litis agrariae propemodum interficeretur: aduerſus vim hoſtium tulerat opem, ſuaque vt illi redderentur omnia curauerat. Grati animi teſtandi gratia vates ad eum de agricultura libros mittit: in quibus Heſiodi ſcriptum, cui nomen ἔργα καὶ ἡμέραι, imitandum ſibi propoſuit: ita tamen, vt quod ille ſuccincte fuerat complexus, hic fuſius quatuor partibus, ſiue diſtinctis libris, digeſſerit. ***Primo*** de frugibus, vel de ſatione; *ſecundo* de arboribus, inſitione et plantatione vitium; ***tertio*** de pecoribus, ſeu paſtione; *quarto* de apibus, ſiue mellatione verſibus hexametris et ſtilo mediocri agit. Cum Georgica ſcriberet, DONATVS *y*) auctor eſt, quotidie meditatos mane plurimos verſus

---

t) Teſte DONATO de Virgilii vita. *v)* Ipſe georg. l. 4. verſ. penult.

Carmina qui luſi paſtorum, audaxque iuuenta,
Tityre, tu patulae, cecini, ſub tegmine fagi.

x) γεωργία agricultura. Graecis enim γέα terra vel ager, ἔργον opus: vnde verbum iſtud componitur, et τὰ γεωργικὰ documenta agri colendi ſcientiam continentia. *y*) De vita Virgilii. Hinc A. GELLIVS noct. Attic. l. 17. c. 10. *dicere eum ſolitum, parere ſe verſus more atque ritu vrſino: namque vt illa beſtia foetum ederet ineffigiatum informemque, lambendoque id poſtea, quod ita edidiſſet, conformaret et fingeret; proinde ingenii quoque ſui partus recentes rudi eſſe facie et imperfecta, ſed deinceps tractando colendoque reddere iis ſe oris et vultus lineamenta.*

verſus dictare, ac per totum diem retractando ad paucisſimos redigere ſolitum. Qua de re cum interrogaretur, carmen ſe, reſpondit, parere vrſarum more, et lambendo demum effingere. Hinc factum eſt vt ſeptennio demum georgica ſua Neapoli abſolueret. Omnium vero optimum et incomparabile carmen eſt, quod fecit, epicum, inſtar amborum Homeri, quem ſibi exemplar propoſuerat, z) carminum, varii et multiplicis argumenti: ſumma tamen rerum eo redit, vt Romanae vrbis et Auguſti originem traderet. Aeneidem inſcripſit carmen,

Quo nullum Latio clarius extat opus.

Illius proſtant libri duodecim. *Primo* Aeneae tempeſtatem et ad Carthaginem appulſum deſcribit. *Secundo* Didoni, quae illam ciuitatem nuper aduena aedificarat, Reginae ſeriem excidii Troiani Aeneas exponit. *Tertio* idem pergit narrare de nauigatione variisque erroribus ſuis: tum de moribus diuerſis atque ritibus diuerſarum gentium. *Quarto* elegantiſſime deſcribit in Aeneam hoſpitem ſuum Didonis amorem, furtiuas nuptias, illasque inopinata migratione ſolutas, et Didonis mortem, quam ſibi amoris impotentia violentam conciuit. *Quinto* fortuitum Aeneae in Siciliam inſulam appulſum, et, quae Patris ſui Anchiſae manibus ibi fecit, cum ludis funebribus anniuerſaria ſacra, ſiue, vt vulgo nominantur, parentalia recenſet: item quomodo a feminis exuſta fuerit claſſis, atque Aeneas cum robore et flore virorum Italiam petierit. *Sexto* proficiſcitur Aeneas ad antrum Sibyllae: inde ad inferos properat: vtrobique cognouit pericula bellique futuri euentum. *Septimo* vates de bellis Aeneae in Italia geſtis, eorundemque

z) Vid. MACROBIVS Saturn. I. 5. c. 11.

que ſeminibus et cauſſis agit. *Octauo* de ſocietate pactoque foedere Turni cum finitimis vrbibus et Diomede: ex altera parte ipſius Aeneae cum Arcadibus, eorum Rege Euandro et Pallante filio: vtrinque apparatus belli interea temporis fiunt. *Nono* Turnus a Iunone inſtigatus Teucrorum naues exurere, ſed fruſtra, conatur: quae Iouis beneficio in totidem Nymphas marinas conuertuntur. Niſus vero et Euryalus a Troianis ad Aeneam emiſſi trucidantur. Turnus et caſtris potitur, ſed ſtatim repellitur. *Decimo* Iupiter Diis concordiam commendat. Troiani obſeſſi pro viribus ſe defendunt, ad quos Aeneas triginta nauium claſſe reuertitur et acri proelio confligit. *Vndecimo* Aeneas, reportata a Mezentio victoria, Marti tropaeum erigit. Vtrinque ſepeliuntur caeſi. Diomedes a Latinis recedit. Drances et Turnus mutuis conuiciis exacerbantur, et proelium equeſtre dubio euentu committitur. *Duodecimo* Turnus certamine ſingulari cum Aenea dimicare decreuit: quam ob rem foedus ſcribitur, quod Rutuli rumpunt. Tandemque Turnus ab Aenea necatur. Quidam, quod DONATVS in vita Virgilii tradidit, exiſtimarunt, *eum ſi diutius vixiſſet, quatuor et viginti libros vsque ad Auguſti tempora ſcripturum, atque alia quaedam percurſurum; Auguſti vero geſta diligentiſſime exſecuturum: quippe qui, dum ſcriberet, ne quid impetum moraretur, quaedam imperfecta reliquit; alia leuiſſimis verſibus ſcripſit, quos per iocum pro tigillis vel tibicinibus interponi a ſe dicebat, ad ſuſtinendum opus, donec ſolidae columnae aduenirent.* Aeneida partim in Sicilia, partim in Campania duodecim annis confecit. Vix autem illud carmen coeptum erat, quum exſpectationem excitaret omnibus incredi-

credibilem tantamque famam, vt PROPERTIVS *a*) non dubitarit ſic de eo praedicare:

Cedite Romani ſcriptores, cedite Graii.
Neſcio quid maius naſcitur Iliade.

Et longo poſt eum interuallo MARTIALIS: *b*)

Ad Capitolini coeleſtia carmina belli,
Grande cothurnati pone Maronis opus.

Sed totum opus imperfectum et inemendatum reliquit, correptus valetudine, quum limam tentaret vltimam. Ideoque ingraueſcente morbo, ſaepe ſcrinia petiit, crematurus Aeneida: quibus negatis, teſtamento iuſſit carmen illud ceu imperfectum comburi. *c*) Verum Tucca et Varius monuerunt, id Auguſtum non permiſſurum. His ergo ſcriptum legauit, ea tamen lege, ne quid adderent, quod a ſe editum non eſſet, atque etiam verſus imperfectos facerent miſſos. *d*) Sed Octauianus Auguſtus de teſtamento Virgilii ſua ſcripta concremari iubentis, ſolicitus heroica voce contrarium ſtatuit. *e*) Edictum hoc de Aeneide Virgilii non abolenda, in eius catalectis, haud ineleganti carmine deſcribitur:

Ergone ſupremis potuit vox improba verbis
Tam dirum mandare nefas? ergo ibit in ignes?
Magnaque doctiloqui morietur Muſa Maronis?

———— ———— ———— ————

Sed legum ſeruanda fides: ſuprema voluntas
Quod mandat, fierique iubet: parere neceſſe eſt.
Frangatur potius legum veneranda poteſtas,

a) Lib. 2. eleg. vlt. *b*) Lib. 5. epigr. 5. *c*) Confer. MACROBIVS Saturn. l. 1. c. 24. *d*) DONAT. in vita Virgilii. Hieronym. in chron. Olymp. CXC. ann 3. A. GELLIVS noct. Attic. l. 17. c. 10. *e*) Confer. PLINIVS hiſt. natur. l. 7. c. 30.

Quam tot congeſtos noctesque diesque labores
Hauſerit vna dies. - - - -
- - - - *Viuat Maro clarus in orbe,*
Ingratusque ſibi: ſed quod male iuſſerat ipſe,
Sit vetuiſſe meum. Sacer eſt poſt tempora vitae.
Sicque erit aeternum, tota reſonante Camoena,
Carmen, et imperii diui ſub nomine viuat,
Laudetur, placeat, vigeat, relegatur, ametur.

§. XX.

Catalecta *f*) iam olim Virgilii operibus addita fuerunt in editionibus antiquiſſimis, vtut dubia ſit illorum auctoritas, et forſan pauciſſima genuina Virgilii poemata contineant. Certe reperio iſta in editione mea, quae prodiit Venetiis 1495. fol. at Celeber. FABRICIVS *g*) etiam ea legit in alia decem annis antiquiore. Innumeris editionibus poſtmodum annexa fuiſſe videmus. Atque etiam illa peculiari commentario a ſummis viris IOSEPHO SCALIGERO et FRID LINDENBROGIO illuſtrata ſunt, cum quorum notis appendix Virgiliana prodiit Lugd. Batau. 1595. et 1617. 8. Librum decimum tertium Aeneidos, de iis quae poſt Turni cladem acta ſunt, ſcripſit Maphaeus Vegius Laudenſis poeta. Poſt elogia variorum, ſequuntur Maronis, cuius nomen prae ſe ferunt, epigrammata, in hortulum, de vino et Venere, de liuore, de cantu Sirenarum, de natali die, de fortuna, de Orpheo, de ſe ipſo, de aetatibus animalium, de ludo, de erumnis Herculis, Argumenta duodecim librorum Aeneidos, de Muſarum inuentis, epitaphia virorum illuſtrium, de ſpeculo, amnis glacie concretus,

f) Quaſi καταλεγόμενα, de quorum auctoribus ambigitur. *g*) Biblioth. Latin. p. 222.

cretus, iris, quatuor anni tempeſtates, de ortu ſolis, de Herculis laboribus, de litera Y, de ſignis coeleſtibus, etc. Haec alia in Priapum LXXXVII excipiunt epigrammata, quae *Priapeia* vocant, maximam partem obſcoena, foeda et deteſtabilia, ſed eleganter ſcripta. *h)* A plerisque, ſed perperam, illa Virgilio tributa fuerunt. *i)* ANGEL. POLITIANVS *k)* Priapeiorum Ouidium eſſe auctorem demonſtrare conatur. Sed haud immerito CLAVD. VERDERIVS *l)* ab illo diſſentit. Guyetus, vt ANTONIVS PERIANTES in eius vita teſtatur, Domitium Marſum Priapeiorum carminum auctorem fuiſſe exiſtimat. Alii, quos inter SCALIGER fuit, carmina illa non vnius auctoris eſſe putant, ſed foetus variorum poetarum, Catulli, *m)* Tibulli, Ouidii, Petronii, ceterorum; et vnumquemque poetarum ad Maecenatem accedentium, in parietibus ſacelli Priapei aliquot verſiculos adſcripſiſſe; poſtmodum collectos in vnum faſciculum a quodam poeta, qui carmen ad lectorem praefixit:

Carminis inconti luſus lecture procaces,
Conueniens Latio pone ſupercilium.
Non ſoror hic habitat Phoebi, non Veſta ſacello,
Nec quae patrio vertice data dea eſt.
Sed rubet hortorum cuſtos membroſior aequo,
Qui tectum nullus veſtibus inguem habet.

Ee 2 *Aut*

h) Haec poſt Scaligerum et Lindenbrogium CASP. SCIOPPIVS recenſuit ac ſeparatim edidit Amſtelodami (titulus falſo Patauium praefert) 1664. 8. *i)* Vid. etiam IOH. MARIA CATANAEVS ad Plin. L. 5. epiſt. 3. *k)* Miſcell. c. 59. Oper. p. 276. *l)* Cenſur. in Auct. p. 156. *m)* Etiam P. VICTORIVS var. lect. l. 12. c. 3. et l. 25. c. 12. Catullo quaedam ex illis deberi notauit. Confer. VOSSIVS de poetis Latinis cap. 2.

Aut igitur tunicam parti praetende tegendae:
Aut quibus haec oculis aſpicis, iſta lege.

Sequitur porro elegia in Maecenatis obitum, in laudata ſuperius Virgilii editione Veneta, cum Domitii Calderini Veronenſis commentario: qui, *non compertum*, inquit, *habemus, cuius haec elegia fuerit: neque enim Virgilio adſcribi poteſt ex dicendi charactere, nec eſt alter auctor, quem ea tempeſtate exiſtimemus ſcripſiſſe: verum non deſunt, qui Lactantii Firmiani opus dicant. Eo enim ſtilo verſari videtur, quo et eius viri ſcripta videntur. Summa tamen omnis eſt, vt Maecenatem laudet, pariterque filii ipſius mortem defleat.* E recentioribus vero iſtam elegiam SCALIGER et poſt eum HENRICVS MEIBOMIVS *n*) C. Pedoni Albinouano Poetae, qui Octauiani Auguſti Imperatoris temporibus vixit, erudite ſatis vindicare conatur: quamuis G. I. VOSSIVS *o*) aliter ſentire, ac iſtam elegiam Pedoni conſtanter abrogare viderit. Porro leguntur ibi cum eiuſdem commentariis *Copa, p*) carmen dictum a primis vocibus,

Copa Syriſca caput Graia redimita mitella
Criſpum ſub crotalo docta mouere latus.

Omnis huius opuſculi ſumma eſt, vt Maecenas et ſocii ad voluptatem trahantur Copae Maecenatis libertae grata inſinuatione. Carmen iſtud ex Chariſii teſtimonio SCALIGER, CASAVBONVS et alii *q*) Virgilio tribuunt. *Eſt et non*, carmen incer-

n) MEIBOMIVS hanc elegiam notis illuſtratam commentario ſuo de vita Maecenatis inſeruit. Lugd. Batau. 1653. 4. *o*) De poetis Latinis cap. 2. et l. 2. de arte grammat. c. 27. *p*) Qua voce ſignificatur mulier quae cauponam exercet: quamuis ſciam DOMITIVM in commentario *Coppam* ſcribere, et eas eſſe iuxta Cephiſum amnem, qui lacum facit Copaidem nominatum. *q*) Quorum loca editioni ſuae praefixit I. WEITZIVS, qui cum notis haec ſeparatim vulgauit Francof. 1642. 8.

Digitized by Google

incerti auctoris, quod deridet dialecticos et ſophiſtas, quorum omnis ſcientia nugax et vana eſt, nec aliud continet, quam eſt et non. *Vir bonus* qui ad ſapientiam alios inuitat. *Roſae*, quibus virgines ad voluptatem percipiendam pelliciuntur. *Culex*, poema heroicum ſuaue et iucundum, Octauiano Auguſto dicatum, haec fingens: Paſtor, cum in vmbra dormiret, ſerpensque illi inſidiaretur, culicis morſu excitatur: quamobrem interimit culicem, iterumque obdormit, aegre ferens quod ipſe cauſſam ſalutis ſuae necauerat. In quiete culicem videt omnem ſibi curam inferorum monſtrantem. Stupefactus ergo ſomnum relinquit, et inſigni artificio culicis ſepulchrum ornat. Iosephvs Scaliger putabat haec ſenem Virgilium luſiſſe, quamuis Papinivs in epiſtola ad Stellam, adoleſcentis potius proludium fuiſſe dicat. Atque etiam hoc videtur innuere Martialis: r)

Protinus Italiam concepit, et arma virumque,
Qui modo vix culicem fleuerat ore rudi.

i. e. Beneficiis ille protinus poeta perfectus euadit, vt hiſtoriam Italiae et Romani nominis ab Aenea ducti, cuius initium, *arma virumque cano*, concipere potuerit, qui de culice ſcripſit modo carmen rude. Illum Virgilii genuinum foetum ſequitur rurſum alienus, *Dirae*, ſeu execratorium carmen, quod Valerii Catonis eſſe, dudum viri docti notarunt. Plura de hoc inferius. *) *Aetna*, carmen quo Aetnaei

r) Lib. 8. epigr. 56. Confer. Virgilii vita, quae Donatum auctorem prae ſe fert, vbi: *Poeticam puer adhuc auſpicatus in Baliſtam ludimagiſtrum, ob infamiam latrociniorum coopertum lapidibus, diſtichon fecit. Deinde catalecton, et Priapeia, et epigrammata, et diras, item Cirim et culicem, cum eſſet annorum XVI. Scripſit etiam, de qua ambigitur, Aetnam.* *) Cap. 4. §. 14.

naei incendii cauſſa deſcribitur, Virgilio tam ab aliis quam a Domitio Calderino vindicari videtur, ſed male: illud enim ſatis quidem elegans poema Cornelii Seueri eſſe, cum IOSEPHO SCALIGERO iudicamus ex verbis SENECAE: *s*) *donec Aetnam deſcribas tuo carmine, et hunc ſolennem omnibus Poetis locum attingas, quem quo minus Ouidius t) tractaret, nihil obſtitit, quod iam Virgilius v) impleuerat, ne Seuerum quidem Cornelium vterque deterruit.* Sunt, qui carmen hoc Quintilio Varo adſcribunt, vt IVL. CAESAR SCALIGER; BARTHIVS vero vel Manilio, *x*) vel Chriſtiano denique ſcriptori *y*) vindicare illud nullus dubitauit. *Ciris z*) genuinum *a*) Virgilii carmen, ſcriptum ad Meſſalam, qui ſub Auguſto magnis in rebus, praeſertim militaribus, exercebatur, inſignis praeterea et poeta et orator erat. Hunc ergo Virgilius beneuolentiſſimum ſibi eſſe cupiebat, mittens ad eum ceirim, *b*) quo Meſſalae praeconium celebratur, deſumto argumento ab aue, in quam Scyllam *c*) fuiſſe transformatam OVIDIVS *d*) fabulatur. Denique conſpiciuntur obſcurioris auctoritatis *catalecton*, quo Priapus loquitur, et *Moretum*, quod ISAACVS VOSSIVS quidem agnoſcit, alii vero Septimio Seuero, et neſcio cui cui tandem alii tribuere malunt.

---

s) Epiſt. 79. ad Lucilium. *t*) Metamorph. l. 15. v. 340. *v*) Aeneid. l. 3. v. 570. Confer. A. GELLIVS noct. Attic. l. 17. c. 10. vid. etiam SILIVS 14. 59. VAL. FLACCVS 2. 29. LVCRET. 6. 639. CLAVDIAN. rapt. Proſ. 1. 161. *x*) Ad Claudian. pag. 1044. *y*) Aduerſar. l. 49. c. 6. *z*) Al. *Ceiris*, vel *Cirrhis*, illa auis eſt, quae vulgo egretta vocatur. *a*) Quamuis alii hoc Cornelio Gallo, vel Catullo tribuere velint. vid. FABRICIVS biblioth. Latin. l. 1. c. 12. p. 222. *b*) Non immerito, quum eadem vox Graecis etiam praeconium eſſe, vulgo notum eſt. *c*) Proinde carmen illud *Scylla* vocatur a SENECA epiſt. 92. *d*) Metamorph. l. 8. v. 150.

§. XXI.

Virgilius *e*) imitatus eſt *f*) in bucolicis Theocritum poetam, in georgicis Heſiodum, quem ſine dubio longe ſuperauit. In ipſa Aeneide ſequutus eſt ex auctoribus Graecis Parthenium, Piſandrum Rhodium, Pindarum, et in primis Homerum; ex Latinis, Q. Ennium, Liuium Andronicum, T. Lucretium, et alios: quod praeter plures MACROBIVS praeſertim notauit. Omnes, quos Graecorum, quos Latinorum coryphaeos imitatus eſt, modo aequat, modo longo interuallo poſt ſe relinquit, in nullis vel in paucis admodum inferior procedit. Atque etiam horum, qui vernacula lingua ſcriptitarunt, ſcorias in purum putum aurum vel argentum conuertit. *g*) Graecarum vero literarum maxime gnarus multa diſſimulanter puris e fontibus hauſit; multa ex profeſſo et erudite ex ſcriptoribus Graecorum claſſicis in vſum ſuum deriuauit: vt non aliunde accerſita, verum natiua reddidiſſe videatur. In imitando Homero, is enim inter praecipuos fuit, *h*) aliquando nimius eſt; interdum oneri cedit, nonnunquam archetypo ſuo palmam relinquit: rurſum alicubi par, in multis aliis partibus longe ſuperior euadit. Quid Homero praeſtet,

IVL.

e) Vt qui teſtimonio QVINTILIANI inſtit. orat. lib. 1. c. 7. vetuſtatis amantiſſimus erat, confer. GELLIVS noct. Attic. l. 5. c. 12. *f*) GERMANVS VALENS GVELLIVS commentationes et paralipomena in Virgilium vna cum ipſo auctore edidit Antverp. 1575. fol. in quibus accurate paralelſmi Graeci notantur. Sic quoque prodiit FVLV. VRSINI *Virgilius cum Graecis auctoribus collatus*, Antverp. 1568. 8. vid. etiam A. GELLIVS l. 9. c. 9. l. 12. c. 25. l. 17. c. 10 et MACROBIVS Saturn. l. 6. c. 2. plures alii. *g*) Vid. MACROBIVS Saturn. l. 6. c. 1. GELLIVS l. 1. c. 21. *h*) Inde MACROB. in ſomn. Scip. l. 1. c. 7. p. m. 46. *Homericae per omnia perfectionis imitator* dicitur fuiſſe.

IVL. CAESAR SCALIGER *i*) dudum notauit. Et BARTHIO *k*) iudice, haud immerito totius antiquitatis iudicio opponi poteſt, quippe qui non rationibus, ſed demonſtrationibus egit, et illis quidem adeo certis, *vt neminem fuiſſe, aut futurum etiam eſſe* credat, *qui eas poſſit ita confutare, vt liberi iudicii hominem in contrariam captae pro Scaligero ſententiam deducere poſſit.* Hic vero alibi *l*) non obſcure ſibimet ipſi contradicit, obſeruante etiam MORHOFIO. *m*) Nam ſui plane immemor: *Et haec*, inquit, *Virgiliana imitatio adeo mihi omni comparationi Homerum eximere videtur, vt, illum ipſum Scaligerum vno perpetuo errore totos illos ſuos diuinos de poetica commentarios attaminaſſe, ſaepius dixerim, dum Virgilium Homero opponere, aut etiam praeferre, molitur. Nihil enim aliud agit iſta molitio, niſi quod in ſumma peritia ſummam oſtendit imperitiam: non videns aut attendens, minime conuellere Homerum ex vſu eſſe Virgilium laudantis; ſed ita in hoc Latino agnoſci demum poſſe perfectionem, ſi perfectiorem etiam, quam vel perfectiſſima eſſe poſſit, in fonte, doctore, magiſtro, modi imperatore, vnicoque omnis poeſeos Apolline contemplere.* RENATVS RAPINVS, Ieſuita Gallus, eleganti, patrio licet, idiomate, ex profeſſo epici carminis virtutes examinat, ac Homerum inter Virgiliumque comparationem ita inſtituit: *n*) vt ſuam cuique laudem tribueret, atque etiam quid

i) De re poetica l. 5. c. 2. et 3. Confer. les oeuures diuerſes du Monſ. Rapin, concernant les belles lettres, tome premier. p. 91. vbi lingua Gallica elegantem inter Homerum et Virgilium comparationem inſtituit. *k*) Aduerſar. l. 58. c. 9. *l*) Aduerſ. l. 47. c. 22. *m*) Polyhiſt. liter. l. 4. c. 11. §. 14. p. 863. *n*) Vid. *les comparaiſons des grands hommes de l' antiquité, qui ont le plus excellé dans les belles lettres*, p. 97. ſeqq.

Digitized by Google

quid alter alteri praeſtiterit, accurate et ingenioſe demonſtraret. Inter alia confitetur: *o) ce n'eſt pas merueille, ſi Virgile a cet auantage ſur Homere, ayant d'vne façon ſi ſinguliere celuy des moeurs. Il a cette obligation au ſiecle, dans lequel il ecriuoit, dont l'eſprit eſtoit beaucoup plus poly que celuy d'Homere*, et quae ſequuntur. Rurſum: *p) C'eſtoit auſſi en cette perfection, que conſiſtoit ce bon ſens ſi exquis, qui regnoit à Rome du tems d'Auguſte, et qui eſtoit le caractere de tous les habiles gens qui ecriuoient alors, et que nous regardons comme les ſeuls modeles de la pureté du diſcours, et de cet air admirable d'ecrire, qui regne auiourd'huy parmy nous.* Iacobvs Tollivs *q)* quoque imitationem Homeri demonſtrat in Virgilio, ita quidem, vt omnia in hoc magis comta, et omni cultu curaque exornata, grandia ſimul, magnifica, illuſtria ſplendida eſſe deprehendat: in eo tantum Homericis inferiora, quod ad illam affectuum veritatem accedere non videatur.

§. XXII.

Statius Papinius *r)* et Silius Italicus *s)* poemata Virgilii vsque adeo admirati ſunt, vt nihil praeterea dixerint ſe magis cupere, quam aliqua ex parte Virgiliani carminis maieſtatem imitari poſſe. Quod Martialis innuit: *t)*

Ff *Silius*

o) Cap. 8. p. m. 125. *p)* Cap. 11. p. m. 134. 135. *q)* In acceſſione animaduerſionum ſuarum ad Longinum, Traiecti ad Rhen. 1694. in 4. nitidiſſime a ſe editum p. 271. ſeqq. *r)* Hic lib. 4. ſilu. 4. v. 54. venerationis cauſſa etiam Virgilii ſepulcrum vocat *Maroneum templum.* *s)* Lib. 8. v. 594.

Mantua Muſarum domus, atque ad ſidera cantu
Euecta Andino, et Smyrnaeis aemula plectris.

Cantus vero Andinus illi dicitur Virgilianus, qui natus eſt in Andes vico non procul a Mantua. *t)* Lib. 11. epigr. 49. Confer. Plinivs lib. 3. epiſt. 7.

Silius haec magni celebrat monumenta Maronis.

Paulo poſt: *v*)

Iam prope deſertos cineres, et ſancta Maronis
Nomina qui coleret pauper, et vnus erat
Silius -- -- --

Alibi *x*) ipſe poetam noſtrum *aeternum* vocat. Et FABIVS QVINTILIANVS *y*) longe omnium principem conſtituit, quem ceteri maximo interuallo ſubſequantur. Quod item DOMITIVS AFER exiſtimauit, qui cum poſt Homerum fecit ſecundum, ſed magis primo proximum, quam tertio. Verba QVINTILIANI haec ſunt: *Vt apud Graecos Homerus, ſic apud nos Virgilius auſpicatiſſimum dederit exordium, omnium eius generis poetarum Graecorum noſtrorumque, haud dubie proximus. Vtar enim verbis iisdem, quae ex Afro Domitio iuuenis accepi, qui mihi interroganti, quem Homero crederet maxime accedere, ſecundus, inquit, eſt, Virgilius, propiori primo, quam tertio. Et hercle, vt illi naturae coeleſti atque diuinae ceſſerimus, ita curae et diligentiae vel ideo in hoc plus eſt, quod fuit ei magis elaborandum* etc. Ita quoque Seuerus Imperator *z*) eius ſapientiam et eruditionem admiratus eſt, vt eum *Platonem poetarum* appellaret, quo elogio Panaetius antea Homerum condecorauerat. Et temporibus Fabii plures reperti fuerunt, qui Ciceronis gloriam, quam Virgilii detrectauerint. *a*) Chriſtianos ipſos ad ſuperſtitionem vſque poetam noſtrum coluiſ-

v) Lib. 11. epigr. 51. *x*) Lib. 11. epigr. 53. *y*) Inſtit. orat. lib. 10. c. 1. confer. VELLEIVS PATERC. l. 2. c. 36. HORAT. ſerm. l. 1. ſatyr. 6. v. 54. *z*) Apud LAMPRIDIVM cap. 31. *a*) Auctor dialogi de oratoribus cap. 12. apud TACITVM, cui dialogus ille falſo adſcriptus fuit.

Digitized by Google

coluiſſe, FABRICIVS V. C. *b)* teſtimonio ſufficiente probat: vbi hoc tamen fabulis adſcribit, quod Loiola, Ieſuitici ordinis princeps et auctor, verſu VIRGILII *c)*

Speluncam Dido, Dux et Troianus eandem
Deueniunt -- -- --

malum daemonem expuliſſe dicatur.

§. XXIII.

Nec obtrectatores Virgilio defuerunt. Cum enim bucolica luci publicae daret, inuentus quidam eſt, qui antibucolica ſcripſit. Cum recitaret ex georgicis. *nudus ara, ſere nudus:* quidam ſubiecit, *habebis frigora febrem.* Alii tam peruerſo ingenio fuerunt, vt in omni poetica elegantia eum non dubitauerint ineptum dicere. *d)* Caruilius Pictor grammaticus quidam librum compoſuit de Virgilianis erroribus, cui nomen *Aeneidomaſtix. e)* Rurſum alii eum accuſarunt furti, et imperitum plagiarium nominarunt: de quibus multa apud MACROBIVM *f)* leguntur. Illi obiicitur aliena inuentio, cum a Graecis illum omnia hauſiſſe aiunt. Sed fruſtra: nam ſi vel maxime illud magna ſui parte negari non poſſit: ille tamen ex veterum ruderibus iſtis longe ſplendidius exſtruxit palatium. Nec famae quicquam decedit pictoris eximii, quum penicillo ſuo aliquam hiſtoriam antiquam delineat, ſuamque artem et ingenium in minimis quoque circumſtantiis eluceſcere facit. *g)* Inepti ergo ſunt, ſuoque ingenio deſtituti, qui in Virgilio ingenium deſiderant. Caecutiunt et nihil inue-

 nire

b) Biblioth. Lat. l. 1. c. 12. §. 10. *c)* Aeneid. l. 4. v. 165. *d)* Confer. A. GELLIVS noct. Attic. l. 2. c. 6. *e)* Vid. DONATVS in vita Virgilii. *f)* Saturn. lib. 6. c. 1. 2. 3. *g)* Vid. IACOB. THOMASIVS de plagio liter. §. 576. ſeq. et MORHOFIVS Polyh. liter. l. 4. c. 1. §. 14. p. 863.

nire poſſunt, qui inuentionem in Virgilio non vident, ea quum in toto illius opere et omnibus partibus maxima et incomparabilis eluceat. C. Caeſar Caligula quoque non erubuit affirmare, Virgilium nullo ingenio, nulla doctrina fuiſſe: et parum abſuit, quo minus ſcripta et imagines eius ex omnibus bibliothecis aboleret. *h)* Atque tum forte etiam Lucretium quam Virgilium legere malebant. *i)* Satis imprudenter. Illa vero propemodum inſania fuit Caroli de Malateſtis, qui ante hos trecentos fere annos ſtatuam Virgilio Mantuae conſtitutam deiici curauit, tanquam quae nihil ad religionem Chriſtianam pertineret. *k)* Tanta vero illius gloria et virtus eſt, vt mea et ſaniorum criticorum omnium ſententia, nullius creſcere laudibus, nullius vituperatione minui poſſit. Et ſtabit ſententia OVIDII: *l)*

Tityrus, et ſegetes, Aeneiaque arma legentur,
Roma triumphati dum caput orbis erit.

Militant etiam pro Virgilio omnium ſeculorum ſuffragia, quorum iudicio potius ſtandum, quam vnius alteriusue hominis inepti ſtridore vel inuidia.

§. XXIV.

Vocum proprietas vbique cura maxima exprimitur: vt optimo iure columen Latinae linguae a SERVIO vocetur. *m)* Nec obſtant quaedam ab eo licentius vſurpata, ex ſenſu ho-

h) Vid. SVETONIVS in vita Caligulae cap. 34. *i)* Auctor dialogi de oratoribus apud TACITVM, cap. 23. *k)* Vid. VOSSIVS de poetis Latinis cap. 2. *l)* Amorum l. 1. eleg. 15. v. 25. *m)* Cecinna vero apud MACROBIVM Saturn. l. 6. c. 4. *Ego*, inquit, *conabor oſtendere hunc ſtudioſiſſimum vatem, et de ſingulis verbis veterum aptiſſime iudicaſſe, et inſeruiſſe lecta operi ſuo verba, quae nobis noua videri facit incuria vetuſtatis,*

ſu hominum vel criticorum nimis, vel maleuolorum, qui virtutem ipſam huius artificis omnium poetarum principis agnoſcere propius et laudare verentur. Ita ſunt, quos verſus primi *tegmen* fagi *n)* pro vmbra et opacitate, vt non ſatis Latinum offendit. *Tegmen* illud contractum ex *tegimen* quod a *tegere* deriuatur, nouimus quidem proprie **eine Decke** ſignificare: quo ſenſu TVLLIVS: *o) mihi*, inquit, *amictui eſt Scythicum tegmen.* Et OVIDIVS: *p)*

-- -- Tegimen derepta leoni
Pellis erat -- --

Nihil tamen impedit, metaphoram inde, vt ex omnibus rebus fere ſolet, deſumi. Enimuero, ſi verbum ipſum *tego* conſideramus, idem eſt quod operio et tuendi cauſſa ſupra pono, a Graeco *ςέγειν*, ſolo obiecto Σ. Hinc *τύγη domuncula*, *tectum.* Quidni vmbra arboris, qua tegimur, et nobis impoſita hinc aduerſus radios ſolis opacitas, vocetur *tegmen.* Ita certe ante Virgilium, *caeli tegmen* dixit LVCRETIVS. *q)* Deinde obiiciunt illi verſum: *r)*

Dic mihi Damoeta, cuium pecus? an Meliboei?

Vbi putant *cuium* pecus, a ruſticis et caprariis quidem, non vero ab vrbanis dici poſſe. *s)* Sed quis neſcit, *cuius*, *a*, *um*, **weſſen**/ antiquum pronomen eſſe, quod ſtudio Virgilius retinere voluit. Ita TERENTIVS: *t) cuium puerum hic appoſuiſti?* Plura exempla OLAVS BORRICHIVS *v)* ex Terentio

n) Eclog. 1. v. 1. *o)* Tuſc. quaeſt. l. 5. c. 32. *p)* Metamorph. l. 3. v. 52. *q)* L. 2. v. 661. vid. etiam CATVLLVS 65. 129. *r)* Eclog. 3. v. 1. *s)* Vid. DONATVS, ſi verus auctor eſt, in vita Virgilii. G. I. VOSSIVS de vitiis ſermonis Latini l. 1. c. 1. CHRIST. DAVMIVS de cauſſis amiſſ. radicum Latinae linguae c. 24. p. 506. REIMANNVS hiſtor. vocab. p. 45. *t)* Andr. A. 4. S. 4. v. 24. *v)* Cogitat. de Lat. lingua p. 77. ſeq.

rentio, Plauto, Cicerone et aliis congeſſit. Aegre ferebant quoque, quod *hortea* in plurali dixerit hoc modo: *x*)

Grandia ſaepè quibus mandauimus hordea ſulcis.

Vbi SERVIVS: *Hordea vſurpatiue, metri cauſſa dixit. Nam triticum, vinum, hordeum, mel, numeri tantum ſingularis ſunt. Vnde plurali in proſa vti non poſſumus. Vina tamen poſſumus dicere Ciceronis exemplo* etc. Recte. *y*) Forſan quia varium eſt vinum, album, nigrum, rubellum, aſperum, auſterum, leue, nouum, vetus, diffuſum. Quidni etiam *hordea* plurali numero dicerem Virgilii exemplo: cum hordei ſint quoque varia genera, *exaticum, diſtichon,* et *trimenſe*. *z*) CHARISIVS *a*) et ex eo DIOMEDES *b*) Virgilium arguunt primum *albere* figuraſſe et pro *albeſcere* vſurpaſſe. *c*) Illis vero DAVMIVS *d*) reſpondit haud immerito, ineptum eſſe, exiſtimare, quod ſoboles ſuo genitore prior ſit. Nec in eo quicquam peccaſſet, etiam ſi de nouo illud finxiſſet poeta linguae vernaculae maxime gnarus et cultor indefeſſus, quem ex poſterioribus ſeculis grammatici male aliquando ſani fruſtra de ſermone patrio Romano accuſant. Locutiones eius *ſaeuis addita Iuno* pro inimica et infeſta, *vomere vndam*, *agmen* pro actu et ductu, *crepitantibus vrere flammis*, *horet ager tremulum lumen*, *vmbracula transmittere* pro tranſire, huiusmodi alias MACROBIVS *e*) dudum ex antiquiorum monumentis vt elegantes comprobauit. Idem *f*) quoque epitheta *mulciber*, *petulcus*, *liqui-*

x) Eclog. 5. v. 36. *y*) Vid. CICERO de amicitia c. 19. vid. etiam HORATIVS 3. ode 6. v. 26. et l. 1. epiſt. 7. v. 28. *z*) Vid. COLVMELLA 2. 9. et ISIDORVS orig. l. 17. c. 3. *a*) Inſtit. gramm. l. 3. *b*) Lib. 1. *c*) Vid. VIRGIL. Aeneid. l. 12. v. 36. *d*) De cauſſis amiſſarum radicum Latin. ling. c. 3. *e*) Saturn. l. 6. c. 4. *f*) l. c. c. 5.

liquidus ignis, *triſtis* pro amaro, *auritus lepus*, *turicremus*, *arcitenens*, *ſiluicolae*, *veliuolum*, *vitiſator*, *noctiuagus*, *bimembres*, *caprigenum*, quae apud Virgilium noua videntur, vetuſtioribus in vſu fuiſſe demonſtrauit. Et quid impedit, quamplurimas voces Graecas fuiſſe ab eo Latina ciuitate donatas, *g*) quam ab aliis quoque dudum accepiſſe, veterum monumenta loquuntur. *Dius* pro diuino et generoſo dicitur, qui Graecis eſt δῖος. Sic VIRGILIVS: *h*)

-- -- *quas ipſa decus ſibi dia Camilla*
Delegit -- --

Ita *dia ſententia i*) *dia otia*, *k*) Idem verbum pro Deo vſurpauit PLAVTVS: *l*)

Per dium fidium quae quaeris iurato mihi:

per quem, quod fiebat ſacramentum, omnium ſanctiſſimum erat. Eo refert MACROBIVS *m*) *ſpelaeum*, quod eſt Graecorum σπήλαιον, pro ſpelunca.

-- -- *inter ſpelaea ferarum*
Malle pati -- -- *n*)

Daedala tecta, *Rhodopeiae arces*, et alia quorum prolixum catalogum proponit. Aliquando etiam declinationes Graecae Latinis immixtae fuerunt, vt *Mneſthea* pro Mneſtheum, *Orphi* pro Orpheo *Diomeden* pro Diomedem etc. *o*) Hae ſunt quidem Virgilii maculae, quibus elegantem operis incomparabilis formam elegantiorem reddere, et venuſtatem, quam habuit luculentam, atris veluti punctis quibusdam apte diſpoſitis, quod faciunt eximia pulchritudine puellae, nouo ſplendore nouaque gratia cumulare potuit.

In

---

g) MACROB. Saturn. l. 5. c. 17. *h*) Aeneid. l. 11. v. 657. *i*) HORAT. l. 1. ſat. 2. v. 32. *k*) LVCRET. l. 5. v. 1386. *l*) Aſin. A. 1. S. 1. v. 8. conf. FESTVS in voce *Medius fidius*. *m*) Saturn. l. 5. c. 17. *n*) VIRG. eclog. 10. v. 52. *o*) Eodem notante MACROBIO l. c.

In arte poetica ſummum omnibus paginis magiſtrum ſeſe probauit: nihil temere, et, quod vitium pluribus et praeter ſenſum inhaeret, nihil abſonum ac ſibi rerumque circumſtantiis contrarium verſibus ſcripſit. *p)* Quam accurate et erudite locorum diſtantium a ſe atque dierum habita ratione profectiones depingit? quod, vel tacentibus nobis, loquitur nauigatio Aeneae, vt eam ſolummodo in medium perferam. Ibi Anchiſes e Delo in Cretam ſoluens cum ſpatium XXIX. milliarium Germanicorum vel circiter, quod medium eſt inter vtramque inſulam, proponere vellet: ita bidui nauigatione id emenſus eſt, vt

Tertia lux claſſem Cretaeis ſiſtat in oris. q)

Nec ſine cauſſa OLAVS BORRICHIVS *r)* iudicat, dictionem eius in magno Aeneidos opere magnificam eſſe, et ſine affectatione cothurnatam, imo ita mirifice expictam digresſionibus, comparationibus, veriſimili euentuum varietate, *vt licet in argumento ficto occupetur, propemodum tamen legentibus fidem exprimat. Accedit, quod res verbis aequet, actiones tardas, grauesque ſpondeo conuenienter imitatus, celeres volubili dactylo, qua parte omnes hactenus Poetas anteiit. s)* Exempla dabimus, vbi de obſeruationibus Latinae linguae et auctorum claſſicorum lectione fuerit nobis dicendi copia. Si duo faciunt poetam perfectum, imagi-

p) Hinc ipſi Homero longe ſuperior iudicio atque prudentia fuiſſe cenſetur. Et ei ſoli ponendas aras putat SCALIGER, qui multus eſt in obſeruandis notandiſque eius virtutibus, quibus omnibus antecellit. Nec ab re dixit Homerum inſtar habere mulieris aulicae, quam nihil non audentem, nihil fere etiam dedeceat: at Virgilium honeſtae matronae, qui nihil ſibi non examinatum admittat. *q)* Aeneid. l. 3. v. 117. *r)* Conſpect. auct. Lat. ling. p. 67. *s)* Confer. VOSSIVS Inſtit. poetic. lib. 3. cap. 7.

imaginationis capacitas atque vis: *t*) vti nonſolum breuiſſimo tempore magnam rerum multitudinem ſine confuſione repraeſentare, et incredibili celeritate in omnes partes verſare, verum etiam, vt in ſe ſunt, quaelibet viuide ob oculos ponere queant: profecto Maronem videmus ex tot partibus imagines ſuas componere, tot in illis circumſtantias exprimere, vt admirari, ſed non dicere, recte poſſimus, qua ratione haec omnia in mentem illi venerint. Neque tam legere, quam intueri multa videmur: vt vix nobis ab affectibus temperare queamus, quos praeſens rerum iſtarum conſpectus mouere ſolet. Tantoque praeſtantior his in rebus poeta noſter eſt quam Ouidius ipſe. Hic imaginationis capacitate quidem excellit: vt nihil abundantius eo facile inueniatur; eiusdem vero vis atque vigor in imaginatione deſideratur: certe, quod ad ſuaue virtutis vtriusque vinculum attinet, cum diuino Maronis ingenio vix comparari poteſt. Confer Ouidii Didonem *v*) cum Virgiliana eiuſdem deſcriptione: *x*) illic dices poetam eleganter quidem loqui; hic Didonem ipſam amoris, metus, deſperationis plenam accuſare fata ſua ſimulatque ſenſa mentis et conſilia explicare. Oratorem ſe perfectum ſiſtit in omnibus libris, in epico praeſertim illo incomparabili opere. Nemo artificioſius orditur, nemo narrat breuius, nemo denſius et argutius argumentatur, nemo refutat grauius, aut magis commode orationem concludit. In petitionibus, vbi breuitas requiritur, nihil conciſius eſſe poteſt; in ſuaſoriis nihil ponderoſius; in expoſtulationibus nihil ſeuerius; in conſolationibus nihil quod dolorem aptius

 celeri-

t) Vid. Werenfelsii diſſert. de meteoris orationis, opuſc. pag. 597. *v*) Heroid. epiſt. 7. *x*) Aeneid. lib. 4.

celeriusue abſtergere poſſet. In affectibus excitandis, in amplificationibus, in variis ſimilitudinum modis, in translationibus plane incomparabilis; in figuris creber, *y*) in exornationibus denſus atque rectus eſt. Modo inſurgit hyberbolis, modo concludit epiphonematibus, modo exaggerationibus lectorem vndique agit, modo apoſiopeſibus incendit. Ita copioſus eſt, vt nihil redundet; ita breuis, vbi res poſtulat, vt neque cruda neque hiulca oratio proueniat. Ipſum, quod ſibi ſumſit, poematis argumentum fabulis, hiſtoriis, alluſionibus, deſcriptionibus rerum, locorum, temporum, perſonarum, ad delectandum partim, partim ad amplificandum exornandumque, tum eruditione multifaria mirum in modum illuſtratur. Eum ergo prorſus nihil ſapiat oportet in artis poeticae omni genere, cui Virgilius non ſapit: quem praeter poeticae facultatis laudem, ad quam adſpirare nemini licet, in ſingulis doctrinae z) et eruditionis ſpeciebus excelluiſſe, SEBAST. MACCIVS peculiari libro, et eo ſatis amplo demonſtrat. *a*) Nec immerito elegantiſſ. RAPINVS *b*) Virgilium noſtrum atque Homerum lingua vernacula ſua vocat *les deux Souuerains de toutes les ſciences: ſans compter le ſuffrage de deux des plus ſçauans et des plus iudicieux Princes qui ayent iamais eſté.* Character in ſcriptis Virgilii triplex, humilis ſiue tenuis in paſtoralibus eclogis, medius in georgicis, grandiloquus et ſublimis in libris Aeneidos exprimitur. Omnia vero

y) Vid. MACROBIVS Saturn. l. 6. c. 6. *z*) Hinc *nullius diſciplinae expers* dicitur MACROBIO in ſomn. Scip. l. 1. c. 6. p. m. 37. confer. eiuſd. Saturn. l. 1. c. 24. *a*) De quo vid. ERYTHRAEVS Pinac. 1. imag. 152. et MORHOFIVS Polyhiſt. lit. l. 4. c. 11. §. 14. p. 863. *b*) Tractatu quem inſcripſit *la comparaiſon d' Homere et de Virgile.* cap. 1.

vero tam eximia atque illuſtria ſunt: vt quae ſeparatim in diuerſis praeclara, apud Maronem vniuerſa pulcherrimo nexu inueniri, eandemque in ligata, quam in proſa oratione hauriunt ex Tullio, eruditionem ad veram eloquentiam obtineri poſſe videatur. *c*) Nam ſimilis modo eſt torrentibus hibernis ſermo plenus, et ripas excurrentibus alueis fluit: modo ſiccus et circumciſus, modo tenuis ac breuis. Rurſus, cum videtur, luculentus floridusque laſciuit et luxuriatur. Stilus nunc maturus et grauis, nunc remiſſior: rurſum erectus, ardens et concitatus: vt decem rhetores, qui vna tempeſtate claruerunt Athenis in diuerſo dicendi genere, communem in vno Marone ſedem habuiſſe, propemodum luce meridiana clarius appareat.

§. XXV.

Poſt renatas demum bonas artes Virgilius, in monachorum carceribus diu multumque tineis ac puluere obſeſſus, proficua doctorum cura liberatur, ſuoque ab interitu vindicatur, ſeculo reparatae ſalutis humanae decimo quinto. In lucem vero publicam miſſus eſt primum *Venetiis* 1475. et 1482. fol. cum Mauri Seruii Honorati, veteris grammatici commentariis. Rurſum 1492. fol. 1495. fol. per Bartolom. de Zanis de Porteſio, cum Seruii, Landini, Ant. Mancinelli, Donati et Domitii commentariis. In hac editione, quam ego inter libros rariores conſeruo, ſimul omnia Virgilii catalecta comparent: Laudatur ab celeb. Fabricio et alia, quae prodierit 1497. fol. *Pariſiis* 1478. 4. *Norimbergae* 1492. fol.

§. XXVI.

Seculo ſequenti vulgatus eſt *Venetiis* 1501. 1505. 1514. 1527.

c) Vid. Macrobivs Saturn. l. 5. c. 1.

1527. in 8. apud Aldum. 1507. et 1520. in 4. cum Tib. Donati, Chriſtoph. Landini, Domitii Calderini, Mancinelli, Auguſtini Dathi aliorumque notis. 1534. 8. apud Alex. Vellutellum cum Probi et Seruii commentariis. 1552. fol. 1558. in 8. apud Paul. Manut. 1562. et 1574. fol. cum notis Seruii et variorum. 1580 8. apud Aldum, Pauli Manutii filium, cum ſcholiis Ioh. a Meyen. 1585. 6. cum notis Pauli Manutii. *Pariſiis* 1507. et 1515. fol. apud Badium Aſcenſium. 1532. fol. apud Robert. Stephanum, cum Seruii commentariis additisque Ioh. Pierii Valeriani caſtigationibus atque notis. 1534. 12. cum annotat. Philippi Melanchthonis. 1539. in 4. 1540. in 8. et 1549. forma minori apud Robert. Stephanum. 1541. 4. cum Seruii comment. 1583. et 1599. in 8. apud Henr. et Paul. Stephanos. *Lugduni* 1517. fol. 1537. 8 cum ſcholiis Philippi Melanchthonis. 1542. 8. apud Sebaſt. Gryphium, ex Antonii Goueani caſtigatione. *Antuerpiae* 1561. 8. ex emendatione Theodori Pulmanni. 1566 et 1580 8 apud Plantin 1575. fol. opera Germani Valentis Guellii. *Lugduni Batau.* 1596. 8. apud Raphelengium. *Baſil.* 1534. 4. apud Ioh. Walderum ex recenſione Ioh. Bapt. Egnatii Veneti, cum Seruii commentariis. 1551. fol. cum Seruii et Tiberii Claudii Donati commentariis, ex recenſione Georgii Fabricii, additis Ioh. Hartungi in Aeneidem annotationibus. 1561. 1575. 1586. fol. cum comment. Seruii Donati, Probi, Pompon. Sabini, Phil. Beroaldi. Ioh. Hartungi, Iodoci Willichii, G. Fabricii, Bonfinii, Ioh. Lud. Viuis, Coelii Rhodigini, Adriani Barlandi, Scoppae, Conſtantii, Campani, Crucii et aliorum. 1559. fol. cum prolixo Lamberti Hortenſii Montfortii commentario. *Argentorati* 1502. fol. *Francofurti* 1583. 8. cum Nic. Erythraei ſcholiis. *Lipſiae* 1581.

1581. et 1596. 8. cum notis Georgii Berſmanni. 1591 8. e caſtigatione G. Fabricii. *Serueſtae* 1586. 8. cum notis Georgii Berſmanni.

§. XXVII.

Seculo ſequenti decimo ſeptimo Virgilius prodiit *Pariſiis* 1600. fol. cum Seruii et aliorum commentariis, cura Petri Danielis, quae editio prioribus merito praefertur, et viris elegantiorum literarum amantiſſimis in pretio eſt, quod Seruius in ea multo plenior et accuratior habetur. 1641. fol. maioribus typis editio regia. 1675. et 1692 4. curante Carolo Rueo, in vſum Delphini. *Salmurii* 1675. 12. cum annot. Tanaq. Fabri. *Londini* 1634. 8. cum notis Thomae Farnabii. 1686. et 1695. 8. curante Carolo Rueo. *Amſtelodami* 1642. 12. cum notis Farnabii. 1646. 4. cum comment. Seruii et variorum, accurante Cornelio Schreuelio. 1652. 12. ex recenſione Danielis Heinſii. 1664. 1671. et 1676. 12. editiones Nicol. Heinſii. 1680. 8. 3. volum. cum notis integris Seruii et variorum, ex editione Nicol. Heinſii. 1690. 4 curante Carolo Rueo. *Lugduni Batauorum* 1636. 12. apud Elzeuirium, ex recenſione Danielis Heinſii. 1652. et 1666. 8. cum notis integris Farnabii et variorum, ſtudio Cornel. Schreuelii, ex officina Hackiana: quae quidem editiones cum priori in 4. edita comparari non poſſunt. 1680. 8. 3. volum. cum Seruii et Donati integris et variorum ſelectis notis, et indice Erythraei, curante Iac. Emmeneſſio. *Roterodami* 1674. et 1697. 12. cum notis Ioh. Minellii. *Geneuae* 1610. et 1636. 4 cum Seruii et aliorum commentariis. *Baſileae* 1613. fol. cum commentariis Seruii, Donati, Probi, Pompon. Sabini, Philip. Beroaldi, Ioh. Hartungi, Iodoci Willichii, Georg. Fabricii, Bonfinii, Ioh.

Lud. Viuis, Coelii Rhodigini, Adr. Barlandi, Scoppae, Conſtantii, Campani, Crucii et aliorum: curante Ludouico Lucio. *Vlmae* 1698. 8. cum notis poſtumis Ioh. Henr. Boecleri. *Heidelbergae* 1603. 8. editio Comeliniana. *Francofurti* 1613. 8. cum Nic. Erythraei ſcholiis. 1618. 4. cum inſigni Frid. Taubmanni commentario. 1659. et 1664. 8. cum ſcholiis Iohannis a Meyen. *Coloniae* 1628. et 1647. fol. 3. vol. cum argumentis, paraphraſi et comment. Ioh. Ludou. de la Cerda e Societ. Ieſu. *Lipſiae* 1616. 8. cum notis Georgii Bersmanni.

§. XXVIII.

Noſtro, quo viuimus, ſeculo poſt Chriſtum natum decimo octauo maximus poetarum veſte noua indutus prodiit *Venetiis* 1713. 4. cum interpretatione et notis Caroli Ruei in vſum Delphini. *Pariſiis* 1714. 12. ſine annotationibus. 1715. 12. 4. volum. cum notis et indice P. Ruei. 1723. 4 in vſum Delphini editio nouiſſima auctior et emendatior Ruei, cui acceſſit index accuratiſſimus. *Londini* 1707. 8. *Cantabrigiae* 1701. 4. opera Henrici Laugtoni. *Amſtelodami* 1708. et 1712. 12. cum notis Farnabii. 1717. et 1724. 12. accurante Nic. Heinſio. *Vltraiecti* 1704. 12. accur. Nicol. Heinſio. *Leowardiae* 1717. 4. 2. volum. cum integris commentariis Seruii, Philargurii, Pierii, et notis variorum, Pancratius Maſuicus recenſuit et ipſe cum figuris annotationes ſuas adiecit. *Hagae Comitis* 1723. 8. cum interpretatione et notis Caroli Ruei, in vſum Delphini. *Lipſiae* 1700. 8. cum notis Minellii. 1702. 12. cum notis Farnabii. 1703. 8. cum notis Chriſtiani Iunckeri. 1703. et 1712. 12. cum notis ad modum Minellii. *Herbornae* 1700. 8. cum notis Ioh. Minellii.

§. XXIX.

Digitized by Google

§. XXIX.

QVINTVS HORATIVS FLACCVS *Venuſinus*, poeta lyricus, in eoque genere Latinorum facile Princeps, *d*) patre libertino, in tenui re, *e*) natus eſt in Apulia VI. Idus Decembris anno ab vrbe condita DCLXXXIX. L. Aurelio Cotta et L Manlio Torquato Coſs. *f*) A patre Romam in ludum literarium miſſus parciſſimis impenſis vixit ac eruditus eſt, parentumque anguſtias ingenii felicitate ſuperauit. Inde profectus Athenas philoſophiae operam dedit: *g*) quamuis non conueniant auctores, cuius ſectae partes potiſſimum ſecutus ſit: quum alii eum Academicum, alii Epicureum euaſiſſe aſſerant. Alii vero neutrum fuiſſe, et ſi quid ſentio, recte docent. Merus certe Academicus non fuit. Stoicos aliquando ſectatur, *h*) aliquando Epicureos, quum dixit: *Deos ſecurum agere aeuum*: *i*) et, teſte SVETONIO, *k*) fuit admodum rebus venereis voluptatibusque deditus:

d) Ipſe de ſe carmin. l. 1. od. 1. fin. ad Maecenatem:

Quod ſi me lyricis vatibus inſeres,
Sublimi feriam ſidera vertice.

confer. l. 3. ode. 30. l. 4. od. 3. 9. *e*) Serm. l. 1. ſatyr. *6.* v. *6. 45.* paſſim. *f*) Vid. Horatii vita, vt aiunt, per SVETONIVM TRANQVILLVM conſcripta. IOH. FVNCCIVS chronol. fol. 88. D. et IOH. MASSON, Vir clariſſimus, qui de vita Horatii prolixe et erudite commentatus eſt. *g*) HORAT. l. 2. epiſt. 2. *h*) Vt carm. l. 2. ode 3. ſerm. l. 2. ſatyr. 3. lib. 1. epiſt. 16. Stoicos reprehendit l. 1. ſatyr. 3. *i*) Sic tanquam Epicureus Sextium ad voluptuoſam vitam hortatur carm. l. 1. ode 4. Plancum ad diluendas vino curas ode 7. Aliis voluptatem commendat ode 9. 11. 23. 37. l. 2. od. 11. l. 4. od. 7. 10. Et l. 1. epiſt. 4. ad Alb. Tibullum ipſe de ſe ſcribit:

Me pinguem et nitidum, bene curata cute, viſes,
Quum ridere voles Epicuri de grege porcum.

k) In vita Horatii. confer. COEL. RHODIGINVS antiq. lect. l. 14.

Digitized by Google

ditus: adeo et ſpeculato cubiculo ſcorta habuit diſpoſita, vt quocunque reſpexiſſet, ſibi coitus imago referretur. Cui diſſoluto vitae generi laſciua eius carmina reſpondent. *l*) Sed tamen eum purum putum Epicureum non fuiſſe, pſalmus eius poenitentialis demonſtrat, quo doctrinam Epicureorum conceptis verbis damnat, ac dolet, quod illos ſecutus, parum ſtudioſe Deos coluerit. *m*)

Parcus, inquit, *Deorum cultor et infrequens*,
Inſanientis dum ſapientiae
Conſultus erro, nunc retrorſum
Vela dare, atque iterare curſus
Cogor relictos. -- - --

Quare illi potius audiendi ſunt, qui poetam noſtrum fuiſſe eclecticum tradidere: id quod nullus dubitauit ipſe de ſe profiteri: *n*)

Ac ne forte roges, quo me duce, quo lare tuter:
Nullius addictus iurare in verba magiſtri,
Quo me cunque rapit tempeſtas, deferor hoſpes.

Ciuili bello Philippenſi excitus a Marco Bruto Imperatore, quem adoleſcens coluit, tribunus militum *o*) ſtipendia meruit. Poſtea ob ingenii maximam feſtiuitatem Maecenati *p*) primum,

l) Ita de ſemetipſo carm. l. 1. od. 6.
Nos conuiuia, nos proelia virginum,
Sectis in iuuenes vnguibus acrium,
Cantamus vacui, ſiue quid vrimur,
Non praeter ſolitum leues.
confer eiuſd l. 2. od. 12. *m*) Carmin. lib. 1. od. 34. confer. l. 2. od. 16. l. 3. od. 4. Serm. l. 2. ſat. 4. *n*) Lib. 1. epiſt. 1. *o*) Vid. Sermon. l. 1. ſatyr. 7. et ſatyr. 6.
Quod mihi pareret legio Romana tribuno etc.
p) Eum propterea celebrat Carm. l. 1. od. 1. l. 2. od. 17. l. 3. od. 8. 16. l. 4. od. 11. Epod. 1. 9. 14. Serm. l. 1. ſatyr. 6. 9. l. 1. epiſt. 1. 7. 19.

primum, deinde ipſi Auguſto Imperatori *q)* valde carus, amicitiae vel gratiae, quam vterque non mediocrem habuit, vberrimos fructus ſentit. Ac Maecenas quidem in epigrammate quodam ad eum ſcripto confeſſus eſt: *r)*

Ni te viſceribus meis, Horati,
Plus iam diligo, Titum ſodalem
Mimo me videas ſtrigoſiorem.

Atque etiam Caeſari Auguſto eum de meliore nota commendauit continuo. Quam commendationem non vulgarem fuiſſe, demonſtrauit euentus, quum Caeſar Auguſtus illi officium ſatis ſplendidum offerret. Voluit enim vt poeta tandem a paraſitica ad regiam menſam veniret, atque ſe in epiſtolis ſcribendis adiuuaret. Quod tamen ipſe renuit, ac Caeſaris Auguſti, quanta clementia et comitas! coniunctam cum ſumma beneficentia amicitiam conſeruauit, qui reſcripſit poetae: *s) ſume tibi aliquid iuris apud me, tanquam ſi conuictor mihi fueris. Recte enim, et non temere feceris: quoniam id vſus mihi tecum eſſe voluit, ſi per valetudinem tuam fieri poſſit.* Rurſum: *Tui qualem habeo memoriam, poteris ex Septimio quoque noſtro audire. Nam incidit, vt coram illo fieret a me tui mentio. Neque enim ſi tu ſuperbus amicitiam noſtram ſpreuiſti, ideo nos quoque* ἀνθυπέρη φανῦμεν. Inter ioco vero plerumque poetam ſuum lepidiſſimum homuncionem appellare ſolitus eſt. Ac ne verba illi dare, vel ſine liberalitate blandus eſſe videretur: multis eum cumulauit bonis, et ita locupletauit:

q) Quem laudat carm. l. 1. od. 2. 12. l. 3. od. 5. l. 3. od. 14. 25. l. 4. od. 4. 5. 14. 15. epod. 9. ſerm. l. 2. ſatyr. 1. lib. 2. epiſt. 1. *r)* Apud SVETONIVM in vita Horatii. confer. ANDR. SCHOTTVS obſeru. humanarum lib. 2. cap. 60. *s)* SVETON. l. c.

tauit: vti ſorte ſua contentus, *t*) otio gaudere, et plurimum in ſeceſſu *v*) ruris ſui Sabini *x*) aut Tiburtini *y*) ſecure viuere, ſuoque genio indulgere potuerit. Fuit autem corporis habitu breuis et obeſus. Quamobrem Auguſtus epiſtola cum illo iocatur: *z*) *Pertulit ad me Dionyſius libellum tuum, quem ego, ne accuſem breuitatem, quantuluscunque eſt, boni conſulo. Vereri autem mihi videris, ne maiores tui libelli ſint, quam ipſe es: ſed ſi tibi ſtatura deeſt, corpuſculum non deeſt. Itaque licebit in ſextariolo ſcribas, quum circuitus voluminis tui ὀγκωδέςατ☉, ſicut eſt ventriculi tui.* Natus annos quinquaginta quinque *a*) diem obiit ſupremum, eodem quo Maecenas anno, ab V. C. DCCXLVI. C. Marcio Cenſorino et C. Aſinio Gallo Coss. V. Kal Decembris. Ipſe vi valetudinis ad obſignandas teſtamenti tabulas ineptus, Auguſtum palam heredem nuncupauit. Extremis Exquiliis ſepultus eſt iuxta Maecenatis tumulum. Quoad vixit cumprimis familiariter vſus eſt Virgi-

t) Vid. carm. l. 2. od. 18. l. 3. od. 1. 16. ſerm. l. 1. ſatyr. 1. 6. l. 2. ſatyr. 2. 6. lib. 1. epiſt. 7. *v*) Ille enim amore captus erat vitae ruſticae, quam laudat epod. 2. ſerm. l. 2. ſatyr. 6. lib. 1. epiſt. 10. 14. *x*) Lucretilis mons eſt in Sabinis, in cuius valle villam Horatius habuit amoeniſſimam, quam commendat carm. l. 1. ode 17. et in ea fontem Blanduſiae l. 3. ode 13. lib. 1. epiſt. 16. *y*) Vid. carm. l. 2. ode 6. Eo inuitat Maecenatem l. 3. od. 29. *z*) Apud SVETON. in vita Horat. *a*) Poſt nonum et quinquageſimum annum deceſſiſſe, SVETON. l. c. ſcribit: quocum faſti conſulares non conueniunt. Errat quoque cum aliis I. FVNCCIVS chronol. fol. 90. B. vbi mortem Horatii ad annum V. C. DCCXLIV. notat: vt minor eſſet natu duobus annis. Quid, quod HIERONYMVS ipſe in chronico anno 3. olymp. 192. quinquageſimo aetatis anno Horatium Romae mortuum eſſe memoriae prodiderit. De Maecenatis et Horatii obitu vide plura huius diſſert. cap. 2. §. 20. extr.

Digitized by Google

Virgilio poeta, *b*) C Aſinio Pollione, *c*) C. Salluſtio Criſpo, *d*) Albio Tibullo, *e*) et Ouidio, *f*) de quibus omnibus ſigillatim in hac diſſertatione agendum eſſe putaui.

§. XXX.

Reliquit odarum ſeu carminum libros quatuor lyrico genere: eodemque epodon librum ſingularem, et carmen ſeculare pro imperii Romani incolumitate, quod caneretur ſecularibus ludis, qui centeſimo quoquo anno fieri ſolebant. Huius generis eſt quoque ode 6. libri 4. Carmine heroico ſermonum ſiue ſatyrarum conſcripſit duos, totidemque epiſtolarum libros: tum de arte poetica commentariolum elegantiſſimum. Fateor et ſcio IVL. CAESAREM SCALIGERVM *g*) iudicem huius et vniuerſae literaturae optimum ſentire aliter, vbi de Horatio: *artem cum inſcripſit, adeo ſine vlla docet arte, vt ſatyrae propius totum opus illud eſſe videatur.* Sed fallitur, etiam monente Voſsio, *h*) cum ab Horatio eſſe inſcriptionem eam arbitratur. Nam vera inſcriptio eſt, *epiſtola ad Piſones.* Non magis vero poeta illud *de arte poetica* addidit, quam epiſtolae ad Auguſtum, *de veteribus et nouis poetis*; aut illi ad Numicium, *de finibus bonorum:* eadem ratio eſt aliarum, quarum nulli Horatius argumentum appoſuit: quod demum poſt ea ſecula facile potuerunt alii praefixiſſe.

§. XXXI.

Recte MANVTIVS *i*) ſentit, cum neminem fore, ad Siluium ſcribit, qui, modo aliquid de poetis iudicare poſ-

 ſit,

b) Cui Athenas proficiſcenti incolumitatem precatur carm. lib. 1. ode 3. ad ſe inuitat eum l. 4. ode 12. vid. etiam l. 1. ſatyr. 5. et 6. *c*) Carm. l. 2. od. 1. *d*) Carm. l. 2. od. 2. *e*) Lib. 1. epiſt. 4. carm. l. 1. od. 33. *f*) Vid. OVIDIVS triſt. l. 4. eleg. 10. *g*) Praefat. in libros de re poetica. *h*) De poetis Latinis cap. 2. *i*) Lib. 6. epiſt. 7.

ſit, vni inter Latinos omnes Horatio, vel acumine ingenii, vel ſententiarum grauitate, palmam non tribuat. Ipſe Auguſtus Imperator ſcripta Horatii vsque adeo probauit, et perpetuo manſura credidit: vt nonſolum carmen ſeculare componendum illi iniunxerit; ſed et Vindelicam Tiberii Druſique priuignorum ſuorum victoriam ab illo deſcribi voluerit: eumque coegerit, tribus carminum libris ex longo interuallo ſubiungere quartum. Quum legeret ſermones illius, nullam ſui mentionem factam conqueritur, *iratum*, inquiens, *me tibi ſcito, quod non in pleriſque eiusmodi ſcriptis mecum potiſſimum loquaris. An vereris, ne apud poſteros tibi infame ſit, quod videaris familiaris nobis eſſe? k)* FABIVS QVINTILIANVS *l)* teſtatur eum multu terſiorem et magis purum Lucilio fuiſſe. At *lyricorum*, ibidem pergit, *fere ſolus dignus legi: nam inſurgit aliquando, et plenus eſt iucunditatis et variis figuris et verbis feliciſſime audax.* Verbis eum feliciſſime audacem fuiſſe, vel vnico loco docere perplacet: vbi *Troas maleferiatos* dicit, *et laetam Priami choreis aulam. m)* Primus finxit *maleferiati* vocabulum. *n)* *Feriatus* a *feriari*, quod ceſſare et otioſum eſſe ſignificat, vulgo innotuit, ceu aliquod ſynonimum otioſi et feſti: ſed *homo maleferiatus* ſic fuerit ille, qui ignauo otio totus deditus, ein Faulentzer / der die Zeit übel anlegt. *o)*

§. XXXII.

k) Vid. SVETONIVS in vita Horatii. *l)* Inſtir. orat. l. 10. c. 1. *m)* Carm. l. 4. od. 6. v. 14. *n)* Vid. PETRVS VICTORIVS var. lect. 1. 29. BARTHIVS ad Stat. Silu. p. 145. THOMAS REINESIVS variar. lection. l. 1. c. 4. qui *maleferiatos* recte et ſcite interpretatur. conf. REIMMANNVS hiſtor. vocab. p. 43. *o)* Vid. etiam A. GELLIVS noct. Attic. l. 10. c. 22.

Digitized by Google

§. XXXII.

Contemtores ſuos Horatius pari modo inuenit, ac Virgilius et Homerus ipſe. Nec defuerunt ſuo tempore *p*) et poſt obitum eius Fabii aut Taciti aetate, qui Lucilium quam Horatium legere malebant. *q*) ISAACVS CASAVBONVS, *r*) ſed quantus artium politiorum aeſtimator, *Horatius*, inquit, *libertinae proſapiae homo, et patre coactore natus, etſi magno parentis ſtudio eductus, nihil ſpirat heic altum, ſed vbique circa vulgatiſſima morum praecepta occupatur: quodque longe grauius eſt, et fatetur ipſe de ſe, parum ſibi conſtat, nec fidelem virtutis magiſtrum agit. Paſſim enim in aliena tranſit caſtra, non tanquam explorator, ſed tanquam transfuga. Saepe Stoicum dicas: ſaepe Epicureum, aut Ariſtippeum: ſaepe vero de Anyti et Meliti aut Ariſtophanis gente prognatum: adeo frequenter et acerbe Stoicos, penes quos ſolos illa aetate ſapientiae magiſterium fuit, ſugillat et irridet. Neque dubitandum eſt, qualem videmus in ipſius ſcriptis, talem fuiſſe in vita quoque inconſtantiam. Scripſit enim ſicuti vixit.* Quaſi pictoribus atque poetis quidlibet audendi non fuerit ſemper aequa poteſtas. Eius vero ſcripta an adeo ſterilia ſint, aliis, ſed aequioribus iudicibus, iudicandum relinquo. Mihi egregia ſunt eius opera, et ipſe neſcio quanti aeſtimanda. OLAVS BORRICHIVS *s*) *dictio eius*, inquit, *caſte Latina, ipſe minime caſtus. In lyrico a nemine Latinorum vincitur. Heroica Flacci, vt ſapientiae monitis abundant, ita numeris et rotunditate amabili plerumque deſtituuntur.* Atque etiam IVL. CAESAR SCALIGER non ſolum de poetica illius

 arte

p) Qua occaſione ſcripſit ſatyram 4. et 10. lib. 1. et epiſtolam 1. lib. 2. *q*) Vid. Auctor dialogi de oratoribus apud TACITVM cap. 23. *r*) In Perſium prolegom. *s*) De poetis pag. 49. 50.

Digitized by Google

arte ſentit abiectius, totum opus ſatyrae propius, quam arti accedere; verum etiam in Hypercritico indignis modis paſſim inuehitur in Venuſinum poetam noſtrum lepidiſſimum et omni laude maiorem. Quamobrem bonus ille Scaliger, cetero vir ſubtiliſſimus et eruditiſſimus, ab aliis haud immerito caſtigatus eſt. *t*) Borrichius vero, neſcio an ſibimet ipſi non contradicat, poetae noſtro genuinam vindicans facilitatem, eamque coloribus rhetorum pulcherrime diſtinctam. Quum CELLARIVS *v*) quaſdam Horatii odas, quod laſciuiores ſint, tranſeundas eſſe conſulto ſcribit, ipſos etiam libros eius epicos, quod non ita ſuaues ſint metro, praetermittendos eſſe putat: eumque ceu fidus auditor ſequens celeberr. WALCHIVS *x*) Horatii lectionem ſcholarum vſui non commendat: tenerrimis ingeniis, et morum caſtitati, quam in paedagogiis ſartam tectam eſſe oportet, conſulere voluerunt; non eloquentiae candidatis et viris longa diſciplina politis. Ego certe tantos viros de poeta noſtro, quem in oculis ferunt ipſae Muſae, paulo clementius iudicare perſuaſus ſum: neque ludi magiſtris docendi praecepta communicando, Horatianis elegantiis detrahere quicquam voluiſſe.

§. XXXIII.

Vt Virgilius Homeri, ita Q. Horatius Flaccus noſter, lyri-

t) BERNARDINVS PARTHENIVS luculentus Horatii defenſor et commentator, aduerſus Scaligerum, omnia illa loca, quae atrocius accuſauerat, tam ſolide et eleganter vindicauit, vt nihil aduerſus illum hiſcere quemquam poſſe credatur. Prodiit ille commentarius Venetiis 1584. in 4. omnium rariſſimus, teſte MORHOFIO Polyh. lit. l. 4. c. 11. §. 15. Scaligero etiam reſpondetur a WALLIO in poemat. p. 224. et VOSSIO de poetis Latinis p. 29. *v*) Diſſert. Academ. pag. 690. *x*) Hiſt. critic. L. L. c. 9. §. 4. p. 417. confer. c. 1. §. 7. n. 41.

Digitized by Google

lyricorum princeps: Pindari aſſiduus imitator fuit:*y*) tantumque Muſis et Apolline fauentibus praeſtitit, vt eius odae Graecis longe mereantur praeferri; atque etiam alia eius ſcripta, quae ſermones ſatyricos, epiſtolas, et incomparabilem de arte poetica commentationem continent, vt ſermonis ſelecta puritate, ſic ſuauitate incomparabili, venerum inimitabili, ſed amica, varietate et copula, omni non ſolum cenſura, ſed etiam omni, quam cumulatim quique criticorum principes ſparſerunt, laude maiora eſſe videantur. Ego nihil certius eſſe putem aut verius MORHOFII *z*) iudicio, qui de excerptis ornatae orationis multa praeclara ſcriptitans, *Horatio*, inquit, *nihil hoc in genere praeſtantius eſt, qui vt omnes vitae rationes in ſatyris ſuis complexus eſt, ita floſculos ſuppeditat, quibus mirum in modum ornare ſermonem noſtrum poſſumus. Ego certe ſatyras eius omnes memoriae mandari velim, tum in vita ipſa, tum in ſermone vſui futuras. Elegantiſſima omnia ſunt, dictio nitida, et, ſi numeros tollas, ſermoni ſoluto apta. Vrbanitas in eo mira, ſales candidi, ex abdito erutae ſententiae, argutiae non coactae, merae Charites, omni occaſioni aptae. Summum in illo viro ingenium fuit, nec immerito Auguſto et Maecenati in deliciis, cuius genium ſatyricum nemo ex antiquis, nemo e recentioribus vlla imitatione aſſecutus eſt.* Cui ſententiae ſuae et aliam ſubiungit Caſelii viri politiſſimi,

y) Vid. FRANC. BLONDELLI elegantiſſima comparatio Horatii cum Pindaro: qui liber Gallico ſermone conſcriptus ſub titulo, *comparaiſon de Pindare et d' Horace, dediée a Monſeigneur le premier Preſident; par Monſieur Blondel,* prodiit cum operibus eiusdem argumenti (les comparaiſons des grands hommes de l'antiquité) du Mons. Rapin. Amſtelod. 1686. 8. poſt primam editionem Pariſienſem 1673. 12. *z*) Polyhiſt. liter. l. 3. c. 6. §. 30.

mi, qua demonſtratur, poetam noſtrum politices ſtudioſis vtiliſſimum eſſe, et ſcripta eius digna, quae memori animo teneantur.

§. XXXIV.

Prodiit Horatius primum *Mediolani* 1476. fol. *Venetiis* 1478. fol. 1483. fol. cum Chriſtophori Landini interpretationibus apud Ioh. de Forliuio et ſocios. 1490. fol. cum comment. Iohannis Arriabeni. 1494. fol. cum Heleni Acronis et Pomponii Porphyrionis *a)* veterum interpretum commentariis. 1498. fol. cum quatuor commentariis vetuſtiſſimis. *Pariſiis* 1498. prodiere Horatii odae cum argumentis et tabula legum carminis in 4to. *Argentor.* 1498. fol. cum ſcholiis, gloſſa interlineari et figuris, ex editione Iacobi Locheri.

§. XXXV.

Seculo ſequente prodiit *Venetiis* 1501. 1509. 1519. 1527. et 1559. 8. apud Aldum. 1555. 1561. 1564. et 1570. 8. apud Aldum iuniorem, cum M. Ant. Mureti commentario. 1566. 4. apud Paulum Manutium, cum eximiis Dionyſii Lambini commentariis. *Pariſiis* 1506. 4. cum annotationibus Badii Aſcenſii. 1519. fol. cum Acronis, Porphyrionis, Mancinelli et Iodoci Badii Aſcenſii commentariis. 1544. et 1588. 8. apud Stephanum. 1568. et 1579. fol. cum Dionyſii Lambini commentario. 1582. 8. Petri Gualterii Chabotii Pictonis Sanlupenſis. *Lugduni* 1535. 1542. 1559. 1567. 8. apud Gryph. 1561. 4. cum Dionyſii Lambini commentario. *Antverpiae* 1566. forma minori, apud Plantinum, ex Theodori Pulmanni.

a) Reinesivs defenſ. var. lect. p. 107. indicat, iſtos commentarios auctorum nomina mentiri, et cucullatam barbariem inepte tam praecellentibus ſcriptoribus Acroni et Porphyrioni nuncupari.

manni caſtigatione. 1577. et 1580. cum Pulmanni et Manutii notis 1578. 4. apud Plantinum, cum veterum ſcholiaſtarum Acronis et Porphyrionis, item Iani Douſae patris commentario, et ſuas animaduerſiones Iacobus Cruquius coniunctim edidit. *b*) *Baſileae* 1527. 8. cum Acronis comment. 1545. 8. cum Helenii Acronis et Porphyrionis commentario. 1555. folio, cum Acronis, Porph C. Aemilii, Iunii Modeſti et Terentii Scauri annotationibus ex editione Georg. Fabricii. 1580. fol. cum notis XL. veterum et recentiorum auctorum. 1591. Petrus Gualtherus Chabotius vaſtos in Horatium commentarios conſarcinauit, grammaticos, logicos, rhetoricos, plusquam paedagogica diligentia. *Friburgi* 1533. 8. cum notis Henrici Glareani. 1540. 8. cum Nicol. Perotti libello de metris odarum. *Heidelbergae* 1575. 8. cum notis Guil. Xylandri. *Francofurti* 1577. fol. apud Wechel. cum Lambini commentario. *c*) 1596. 4. apud Wechel. cum Lambini comment. *Lipſiae* 1563. 1578. et 1588. 8. ex editione G. Fabricii.

§. XXXVI.

Porro impreſſus eſt poeta noſter *Pariſiis* 1605. fol. cum Dionyſii Lambini, Adr. Turnebi, et Theod. Marcilii notis. 1613. 12. apud Rob. Stephanum Iuniorem cum notis Iani Rutgerſii. 1642. fol. typis luculentis e typographia regia. 1691. 4. opera Ludouici Deſprezii in vſum Delphini. 1696. 8. caſtigatus et interpretatione Ioſephi Iuuentii illuſtratus. *Salmurii* 1671. 12. cum caſtigationibus Tanaq. Fabri. *Toloſae* 1683. 8. cum paraphraſi et notis Petri Ro-

Ii delli

b) Cruquianos commentarios parui pendunt TANAQ. FABER P. I. et 2. epiſt. 2. et 54. et BARTHIVS aduerſ. l. 42. c. 22. *c*) De plagio Lambini, quod in explicando Horatio commiſit, vid. IACOB. THOMASIVS diſſert. de plagio literario §. 448. p. 200.

delli e Societ. Ieſ. in vſum Delphini. *Londini* 694. 8. ex editione Ludouici Deſprezii. *Cantabrigiae* 1699. 4 typis maioribus academicis. *Antuerpiae* 1608. 4. apud Balth. Moretum, cum erudito Laeuini Torrentii commentario et Petri Nannii in artem poeticam animaduerſionibus. 1611. 4. apud Plantinum cum veterum, Iacobi Cruquii Meſſenii et Iani Douſae patris comment. *Amſtelodami* 1619. apud Ianſonium cum notis Iani Rutgerſii 1630. 1636 1643. 1650. 12. cum notis Iohannis Bondii. 1676. forma minori e recenſione Dan. Heinſii 1690. 12. e recenſ. Dan. Heinſii. 1695. 8. ad editionem Londinenſem 1694. *Lugduni Batau.* 1610. et 1612. 8. cum notis Dan. Heinſii. 1629 12. ex editione Heinſii. 1653. 1658. 1668. et 1670. 8. cum ſelectis variorum et integris Ioh. Bondii notis, curante Cornelio Schreuelio, ex officina Hackiana. 1695 8. cum notis variorum. *Traiecti* 1699. 12. cum lectionibus Venuſinis Iani Rutgerſii, edente Petro Burmanno. *Harlemi* 1697. 8. cum eruditis ſcholiis Eduardi a Zurck. *Roterodami* 1668. et 16 3. 12. cum notis Ioh. Minellii. *Geneuae* 1600 8. 1605. 4. cum Lambini comment. *Baſileae* 1615. fol. *Hanouiae* 1621. 8. cum notis Ioh. Bondii. *Francofurti* 1612. 4. cum Lambini comment. *Coloniae* 1616. 8. ab omni obſcoenitate purgatus. *Lipſiae* 1602. 8. cum ſcholiis Greg. Bersmanni. 1605. 8. ex editione G. Fabricii. 1675. 8. 2. volum. cum notis Minellii, Frid. Rappolti comment et Ioach. Felleri ſupplemento.

§. XXXVII.

Seculum recentiſſimum elegantiores Horatii editiones vidit, *Londini* 1701. 8. cum perpetuis veterum ſcholiis et Wilhelmi Baxteri notis 1702. 8. cum eruditis ſcholiis Eduardi a Zurck. 1713. 4. cum annotationibus Richardi Bent-

Bentleii. 1713. 8. 2. volum. Anglice et Latine cum translatione Anglicana notarum D. Richardi Bentleii, et notis iucundis in eiusdem notas. *Cantabrigiae* 1701. 12. minoribus typis. *Amſtelodami* 1712. 12. cum notis Iohannis Bondii. 1713. 4. ex recenſione et cum notis emendationibusque Richardi Bentleii. 1714. 12. cum notis Minellii. 1714. 4. et minore forma 8. cura Thomae Bentleii. 1718. 24. ex editione Danielis Heinſi. *Traiecti ad Rhenum* 1713. 12. *Hagae comitum* 1721. 8. charta maiori ex antiq. codd. et certis obſeruationibus emendauit, variasque ſcriptorum et impreſſorum lectiones adiecit Alexander Cuningamius: qui et animaduerſiones ſcripſit in Richardi Bentleii notas et emendationes ad Horatium. *Hafniae* 1704. 8. cum notis Minellii. *Francofurti* 1704. 8. cum notis Minellii. *Lipſiae* 1709. 12. cum notis ad modum Minellii.

§. XXXVIII.

PVBLIVS OVIDIVS NASO *d*) ex equeſtri ordine *e*) natus XIV. Kalendas Aprilis, Mineruae quinquatriis, anno ab V. C. DCCXI. Hircio et Panſa Coss. *f*) Sulmone

d) Ipſe vitam ſuam accurate deſcribit triſt. l. 4. eleg. 10. Noſtro ſeculo IOH. MASSON Vir Cl. Naſonis vitam ordine chronologico ita delineauit, vt poetae fata et opera veris aſſignentur annis, notisque philologicis et hiſtoricis illuſtrentur. Amſtelodami 1708. 8.

e) OVIDIVS triſt. l. 4. eleg. 10.

Si quid et a proauis vsque eſt vetus ordinis heres;
Non modo fortunae munere factus eques.

Rurſum:

Poſtque meos ortus Piſaea vinctus oliua
Abſtulerat decies praemia victor eques.

f) Nam vterque conſul, cum ad liberandum Brutum apud Mutinam mitteretur, fugato Antonio, occiſus eſt. OVIDIVS autem triſt. l. 4. eleg. 10. v. 5.

ne *g*) in Pelignis *h*) Cum fratre teneris ab annis excultus atque inſtitutus eſt Romae cura parentis, ſimul atque etiam ſcholas inſignium magiſtrorum frequentauit. Ita ipſe: *i*)

Protinus, inquit, *excolimur teneri, curaque parentis*
Imus ad inſignes vrbis ab arte viros.

Alibi: *k*)

Hei mihi, quod didici! quod me docuere parentes,
Literaque eſt oculos vlla morata meos!

Annis progredientibus diligenter rhetoricae profeſſores audiuit, ac in ſcholis eorum declamationibus ſe, more tum temporis conſueto, exercuit. Nam et SENECA pater *l*) vidit illum declamare apud rhetorem Arellium Fuſcum, cuius auditor fuit. *Et tunc*, inquit, *cum ſuaderet, habebatur bonus declamator.* etc. *Declamabat autem Naſo raro controuerſias, ſed non niſi ethicas: libentius dicebat ſuaſorias: moleſta illi erat omnis argumentatio.* Athenas quoque ſtudiorum gratia petiiſſe, diſcimus ex confeſſione ipſius: *m*)

Nec peto, quas quondam petii ſtudioſus, Athenas.

Ad poeticam a teneris vnguiculis puer quodam quaſi naturae inſtinctu ferebatur: *n*) inuito parente, qui foro et oratoriae facultati eum deſtinauerat, iuuenem continuo increpans:

Studium

Editus hic ego ſum — —
Cum cecidit fato conſul vterque pari.

g) Idem l. c. v. 3. *Sulmo mihi patria eſt.* Et faſtor. l. 4.
Sulmonis gelidi patriae, Germanice, noſtrae.

h) Idem amor. l. 2. eleg. 1. v. 1. l. 3. eleg. 15. *i*) Triſt. l. 4. eleg. 10. v. 15. 16. *k*) Triſt. l. 2. v. 343. *l*) Lib. 2. controu. 11. vbi de iure iurando mariti et vxoris agit. *m*) Triſt. l. 1. eleg. 2. v. 77. *n*) Triſt. l. 1. eleg. 10.

At mihi iam puero coeleſtia ſacra placebant:
Inque ſuum furtim Muſa trahebat opus.

Studium quid inutile tentas?
Maeonides nullas ipſe reliquit opes.

Nec infelici ſucceſſu: nam in ea tam egregie profecit, vt iam tum cauſſas forenſes ac centumuiralia iudicia adiret. Sed patre defuncto, reliquit forum, ac Muſis liberalioribus ſe totum dedit. Maiores coluit, ac viciſſim cultus a minoribus fuit. Maiores indicat *o*) Macrum, Propertium, ſibi iure ſodalitii iunctum, Ponticum et Baſſum, dulcia conuictus ſui membra, Horatium, Virgilium, quem tantum vidit, Gallum atque Tibullum. Ingenio fuit, cumprimis ad poeſin, feliciſſimo, ſed quod nimium ſibi aliquando indulgebat. Hinc ipſe de ſtudio ſuo: *p*)

Sponte ſua carmen numeros veniebat ad aptos:
Et, quod tentabam dicere, verſus erat.

Adeo quidem, ut ſcriberet quicquid in buccam veniebat: ſcripta vero ſua et foetus ingenii ab nemine, etiam a ſemetipſo non, emendari pateretur. ANNAEVS SENECA *q*) hinc *verbis*, inquit, *minime licenter vſus, niſi in carminibus. In quibus non ignorauit vitia ſua, ſed amauit. Manifeſtum poteſt eſſe, quod rogatus aliquando ab amicis ſuis, vt tolleret tres verſus; inuicem petiit, vt ipſe tres exciperet,*

o) Triſt. l. 4. eleg. vlt. *p*) Triſt. l. 4. eleg 10. *q*) Controu. cuius argumentum eſt: *Vir et vxor iurauerunt, vt, ſi quid alteri obtigiſſet, alter moreretur.* Sed tamen ipſe nonſolum, quod paulo inferius docebimus, ſuos metamorphoſeon libros, cum non poſſet emendare, concremauit; verum etiam diſerte triſt. l. 4. eleg. vlt.

Multa quidem ſcripſi, inquit, *ſed quae vitioſa putaui,*
Emendaturus ignibus ipſe dedi.
Tum quoque, cum fugerem quaedam placitura cremaui,
Iratus ſtudio carminibusque meis.

ret, in quibus nihil illis liceret. Aequa lex viſa eſt. Scripſerunt illi quos tolli vellent: et Ouidius, quos tres exciperet. In vtrisque codicillis iidem verſus erant. etc. *Ex quo apparet, ſummi ingenii viro iudicium non defuiſſe, ad compeſcendam ſuorum carminum licentiam, ſed animum. Aiebat interim, decentiorem faciem eſſe, in qua naeuus aliquis eſſet.* Corpus erat tenue neruisque compactum. *r*) Romae habitauit iuxta Capitolium, et hortos prope viam Flaminiam habuit. Hoc demonſtrat ipſe: *s*)

Non meus amiſſos animus deſiderat agros,
Ruraque Peligno conſpicienda ſolo:
Nec quos piniferis poſitos in collibus hortos
Spectat Flaminiae Clodia iuncta viae.

Illud: *t*)

Hanc ego ſuſpiciens, et ab hac Capitolia cernens,
Quae noſtro fruſtra iuncta fuere lari. etc.

Fratrem habuit natu maiorem vno anno, eloquentiae forenſi deditum, qui annum XX. agens diem obiit ſupremum: quod ipſe teſtatur: *v*)

Iamque decem vitae frater geminauerat annos,
Cum perit; et coepi parte carere mei.

Tres in matrimonium duxit vxores: duas quidem priores, facto diuortio, repudiauit: tertiam, quicum amantiſſime et

r) Ex Ponto l. 1. epiſt. 10.
Paruus in exiles ſuccus mihi peruenit artus:
Membraque ſunt cera pallidiora noua.
Triſtium l. 4. eleg. 10.
Nec patiens corpus, nec mens fuit apta labori,
Sollicitaeque fugax ambitionis eram.

s) Ex Ponto lib. 1. epiſt. 8. *t*) Triſtium l. 1. eleg. 3. *v*) Triſt. l. 4. eleg. 10.

Digitized by Google

et coniunctiſſime vixit, ad mortem vsque retinuit. *x*) Sunt qui putant, eam fuiſſe Perillam, puellam, vt ipſemet poeta oſtendit, valde doctam atque cumprimis poetriam. Eiusmodi vero haec coniectura eſt, quae ex nullo poetae monumento apparet. Enimuero ſi Perilla vxor fuiſſet, in iis, quae ad vxorem ſcripſit, *y*) procul dubio alicubi ſignificaſſet. Filiam etiam habuit, ex qua auus factus, aliosque liberos cum vxore relictos, quum ipſe relegatus eſſet. Iuuenis adhuc flagrabat amore laſciuientis puellae, quam, ſiue, vt multi crediderunt, Auguſti Caeſaris filia, ſiue neptis, ſiue ancilla, *z*) ſiue alia quaecunque fuerit, ſub nomine ficto Corinnae ſcriptis vitaque coluit, vsque adeo vt excitatum ingenium illi acceptum ferre nullus dubitauerit: *a*)

Carmina cum primum populo iuuenilia legi;
Barba reſecta mihi biſue ſemelue fuit.
Mouerat ingenium totam cantata per vrbem,
Nomine non vero dicta Corinna mihi.

Propter ingenium et miram verſus pangendi facilitatem, vniuer-

x) Idem l. c.

Paene mihi puero nec digna, nec vtilis vxor
Eſt data: quae tempus perbreue nupta fuit.
Illi ſucceſſit, quamuis ſine crimine, coniux;
Non tamen in noſtro firma futura toro.
Vltima, quae mecum ſeros permanſit in annos,
Suſtinuit coniux exulis eſſe viri.

y) Vt ex Ponto l. 1. epiſt. 4. et l. 3. epiſt. 1. *z*) Neutram fuiſſe illarum doctis argumentis iuit demonſtratum IOHANNES MASSON in vita Ouidii pag. 154 ſeqq. Quare dicendum potius, illas Ouidii delicias, Corinnae ficto nomine deſcriptas, vt ipſius Ouidii aetate, quicquid etiam tentauerint homines, fruſtra quaeſitas, hodienum inueniri a nemine poſſe. *a*) Triſt. l. 4. eleg. 10.

vniuerſis gratus et acceptus fuit; ſoli Auguſto Caeſari *b*) inuiſus, qui eum annos quinquaginta natum relegauit in Scythas: *c*) vbi Tomos locum exilii habuit. Relegationis, de qua triſtiſſime paſſim conqueritur, duas fuiſſe cauſſas ipſe teſtatur: *d*)

Perdiderint cum me duo crimina, carmen et error;
Alterius facti culpa ſilenda mihi.
Nam non ſum tanti, vt renouem tua vulnera, Caeſar,
Quem nimio plus eſt indoluiſſe ſemel.

Primam Ouidius carmen ſuum fuiſſe ait, id enim Auguſtus praetexuiſſe videtur, quod libros de arte amandi ſcribendo, *e*) Romanam iuuentutem corrupiſſet. Alteram vocat errorem quendam in Auguſtum; ſed cuiusmodi fuerit, vt ipſe diſſimulat, ne diuinari quidem poteſt. Multi tamen ea de re multa tradunt. Eum conſueuiſſe cum Iulia Imperatoris filia, quam ſub Corinnae ficto nomine ſolicitauerit, eiusque concubitum laſciuius deſcripſerit. *f*) Quamobrem SIDONIVS APOLLINARIS: *g*) *Nec*

b) In cuius aula complures annos verſatus erat maxima omnium gratia, et domus Auguſtae inſolita familiaritate: donec ſiniſtro fati acerbioris ſidere in exilium pelleretur. *c*) Ab illo exilio quandoque Ouidius *Geta* ab libiariis cognominatur. Atque ipſe triſt. l. 4. eleg. 10.

Cum maris Euxini poſitos ad laeua Tomitas
Quaerere me laeſi Principis ira iubet.

d) Triſt. l. 2. v. 207. *e*) Hinc ex Ponto l. 2. epiſt. 10. ad Macrum:

Naſo parum prudens artem dum tradit amandi,
Doctrinae pretium triſte magiſter habet.

f) Amor. l. 1. eleg. 5. Confer. SVETONIVS Auguſt. c. 65. vbi narratur, quod Iulias filiam et neptem, omnibus probris contaminatas, relegauerit: filiam quidem in Pandatetiam inſulam, Dio ann. 757. neptem in Trimerum inſulam haud procul Apulis littoribus. TACITVS annal. lib. 4. c. 71. *g*) Confer SAVARONEM ad Sidon. Apollin. l. 2.

Nec te, inquit, *carmina per libidinoſa*
Notum, *Naſo tener*, *Tomosque miſſum*;
Quondam Caeſareae nimis puellae
Fiĉto carmine ſubditum Corinnae.

Tradunt alii, quod Ouidius Auguſtum viderit cum Iulia filia parum honeſte iacentem. Inceſtum innuit ipſe C. Caeſar Caligula, qui, teſte SVETONIO, *h*) *Agrippae ſe nepotem neque credi, neque dici ob ignobilitatem eius volebat: ſuccenſebatque, ſi qui vel oratione vel carmine imaginibus eum Caeſarum insererent. Praedicabat autem matrem ſuam ex inceſto, quod Auguſtus cum Iulia filia commiſiſſet, procreatam.* Inceſtum Auguſti viſum poetae ac funeſtum alii ab Iulia ineptius ad puerum transferunt; alii neſcio quam de Maecenate, quem nunquam nominauit, atque Iulia coniecturam faciunt. IOHANNES MASSON Vir clariſſimus *i*) crimen dicit fuiſſe Iuliae Auguſti neptis, cuius Ouidius fuerit quidem reus factus, at quod ſibi modo viſum et a ſuis comitibus commiſſum ſuadere conatur. Certe flagitiis Iuliae iſtius Caeſari vulnera quaequae maxima infligebantur: quam proinde etiam hoc ipſo anno ab V. C. DCCXLII. adulterii conuictam atque damnatam proiecit in Trimerum inſulam. Ingemiſcebat autem Caeſar ad omnem Agrippae poſtumi nepotis, quem etiam transportauerat in inſulam, et Iuliarum mentionem; nec aliter illos appellare ſolebat, quam tres vomicas, aut carcinomata ſua. *k*) Quomodocunque

epiſt. 10. et ad carmen 23. BAELII lexicon in *Ouide*. Vita Ouidii, quam e codice Farneſiano NIC. HEINSIVS edidit. *h*) In vita Caligulae cap. 23. *i*) In vita Naſonis p. 159. ſeqq. *k*) Vid. SVETON. Auguſt. c. 65. confer. TACITVS annal. l. 3. c. 24. et l. 4. c. 71. et VELLEIVS PATERC. l. 2. c. 100.

res ſeſe habeat (eam etenim patere ipſe noluit) poeta conqueritur: *l*)

Cur aliquid vidi? cur conſcia lumina feci?

Alibi: *m*)

Inſcia quod crimen viderunt lumina, plector:
Peccatumque oculos eſt habuiſſe meum.

Suum ex vrbe diſceſſum, vxoris et ceterorum ſuorum lacrumas, duram et periculoſam nauigationem ſuam, ipſe in exilio ſatis prolixe deſcribit; *n*) tum etiam quo in loco verſetur: cumprimis vero deplorat ſe exulare, vbi ſemper maxima frigora, ſummaque bonorum omnium inopia. *o*) Quamobrem petiit ſaepe, vt in mitiorem locum ſaltem relegaretur. Interim vero ſperabat ab Imperatore veniam impetraturum: quem vel ex hoc capite queritur vita defunctum. *p*) Omnimodo tandem reditum deſperans in vrbem, ſcripſit ad coniugem: *q*)

Oſſa tamen facito parua referantur vt vrna:
Sic ego non etiam mortuus exul ero.

et quae ſequuntur; denique et illi hos verſus praecipit grandibus notis in tumuli marmore incidere:

Hic ego qui iaceo tenerorum luſor amorum
Ingenio perii Naſo poeta meo.
At tibi, qui tranſis, non ſit graue quisquis amaſti,
Dicere, Naſonis molliter oſſa cubent.

Exilium annos octo et menſes aliquot cum pertuliſſet, in eo mortuus eſt, annum agens ſexageſimum, ab V. C. DCCLXXI. Tiberii Imperatoris quinto. Atque etiam, teſte EVSEBIO, iuxta oppidum Tomos ſepultus eſt: exſtructo illi

l) Triſt. l. 2. *m*) Triſt. l. 3. eleg. 5. *n*) Triſtium l. 1. eleg. 3. *o*) Ponti lib. 1. epiſt. 3. *p*) Ponti lib. 4. epiſt. 6. *q*) Triſtium l. 3. eleg. 3.

Digitized by Google

illi a Barbaris monumento. Sed fabulas inter merito referri debent, quae ISAACVS BVLLARTVS *r*) narrat de ſepulchro eius in media Moſcia reperto, cui haec inſcripta legantur:

Hic ſitus eſt vates, quem Diui Caeſaris ira
Auguſti Latio cedere iuſſit humo.
Saepe miſer voluit patriis occumbere terris,
Sed fruſtra: hunc illi fata dedere locum.

Neque potuit eſſe genuinus Ouidii calamus, ab Iſabella Pannoniae Regina eo nomine, veluti res ſacra, maximi aeſtimatus. *s*)

§. XXXIX.

Libri ſuperſtites eius ſunt [1] *Heroides* vel epiſtolae XXI. *t*) elegis verſibus, ſummo ingenio, et arte et incomparabili eloquentia conſcriptae, adeo vt nihil abſolutius in eo genere ſolerti et erudito, quod Ouidius ipſe primus inuenit, *v*) poſſe fieri, quidam exiſtiment. [2] *Amorum ſiue elegiarum libri tres. x*) Quinque primum numero fuere ad Corinnam de amoribus ſcripti, ſed quos ipſe poſtmodum diligentius recognitos ad tres redegit. *y*) [3] *Artis amatoriae libri tres.* [4] *Remedium amoris.* [5] *De medicamine faciei* fragmentum, quod Naſoni fruſtra quidam

abiudi-

r) In Academia ſcientiarum et artium T. 1. p. 87. in vita Iohannis Zamoſcii. Vid. etiam GLANDORPIVS onomaſtico, et VOSSIVS de poetis Latinis cap. 2. *s*) Quod ex GIOFANIO vitam Ouidii deſcribente FABRICIVS notauit biblioth. Lat. l. 1. c. 15. p. 261. *t*) Quarundam ipſe meminit amorum lib. 2. eleg. 18. *v*) OVIDIVS artis amat. l. 3. v. 346.

Ignotum hoc aliis ille notauit opus.

x) Memorati OVIDIO artis amat. l. 3. v. 343. *y*) Vid. epigramma his libris praefixum,

abiudicant. Ipſe enim eius mentionem facit. *z*) Sed puer adhuc illud carmen cum alio [6] *de nuce* quod nomen habet, compoſuiſſe videtur. [7] *Halieuticon* ſiue de piſcibus liber *a*) acephalos, neque ab auctore ad finem perductus. *Conſolatio ad Liuiam Auguſtam* de morte Druſi, Neronis filii eius, qui in Germania morbo periit, a GYRALDO *b*) PASSERATIO et BARTHIO *c*) aliis, praeter rem Ouidio adſcribitur: quae cuiusuis potius quam illius eſt, vtut inter opera locum ſibi vindicarit. FABRICIVS *d*) illud poema Pedonis Albinouani *e*) eſſe demonſtrat. Haec operum tomo primo comprehenduntur. Alterum conſtituunt [8] *Metamorphoſeon f*) ſiue transmutationum libri quindecim, *g*) carmine heroico ſcripti: quos quia non emendauerat auctor, cum relegaretur Tomos, iratus ſua manu combusſit: deſcriptos vero antea pluribus exemplis, aliorum cura ab interitu conſeruauit. *h*) Tertio operum tomo ſunt illa, quae in exilio edidit: [9] *Faſtorum libri ſex*, qui ex duodecim ſuperſunt, *i*) vt omnia quae ſequuntur carmine elegiaco, ſcripti ad Germanicum Caeſarem, *k*) totidem menſium feſta et rationes e commentariis Pontificum repetitas com-

z) Artis amatoriae l. 3. v. 205. *a*) Huius poematis meminit PLINIVS hiſt. natur. l. 32. cap. 2. et vltimo. *b*) De poetis l. 4. in vita Naſonis. *c*) Aduerſar. l. 53. c. 13. *d*) Biblioth. Latina l. 1. c. 12. p. 226. et cap. 15. p. 275. *e*) Hic fuit aequalis Ouidii, ab ipſo *ſidereus* vocatus. *f*) Metamorphoſeon, non vero Metamorphoſeos titulo hos libros eſſe inſcribendos NICOL. HEINSIVS ex melioribus MSS. codd. contendit. *g*) Hoc poema XV. libris contentum fuiſſe auctor ipſe monet triſtium l. 1. eleg. 1. v. 117. quod repetit l. 3. eleg. 14. v. 19. *h*) Vide auctorem triſtium l. 1. eleg. 6. l. 2. v. 555. et l. 3. eleg. vltim. l. 4. eleg. 10. *i*) IOH. MASSON in vita Ouidii p. 172. negat faſtorum 12. libros fuiſſe conſcriptos et ipſum poetam ait nonniſi de ſex libris mentionem facere. *k*) Ipſe triſtium l. 2. v. 549.

complectuntur. [10] *Triſtium* ſc. elegiarum *libri quinque*, de variis lamentabili voce ſcripti, cum iam de reditu ad vrbem deſperare coepiſſet; et maxima quidem libri primi pars exarata eſt in itinere ad exilii locum, vt ipſe poeta teſtatur: *l)*

Littera quaecunque eſt toto tibi lecta libello,
Eſt mihi ſollicitae tempore facta viae.

[11] *Ex Ponto epiſtolarum libri quatuor.* [12] *Ibis* ſeu dirae in Ibin. Ibis eſt auis Nili fluminis, ciconiae ſimilis, *m)* quae teſte PLINIO *n)* ad clyſteris vſum inueniendum hominibus anſam praebuit: nam plena et adſtricta aluo, roſtri aduncitate per eam partem ſe perluit, qua reddi ciborum onera ſalubre maxime eſt. Ibin adeoque, teſte SVIDA, Callimachus Apollonium Rhodium ingratum diſcipulum carmine maledico nominat: quem imitatus noſter quoque Ibidis nomine perſtringit aduerſarium ſuum, quem Caecilius Minutianus Apuleius *o)* Coruinum, alii Hyginum fuiſſe ſuſpicantur. Deperdita Ouidii ſcripta, et illa quae perperam ei tribuuntur, vt de *philomela*, *cucullo*, *pulice*, *aurora*, *limace*, *vetula*, *quatuor humoribus* etc. nos nihil morantur. *p)*

§. XL.

Phraſin, *ex fratre nepos*, ICti *q)* et deterioris aeui ſcriptores *r)* Ouidio debent: qua licentius eum fuiſſe praeter

l) Eleg. 10. et vltima. *m)* Vid. CICERO de natura Deorum l. 1. c. 36. Effigiem eius habes in theſauro Graeuiano antiquitatum Rom. tom. V. p. 796. *n)* Hiſt. natur. l. 8. c. 27. *o)* Apud RHODIGINVM antiq. lect. l. 13. c. 1. *p)* Vid. VOSSIVS de poetis Latinis cap. 2. *q)* Eorum teſtimonia vide apud MARTINIVM lex. philol. etymol. p. 2205. *r)* HIERONYMVS chron. Euſeb. n. 2330. OROSIVS l. 7. c. 28.

ter conſuetudinem ſui ſeculi vſum CELLARIVS *s*) opinatur. BARTHIVS *t*) contra, et FACCIOLATVS elegantiorum literarum inſtaurator Patauinus *v*) eandem non verentur vt bonam et conuenientem ex Ouidii puriſſimi ſcriptoris auctoritate probare. Dixit autem: *x*)

Sic regat imperium, terrasque coerceat omnes
Caeſar, ab Aenea qui tibi fratre nepos.

Atque ita Cupidinem allocutus Nepotis vocabulum, qui proprie filii aut filiae natus eſt, latius extendit: idemque fratris ſororisque filiis tribuit. Aliter CICERO: *y*) *Speuſippus Platonis ſororis filius.* Rurſus: *z*) *cum Baſilius M. Satrium, ſororis filium, nomen ſuum ferre vellet, eumque feciſſet heredem* etc. CORN. NEPOS: *a*) *cum Leotychide fratris filio habuit contentionem.* Quare putant *ex fratre* aut ſorore *nepos* antiquis et optimae notae ſcriptoribus inſolens fuiſſe, et referendum inter Ouidii idiotiſmos. Fateor hoc rarum et ſolitarium forſan, idque poeticum antiquitatis exemplum eſſe, ac proinde tutius, ceu quod rei natura ſimul atque optimorum vſu comprobatur *fratris*, aut ſororis, *filium* eſſe vocandum. Attamen etiam licet in eo ſequi poetam: cuius, vel ex defectu monumentorum, id fuiſſe minus recte dictum, ſatis affirmare nemo poterit. Vel quis temere ſibi perſuadebit, poetam patriae linguae cum primis gnarum aliquid pronunciare voluiſſe, quod cum linguae ſuae genio et elegantiori ciuium vſu non conuenerit? Multa eiusmodi vocabula, nec paucae locutionum formae (non potuerunt enim omnes ſcripto exprimi) interci-

s) Curis poſter. p. 182. 235. Antibarb. p. 226. *t*) Ad Britonem p. 431. *v*) Elegantiſſima epiſtola de voce *Nepos*, quae eſt in orationum ſyſtemate p. 260. ſeqq. *x*) Ex Ponto l. 3. eleg. 3. *y*) Orat. l. 3. c. 18. *z*) Offic. l. 3. c. 18. *a*) Ageſil. c. 1.

terciderunt dudum cum optimo dicendi genere et flore perfecto Latinae linguae, quas hodie vel ex nouitate mirari, vel ex ignorantia barbaras, inconuenientes, et neſcio ex quo ſtercore protractas vocare nulli dubitaremus.

§. XLI.

Infenſus olim erat Ouidio Marcus Marullus, aduerſus quem FRANC. FLORIDVS SABINVS *b*) Ouidii defenſionem in ſe ſuſcepit. Inter alia vel maxime nimiam eius in dicendo copiam animumque laſciuientem quaſi damnant: quod ex antiquiſſimis etiam illi obiecerunt SENECA, *c*) cuius quidem iudicio, quod ad ſtili virtutes attinet, non multum tribuo; et FABIVS, *d*) qui, *laſciuus quidem*, ait, *in heroicis quoque Ouidius, et nimium amator ingenii ſui, laudandus tamen in partibus.* Rurſus: *Elegia Graecos quoque prouocamus, cuius mihi terſus atque elegans maxime videtur auctor Tibullus. Sunt qui Propertium malint. Ouidius vtroque laſciuior: ſicut durior Gallus.* Denique: *Ouidii Medea videtur mihi oſtendere, quantum vir iſte praeſtare potuerit, ſi ingenio ſuo temperare, quam indulgere maluiſſet.* Nec ille mihi ſatisfacit: cum probe ſciam iſtius aeui ſcriptores deſiiſſe copia illa delectari, quam feliciſſimo Ouidii tempore, Tullio quoque, illi ſummo oratori et eloquentiae parenti in deliciis fuiſſe conſtat. Suo loco prolixius ea de re agemus. Floſculos autem damnant omnes et flumen eloquentiae exuberans, qui cohibent rem eandem ita, vt nihil adimere illi facile queas. His tamen permotus

b) Apologia pro poetis Latinis, quae ſaepius cum obſeru. Giſanii prodiit, et nuper in KETELII collectione ſcriptorum de elegantiori Latinitate comparanda etiam recuſa eſt: vbi defenſionem Ouidii vide pag. 193. *c*) Natural. quaeſt. l. 3. c. 27. confer. ERASMVS de copia verb. l. 1. c. 3. *d*) Inſtit. orat. l. 10. c. 1.

motus quoque fuit BVCHNERVS *e)* optimum poetam accuſare, eumque ceu nimium in ſynonimis et ταυ7όλογον perſibilare. Ac BARTHIVS ille, qui reprehendit quoque Ouidium, quod non deſideret illum poeticum afflatum, ſed animo ſuo omnia tribuat, cum ait:

In noua fert animus mutatas dicere formas, etc. *f)*

non ſatis ex dignitate illum ſemper ſcripſiſſe,. praeſertim in metamorphoſeon libris, aliquot locis demonſtrat. *g)* Quibuscum MORHOFIVS ipſe *h)* videtur facere, quum plane incautus erroris luxurians ingenium Ouidii eiusque hinc ſcaturientes naeuos atro carbone notat: quamuis cum BARTHIO ceterisque, alias noſtrum elegantiſſimum, ingenioſisſimum et eruditiſſimum fuiſſe, non diffiteatur. Imo, quaſi oblitus ſui, diſerte alibi *i)* affirmat, *quod ſi quis Ouidii elegias, imprimis heroidum epiſtolas prae manibus ſumat, et in ſuas ſententias atque ornamenta reſoluat, ſtatim artificium deprehendet, quod in illis ſummum eſt. Ouidius enim, vt erat cultiſſimo ingenio, ita nihil quicquam omiſit in ornando carmine, elegia praeſertim; adeo vt quibusdam nimius videretur, qui declamatorias in illo argutias notarunt. Sed non eſt, vt illorum iudicia moremur.* Iniurii magis in eum fuerunt alii, qui, vix habita temporis et omnium monumentorum ratione, ad ſubſequentem, quam argenteam vocant, aetatem eum quaſi obtorto collo rapere non verentur. Nihil moror cenſores nimium acerbos et moroſos, PET. VICTORIVM, qui corruptam neſcio quam Latinitatem

e) De commutata rat. dicendi p. 237. et 407. *f)* Vid. MORHOFIVS de furore poetico, diſſert. p 73. confer. diſſert. noſtra de adoleſc. L.L. c. 2. §. 2. *g)* Aduerſar. l. 42. c. 18. l. 58. c. 9. 10. etc. *h)* Polyhiſt. lit. l. 4. c. 11. §. 16. p. 870. *i)* Ibid. l. 2. c. 16. ʃ. 41.

tatem in Ouidio deprehendit; *k)* MVRETVM, SCRIVERIVM, VAVASSOREM, *l)* vel idem in poeta pulcherrimo accuſantes, vel declamatorium quid infra aurei ſeculi genium deprehendentes; LIPSIVM denique, vtpote qui Ouidium inclementiſſimo iudicio bonum poetam fuiſſe negat. Ita quisque patitur ſuos manes. Viri iudices vero aliquando literatiſſimi nimium ſibi tribuunt, ſuoque ingenio falluntur omnium facillime, quum ex captu ſuo quaelibet iudicare conantur. Et recte barbarus MORHOFIO *m)* ille videtur eſſe, qui Ouidianas elegantias barbariſmi arguit.

§. XLII.

Sanioribus criticis tantae ſemper admirationi Ouidius fuit, vt non ingenioſus, ſed ingenium ipſum; *n)* non Latinus, ſed ipſa Latinitas; non Muſarum ſacerdos, ſed ipſum Muſarum numen ſit habitus. Quod ad Latinam linguam attinet, eruditi propemodum vno ore omnes fatentur, ſi funditus illa eſſet amiſſa, et extarent Ouidii ſcripta, illam ex his non admodum difficili negotio reſtitui poſſe. *o)* Stilus vbique perſpicuus et ſuauis eſt. In ſenſu aeque ac verbis admiranda facilitas agilitasque deprehenditur; tantaque puritas in maxima copia et argumenti varietate: vt detractis numeris plurima ad venuſtae eloquentiae

 formam

k) Eum procul dubio ſequitur SCIOPPIVS conſult. p. 51. vbi *magna*, inquit, *in verbis nouandis licentia vtitur, ac neque humilia et a plebe petita faſtidit: eaque re non nemini viſus eſt argenteae potius aetati accenſendus.* De ſtilo p. 176. *Ouidius ſcripſit Latinitatis auro in argentum degenerante*, *l)* Quos MORHOFIVS recenſet polyh. lit. l. 4. c. 11. §. 16. *m)* l. c. *n)* Diuinum eius ingenium agnoſcit quoque I. C. SCALIGER de ſubtilit. contra Cardanum exercit. 341. *o)* Vid. apolog. pro poetis Latin. apud KETELIVM p. 193.

formam deduci, et cognitio Latinitatis mirifice ex ingenio illius propagari poſſit. Virgiliani carminis perfectionem aſſequi vel noluit, vel non potuit. Elegantiſſimus RAPINVS *p*) haec iudicat: *Ouide meſme n' a pû arriuer a cette perfection, que ſur ſes vieux iours, en compoſant les Faſtes: il n' eſt moderé et diſcret qu' en cet endroit, il eſt ieune par tout ailleur: ſes introductions d' exemples et de comparaiſons dans ſes Triſtes, et ſes autres Elegies, ne ſont pas encore de ce caractere: et ſes Epiſtres Heroïdes, que i' appelle toûiours la fleur de l' eſprit Romain, n' ont rien de cette maturité de iugement, qui eſt la ſouueraine perfection de Virgile.* Suo tamen genere inter omnes maxime excelluit ſcriptor terſiſſimus, in quem Veneres omnes quaſi coniurant adeo, vt totus delicatulus, mollis, venuſtus et argutus eſſe deprehendatur. Certe carmen elegiacum deduxit plane ad illud perfectionis faſtigium, quod vix aliquid elegantius admittere videtur: vt elegiarum pulchritudini incrementum accedere poſſit. Nec obſtat QVINTILIANI iudicium, *q*) noſtro laſciuiam animi obiicientis, qua fuerit impeditus, quin ad eam carminis laudem accedere potuerit: quod ſupra conatus ſum auertere. Ad illud propemodum reſpondiſſem, quod ad Senecae iudicium ERASMVS: *r*) *Hoc Naſoni familiarius eſt, ita vt eo nomine taxatus ſit, quod in copia modum non teneat. At taxatus a Seneca, cuius totam dictionem damnant* etc. Vel ſi maxime concederemus Fabio, laſciuiam quandam in Ouidio deprehendi, quis negabit ingenium eius fuiſſe maximum, eruditionem haud contemnendam, linguae vero Latinae proprietatem et elegantiam

p) Vid. *les comparaiſons des grands hommes de l' antiquité.* p. 133. 134. *q*) Inſtit. orat. l. 10. c. 1. *r*) De copia verb. l. 1, c. 3.

gantiam non ſatis admirandam? MORHOFIVS certe epiſtolas heroidum, abſolutum omnis elegantiae Romanae opus vocat; *s*) quae plus habeant poetici, formularum tamen elegantia etiam cum Cicerone certent. *t*) Idem porro primas illi inter elegiacos ſcriptores defert, *v*) quicquid alii moroſi de Catullo, Tibullo et Propertio ſentiant, quos ille quidem ratione Latinitatis aeſtimat, non ratione genii elegiaci: *etſi*, inquit, *Tibullus et Propertius illum felicius fuerint, quam Catullus, aſſecuti: Ouidius autem in genio carminis elegiaci exprimendo adeo felix eſt, vt nemo mortalium illum ſuperet.* Nec vanum eſt OLAI BORRICHII *x*) de ſcriptis Ouidii iudicium: *Exſtant metamorph. libri XV. non illo quidem ſtilo ſublimi epico, ſed tamen decoro, arguto, numeroſo exarati, et vel hoc vno ingenioſiſſimi, quod miro artificio omnes propemodum veterum fabulas ab initio orbis ad ſua vsque tempora, perpetua ſerie et quaſi catena quadam amabili connectant; heroides et amorum libri puriſſimae dictionis ſunt, impuri plerumque ſenſus. Triſtium libri et Pontica creduntur humiliora eſſe ceteris eius operibus, vt inter barbaros in exilio nata, ſed ſane quantum iis periit ſplendoris, tantum ex ingenio additum varietatis et pulchritudinis.*

§. XLIII.

Primum poſt reſtauratam Latinitatem *Romae* 1471. fol. metamorphoſeon, amorum et faſtorum libri prodiere. *Bononiae* 1480. fol. *Florentiae* 1489. fol. *Venetiis* 1486. fol. de remedio amoris, in ibin, faſtorum, triſtium, de ponto, de pulice, philomela, de medicamine faciei,

 de

s) Polyh. lit. l. 3. c. 10. §. 17. *t*) Ibid. l. 2. c. 14. §. 26. *v*) Ibid. l. 7. c. 3. §. 9. *x*) Conſpect. auct. Lat. ling. p. 38.

de nuce, conſolatio ad Liuiam et metamorphoſis. 1487. 1492. fol. heroides, libri de arte amandi et de remedio amoris cum notis Barthol. Merulae. Ibidem Faſtorum libri cum Antonii Fanenſis et Pauli Marſi commentar. 1492. fol. metamorphoſis cum Pauli Marſi commentario. 1497. fol. metamorphoſis cum Pauli Marſi commentario. 1497. fol. metamorphoſis cum Raph. Regii notis. 1498. fol. Ouidii opera, charta et characteribus typorum nitidis.

§. XLIV.

Deinde vulgata ſunt haec ſcripta *Venetiis* 1503. 1515. 1533. 8. tribus vol. apud Aldum. 1530. 12. *Lugduni* 1546. 12. tribus vol. apud Gryph. *Antverpiae* 1566. et 1578. tribus vol. apud Plantin. 1595. forma minore, cum Victoris Giſelini ſcholiis, apud Plantin. *Baſileae* 1532. apud H. Petri. 1527. et 1548. 8. edente Ioh. Sichardo. 1549. et 1550. fol. duobus vol. cum Antonii Conſtantii Fanenſis, Pauli Marſi, Barth. Merulae, Domitii Calderini et aliorum commentariis. *Lipſiae* 1582. et 1596 8. tribus volum. cum notis Greg. Bersmanni, ex recognitione Iacobi Micylli.

§. XLV.

Seculo poſt reparatam generis humani ſalutem decimo ſeptimo prodiit Ouidius *Lugduni* 1603. 4. in Latinorum poetarum corpore. 1689. 4. 4. volum. cum interpretatione et notis, opera Danielis Criſpini, in vſum Delphini. *Amſtelodami* 1630. et 1653. forma minore, ex recenſione Danielis Heinſii. 1661. 12. 3. volum. ex officina Elzeuir. editio accuratiſſima, cum notis criticis Nicolai Heinſii. 1664. forma minore 3. vol. ex officina Elzeuiriana. 1671. 12. cum notis Farnabii. 1683. 8. 3. vol. cum integris Heinſii et ſelectis variorum

riorum notis, ex officina Blauiana. *Lugd. Batau.* 1629. 12. ex recenſione Danielis Heinſii. 1662. 8. 3. vol. cum notis variorum, curante Cornelio Schreuelio. 1670. 8. 3. vol. ex officina Hackiana, cum integris Nic. Heinſii et ſelectis variorum notis, curante Burchardo Cnippingio. *Francofurti* 1601. fol. 3. partibus, cum obſeruationibus, commentariis et emendationibus variorum, apud Wechelium. *Lipſiae* 1607. et 1620. 8. 3. volum. cum notis Greg. Bersmanni.

§. XLVI.

Decimo octauo ſeculo viri literarum amantiſſimi poetam hactenus laudatum vulgarunt *Amſtelodami* 1702. 8. 3. voluminibus, cum notis variorum et editoris Burchardi Cnippingii. 1714. 12. ex recenſione Petri Burmanni, ſine animaduerſionibus. Idem Vir elegantiſſimus et in literis humanioribus facile Princeps iamdudum nobis nouae et conſumatae, quae non niſi ex tanto ingenio venire poteſt, editionis ſpem fecit; imo et celeberrimi Wetſtenii, bibliopolae de re literaria optime meriti, haec opera, ſi nouellis fides, ad vmbilicum et indicem perfecerunt, quatuor tomis in quarto. Vtrum vero, quod doctiſſimi quique adhuc flagitarunt, Ouidius Burmanni lucem publicam viderit, ego affirmare non poſſum. Ipſe poeta prodiit quoque *Francofurti* 1701. 8. cum notis Minellii. *Viennae* 1706. 12. *Lipſiae* 1703. 12. ex recenſione Heinſii. 1701. 1702. 1707. 8. cum notis Minellii. 1711. 12. cum notis ad modum Minellii. 1715. 12. ſine notis, cum Walchii diatribe critica de Latinitate poetica. 1719. 12. cum notis Kromayeri.

CAPVT IV.

De poetis quibusdam minoribus.

§. I.

QUi et quomodo dicantur minores. 2. Poetae fuerunt maximi in republica viri, L. Corn. Sulla, Iulius Caeſar, Octauianus Auguſtus, Maecenas et Aſinius Pollio, 3. Cicero, 4. Q. Hortenſius, Pomponius Atticus, uterque Varro. 5. Scripta quaedam etiam reliquerunt Cornelius Gallus, 6. Gratius Faliſcus, 7. Decimus Laberius, 8. Publius Syrus, 9. Cornelius Seuerus, 10. Pedo Albinouanus, 11. Marcus Manilius, 12. Caeſar Germanicus. 13. Non ſcripta, ſed clara nomina ſuperſunt Licinii Calui, 14. C. Memmii, Ticidae, et Valerii Catonis, 15. Auli Sabini, 16. Albini, 17. Varii et Tuccae, 18. Aemilii Macri, 19. Titii Septimii et Valgii.

§. I.

Hactenus Catullum, et qui cum iſto clarum venae laſciuientis trifolium conſtituunt, Tibullum atque Propertium, epici quoque carminis ſummum artificem, Virgilium, cum principe lyricorum, Horatio, et amoris nefarii commendatore, Ouidio, maximos huius aeui poetas, qui omnium manibus verſantur, quoad fieri potuit, clare vita, ſcriptis, dictione ac meritis propoſuimus. Sequuntur minores poetae: non quod minor iſtorum fuerit fama, aut quod priores fictione et arte poetica non potuerint aſſequi; vix enim ex monumentis, quae ſuperſunt, de ingenio et profectibus eorum iudicare licebit: ſed quod minora, nec tanti nominis, opera poſt ſe reliquerint, vel etiam nomine tantum, quod aliorum induſtria commendauit poſteritati,

tati, ſatis quidem ſuo tempore celebres, nobis inclaruerint. Quorum vt memoria ſimul conſeruetur, et quanti, maximo Latinitatis flore, diuina poeſis fuerit hominibus infimis atque ſummis, vel ad honores, vel ad gloriam, vel ad voluptatem comparata, omnibus pateat: perplacet quaedam hoc capite ſigillatim monere, et quandam velut introductionem in opera, quae ſcripſerunt alii de argumento ſimili, maiora, breuibus exhibere.

§. II.

Ex viris principibus et in rep. Romana maxime claris, nomina Muſis gloriamque dederunt L. CORNELIVS SVLLA, Romanus Imperator, qui teſte ATHENAEO *a*) ſcripſit *σατυρικὰς κωμῳδίας τῇ πατρῴῳ φωνῇ*, *ſatyricas comoedias patria lingua.* Et narratur a PLVTARCHO *b*) verſus feciſſe, cum Athenas obſideret. Scripſit quoque poemata C. IVLIVS CAESAR, de quibus auctor dialogi, an ſui ſeculi oratores antiquis concedant, *c*) C. Caeſaris et Bruti mentionem faciens, *fecerunt*, inquit, *et carmina, et in bibliothecas retulerunt, non melius quam Cicero, at felicius, quia illos feciſſe pauciores ſciunt.* SVETONIVS *d*) inter eius ſcripta refert poema, quod inſcribitur *Iter:* tragoediam quoque *Oedipum*, quam perinde ac *laudes Herculis* et *collectanea* ab adoleſcentulo ſcripta, Caeſaris ex teſtamento heres et in imperio ſucceſſor Octauianus Auguſtus vetuit publicari, in epiſtola ad Pompeium Macrum, cui bibliothecas ordinandas delegauerat. Etiam, auctore PLVTARCHO, cum a piratis captus eſſet, carmina ſcripſit, eaque piratis praelegit. Haec ſane magnum poeſios amorem oſten-

a) Lib 6. *b*) In eius vita. *c*) Apud TACIT. cap. 21. *d*) In Iul. Caeſ. cap. 56.

Digitized by Google

oſtendunt. Pari modo illius in imperio ſucceſſor OCTAVIANVS AVGVSTVS nomen promeruit poetae, qui de Sicilia hexametris verſibus egit, et epigrammata, quae meditabatur tempore balnei, in lucem edidit. *e)* Eum maximi ſequebantur in Caeſaris aula conſiliarii, MAECENAS et ASINIVS POLLIO, tragoediis Latinis, ſiue praetextatis, clari. Iſtum viris in republ. Romana principibus; hunc claris oratoribus annumerauimus.

§. III.

Summus orator, CICERO, quoque carmina fecit. Anno ab V. C. DCLXV. aetatis ſuae XVII. Aratum verſibus Latinis interpretatus eſt. *f)* Nec longe poſt, cum apud Scaeuolam iuri operam daret, Marii ſepties Conſulis, municipis ſui, res geſtas carmine tractauit, de quo Scaeuola dixit: *caneſcet ſeclis innumerabilibus.* Etiam de conſulatu ſuo tres libros ſcripſit verſibus, *g)* et alia, quae ſuo loco notabimus. Sed ſcripſit haec non eadem Minerua, qua epiſtolas, qua orationes, qua libros in proſa omnes: vt maximus orator et eloquentiae pater non inter optimos poetas numerandus ſit. Quod FABIVS *h)* monet, videndum eſſe, ne ſyllabae verbi prioris vltimae ſint primae ſequentis, vt Ciceroni in epiſtolis excidit, *res mihi inuiſae viſae ſunt*; et in carmine,

O fortunatam natam me Conſule Romam:

in illo obſeruauit quoque et perſibilauit irriſor ingenioſiſſimus

e) SVETON. in eius vita cap. 85. MARTIALIS lib. 11. epigr. 21. hexaſtichon eius de ſe et Fuluia molliſſimum adducit. *f)* Vnde ipſe de natura Deorum lib. 2. carmen iſtud inquit a ſe admodum adoleſcentulo factum eſſe. *g)* Confer. VOSSIVS de hiſtoricis Latinis l. 1. c. 11. de poetis Latinis cap. 1. *h)* Inſtit. orat. l. 9. c. 4.

mus IVVENALIS, *i)* qui putat, ſi ſic omnia ſcripſiſſet, ridendaque poemata maluiſſet quam elegantiſſimas orationes Philippicas dicere, Antonii gladios potuiſſe facilius contemnere. *k)* Idem ſentit auctor dialogi de oratoribus, *l)* qui de Caeſare et Bruto, carmina feciſſe, refert, non melius quam Cicero, at felicius, quod illos feciſſe pauciores ſciuerint, Et omnibus noti ſunt verſus MARTIALIS: *m)*

Carmina quod ſcribis Muſis et Apolline nullo,
Laudari debes; hoc Ciceronis habes.

Vt SENECA *n)* iudice, et communi omnium ſententia, et ipſo relictorum poematum teſtimonio, Ciceronem ab eloquentia ſua in carminibus deſtitutum fuiſſe, appareat, neque datum mortalibus, vt exhauriant omnia, omnibus.

§. IV.

Q. HORTENSIVS anno ab V. C. DCLXXXV. cum Caecilio Metello Cretico conſul, cui de eloquentia cum Cicerone certamen fuit, non ſolum oratoris ſummi, ſed et poetae famam habuit. *o)* Vtrique amiciſſimus T. POMPONIVS ATTICVS attigit quoque poeticen, ne ſuauitatis eius expers eſſet. Nam verſibus clariores populi Romani viros expoſuit. *p)* QVINTI CICERONIS verſus de XII. ſignis ſuperſunt in veterum poematibus, collectis a Pithoeo. Vterque etiam VARRO, ille Atacinus patria, et alter togatorum doctiſſimus poematia ſcripſit, quae confundi a multis videmus. Ex variis quidem illius Romani doctiſ-

i) Satyr. 10. v. 122. ſeqq. *k)* Attamen TVRNEBVS adu. l. 7. c. 19. verſum hunc Ciceronis vexatum omnibus propter vocem *natum δυσφώνως* iteratam ab irriſione maleuolorum aſſerere conatur. *l)* Apud Tacitum, cap. 21. *m)* Lib. 2. epigr. 89. *n)* Praefat. lib. 3. epitomes declam. Coufer. SENECAE epiſt. 108. *o)* Vid. A. GELLIVS l. 19. c. 9. *p)* Vid. CORN. NEPOS in eius vita cap. 18.

Digitized by Google

ſimi poematibus fragmenta ſuperſunt, praecipue ex ſatyris Menippeis, q) epigrammata varia in catalectis Virgilii et veterum collectione, quae cura Petri Pithoei prodiit. De ſatyra Varronis conſule VOSSIVM, r) qui diſtinguit eam ab aliis, et genus quoddam peculiare conſtituit. Neque enim Varro tantum vario et metro et argumento ſatyram condidit; verum etiam carmini miſcuit proſam. Has ſatyras a Menippo, philoſopho Cynico, quem imitatus eſt, *Menippeas* dixit. s) Hinc VAL. PROBVS: t) *Varro Menippeus non a magiſtro, cuius aetas longe praeceſſerat, nominatus: ſed a ſocietate ingenii, quod is quoque omnigeno carmine ſatyras ſuas expoliuerat.* Et QVINTILIANVS: v) *Alterum illud eſt, et prius ſatyrae genus, quod non ſola carminum varietate miſtum condidit Terentius Varro, vir Romanorum eruditiſſimus.* Plures alios, qui apud Romanos viri fuerunt auctoritatis maximae, poſſemus in medium proferre, vt arte poetica inclaruerunt: ſed progrediendum eſt ad illos, qui, licet tanti nominis non fuerint, conſpicua tamen, vel ipſis fragmentis, ingenii ſui monumenta reliquerunt.

§. V.

CN. x) CORNELIVS GALLVS Foroiulienſis, orator

q) De quibus vid. GELLIVS l. 2. c. 18. MACROBIVS Saturn. lib. 1. c. 11. p. m. 224. et l. 3. c. 12. r) Inſtit. poetic. lib. 3. c. 10. s) Vid. A. GELLIVS noct. Attic. l. 2. c. 18. t) In ecl. 6. v) Inſtit. orat. l. 10. c. 1. x) Ab aliquibus, et apud ipſum SCALIGERVM, qui elegiam cum tribus epigrammatibus illuſtrauit, in opuſculis variis poſthumis Francof. 1612. in 8. editis, pag. 39. et 45. *Aſinius Cornelius Gallus* vocatur, e corrupta vitae Virgilii, quae nomen Donati prae ſe fert, lectione: *C. Aſinium Cornelium Gallum oratorem clarum, et poetam non mediocrem, miro amore dilexit Virgilius.* Vbi codices emendatiores habent: *Huius Pollionis filium C. Aſinium, et Corn.*

tor et poeta non mediocris, obſcuris parentibus natus, ex infima fortuna, literis et diuina poeſi, in Caeſaris Auguſti venit amicitiam, et Aegyptum prouinciam Romanorum primus obtinuit. Perdite, hoc enim inter eius res geſtas praecipue narratur, amauit Cytheridem *y*) meretricem, Volumnii libertam: quae cum illi mutuum denegaret amorem, et potius Antonium in Galliam ſequeretur, repulſam tanta impotentia tulit, vt Virgilius illius amantiſſimus ecloga bucolicorum decima eum conſolari nullus dubitauerit: ita quidem vt tacite reprehenderet in viro docto et excellente amoris inſaniam; ſimulque notaret malam fidem Antonii, qui meretriculam ſecum abduxerat. Auguſto

Gallum. etc. Sed et SERVII in Virg. eclog. 10. error longe maximus eſt, vbi ſcribere non erubuit: *Hic eſt Caius Aſinius Gallus, orator, Aſinii Pollionis filius, qui ante omnes primus Aegypti praefectus fuit, eximius poeta: nam et Euphorionem, vt ſupra* (eclog. 6.) *diximus, tranſtulit in Latinum ſermonem, et amorum ſuorum de Cytheride libros ſcripſit quatuor.* A STRABONE, qui eius ſemer ipſum, geogr. l. 2. p. 81. profitetur amicum et ſodalem, l. c. lib. 16. p. 536. lib. 17. p. 554. et 561. Αἴλιος Γάλλος *Aelius Gallus* vocatur. confer. Is. CASAVBONVS ad Strabon. l. 16. p. m. 217. Ita etiam IOSEPHVS. A DIONE modo Γάλλος Κορνήλιος, modo Αἴλιος Γάλλος, ab EVSEBIO *Caius Cornelius Gallus*; ab EVTROPIO vero et pluribus aliis *Cneius Cornelius Gallus* appellatur. *y*) Quam VIRGILIVS eclog. 10. more poetarum ficto nomine, *Lycoridem* vocat. Sic APVLEIVS in apologia: *Eadem opera accuſent Catullum, quod Lesbiam pro Clodia nominarit, etc. et Propertium, qui Cynthiam dicat, Hoſtiam diſſimulet: et Tibullum, quod ei ſit Plania in animo, Delia in verſu.* Lycoridem nominauit quoque PROPERTIVS l. 2. el. 25. v. 91.

Et modo formoſa qui multa Lycoride Gallus
Mortuus inferna vulnera lauit aqua.

Et MARTIALIS lib. 8. epigr. 73.

Ingenium Galli pulchra Lycoris erat,

vero, quod ſupra monui, chariſſimus, primus omnium conſtitutus eſt ὕπαρχος Αἰγύπτου, qui praefectus Auguſtalis vocatur. z) Tum in Arabiam felicem cum exercitu profectus eſt *a)* iuſſu Caeſaris, vt eas gentes et loca pertentaret, praeterea Aethiopum terminos, aliasque Aegypto finitimas regiones ditiſſimas ſub Romanorum poteſtatem redigere ſtuduit. Quod cum ageret, pellectus in ſpem felicioris exitus, a Syllaeo Nabataeorum procuratore deceptus eſt, qui monſtrare iter, ac in omnibus illi commeatu auxilioque adeſſe promiſerat, omnia vero inſidioſe egit: vt longe difficiliori via, ac interrupto toties totiesque tandem Marte expeditionem finierit. *b)* In reditu totum iter diebus ſexaginta confecit, in quo prius ſex menſes conſumſerat: militemque ſuum non bello ſed fame, itinerum difficultate, morbo et labore perdidit. Ideoque Syllaeus tanti mali principalis cauſſa Romae ſecuri percuſſus poenas dedit. *c)* Tandem et ipſe Gallus res moliens nouas in ſuſpicionem coniurationis contra Auguſtum adductus primum, deinde accuſatorum denuntiationibus et ſenatus conſultis ad necem compulſus eſt, vt propria ſe manu *d)* interfecerit anno V. C. DCCXXVIII. aetatis ſuae tertio et quadrageſimo. *e)* Neque tamen, quod ſcribunt recentiorum plurimi, venit ſuo crimine in odium Auguſti: qui, teſte SVETONIO *f)* laudauit quidem pietatem tantopere pro ſe

z) SVETONIVS Auguſt. c. 66. *a)* STRABO geogr. l. 2. p. m. 81. *b)* Hiſtoriam huius expeditionis refert DIO lib. 53. STRABO lib. 16. p. m. 536. ſeqq. *c)* STRABO l. c. p. 538. *d)* Inde ſanguinis atque animae prodigum illum vocat OVIDIVS amorum lib. 3. eleg. 9. *e)* Vid. DIO. lib. 53. SVETONIVS Auguſt. cap. 66. de illuſtr. gramm. cap. 16. EVSEBIVS in chron. DONATVS in vita Virgilii. *f)* In eius vita cap. 66.

ſe indignantium; ſed et illacrumauit, ſuamque vicem conqueſtus eſt, quod ſibi ſoli non liceret amicis, quatenus vellet, iraſci. Virgilius quoque Gallum hunc adeo amarat, vt quartum georgicorum, a medio vsque ad finem eius laudibus compleret: quae poſtea, iubente Auguſto, in Ariſtaei fabulam commutauit. *g*) Huic etiam Parthenius, ſcriptor Graecus, erotica ſua inſcripſit. *h*) Teſte DONATO in Virgilii vita, et SERVIO in ecloga ſexta et decima. Euphorionis carmina Gallus noſter vertit in Latina, *i*) et libris quatuor amores ſuos de Cytheride ſcripſit. Hodie vero illorum prorſus nihil ſupereſt. Ne fragmenta quidem reſtant apud vllum grammaticorum. *k*) Sola fama, operibus dudum extinctis, ſalua remanſit poetae, cui, quod etiam poſt mortem in magno pretio eſſet, alii atque alii nouos foetus ſubſtituere omnibus viribus laborarunt. In hunc cenſum venit merito elegiarum libellus ſub eius nomine quibusdam Catulli, Tibulli et Propertii editionibus etiam cum auctoris vita annexus, cuius initium:

Aemula cur ceſſas finem properare ſenectus?
Cur et in hoc feſſo corpore tarda ſedes?

Enim vero, quicquid etiam alii ſentiant, *l*) nihil in verſibus

g) DONATVS in vita Virgil. *h*) Plura videantur apud IVSTVM FONTANINI in libro de ſcriptoribus Foroiulienſibus. *i*) Hinc etiam PROBVS grammaticus: *Euphorion elegiarum ſcriptor Chalcidenſis fuit, cuius in ſcribendo colorem ſecutus videtur Cornelius Gallus.* *k*) Ni forſan iſtud apud Vibium Sequeſtrem: *vt tellures diuidit amne duas:* quod recenſet Doct. FABRICIVS bibl. Latina l. 1. c. 14. p. 253. *l*) Ita auctor vitae his elegiis praemiſſae: *Quod fuerit Hetruſcus, quod orator, quod poeta, quod etiam vinolentus, quod Lycorida adamarit, quod legatus Aegypto praefuerit, hinc manifeſtiſſime colligitur: quae ſi quis diligenter animaduertat, fatebitur hunc libellum Cornelii Galli, non alterius fuiſſe, vt quidam parum prudenter exiſtimarunt.*

bus illis ementitis inueniri poteſt, quod antiquo et illuſtri poeta dignum ſit. Paſſim ſermo Latinus non ſatis purus et ſincerus eſt; in verſibus ipſis ſyllabarum morae et tempora nonnunquam leges metri excedunt. Ex. gr. ſit nobis verſus:

O quam dura premit miſeros conditio vitae.

In eo vocis *conditio* antepenultimam producit: quae ab omnibus melioris notae poetis correpta eſt. HORATIVS:

Haec eſt conditio viuenti aiebat eoque.

MARTIALIS:

Accipe et hoc munus conditione mala.

Similem errorem in voce *Socrates* apud VOSSIVM *m*) vide. Nec ipſa materia Gallo noſtro conuenit, qui, vt ſupra monui, tres tantum et quadraginta annos natus ſua ſibi manu mortem accelerauit. In illis autem elegiis ſpuriis ſenem deſcribit ſemetipſum impotentem. Auctor illarum verus, conſenſu omnium literatorum, *n*) eſt ignobilis quidam verſifex, ſenex amator et ineptus, *Cornelius Maximianus Gallus Etruſcus*, qui ſub Anaſtaſio Imperatore floruit. Illius nomen etiam exempla vetuſtiora impreſſa et MSta prae ſe ferunt. Et LABBEVS *o*) carmina ipſius ſuper ſenectute, regulam metricam, carmen de virtute et inuidia, ira et patientia atque auaritia memorat. Cum ergo ſpurium illud opus

m) Inſtit. orat. lib. 5. c. 7. p. m. 348. *n*) GYRALDVS de poetis, in eius vita. BROVCKHVSIVS in elegant. ad PROPERTIVM notis l. 2. eleg. 25. v. 91. VOSSIVS Inſtit. orat. l. 5. c. 7. p. 347. De poetis Latinis p. 25. BORRICHIVS de variis L. L. aetatibus pag. 12. FABRI theſ. erud. ſchol. in voc. *Cornelius*. FABRICIVS bibl. Lat. l. 1. c. 14. Plurium virorum doctorum teſtimovia vide apud BAILLETVM iudic. de poetis part. 2. p. 126. *o*) Bibl. noua MS. p. 63.

opus neque aetatem, neque claram lucem ferre poſſet: prodiit alia cum tribus epigrammatibus elegia cuius initium:

Non fuit Arſacidum tanti expugnare Seleucen,
Italaque vltori ſigna referre Ioui:

ab Aldo Manutio P. F. Florentiae ſub Aſinii Cornelii Galli nomine vulgata; ſed quae cuiusuis alterius potius, quam Galli noſtri cenſenda eſt. Illius enim pſeudogalli abſurda, triuialia, falſa et quaedam non ſatis Latina iam dudum magnus SCALIGER *p*) demonſtrauit. Eius furfuris et alia ſunt, quae celeberrimus FABRICIVS *q*) recenſet: vt ſatis admirari nequeam politiſſimi RENATI RAPINI *r*) iudicium, quo Cornelium Gallum, cui tam infauſto ſucceſſu, ipſa aduerſante Minerua, omnia ſuppoſita ſunt, Catullo et Maecenati praeferre nullus dubitauit. Illius verba, ne quid a me fingi videatur, haec ſunt: *Il nous eſt reſté, quelques elegies de Catulle, de Mecenas, de Cornelius Gallus, qui ſont d' vne grande pureté, et d' vne grande delicateſſe: mais le vers de Catulle et de Mecenas eſt d' vne trop grande molleſſe, et d' vne negligence trop affectée; celuy de Cornelius Gallus eſt plus rond, et il ſe ſoûtient mieux.* Sed fallitur admodum, et facit nae intelligendo, vt nihil intelligat: qui vsque adeo ſibi ab ſcriptis alienis et lutulentis imponi paſſus eſt.

§. VI.

GRATIVS patria Faliſcus, quem ipſe fatetur ſeſe,

p) Opuſculis variis poſtumis pag. 37. ſeqq. vbi memorata elegia et epigrammata tria cum animaduerſionibus Ioſephi Iuſti Scaligeri ad Claudium Puteanum proſtant. *q*) Biblioth. Latina l. 1. c. 14. p. 253. *r*) Reflexions ſur la poetique en particulier §. 29. p. 206.

ſe; *s*) poeta vix cuiquam veterum, praeterquam Ovidio, *t)* aequali ſuo memoratus, *Cynegeticon* ſiue de venatione carmen epicum ſcripſit, quod exſtat, ſed extrema parte mutilum. Libri argumentum ipſe *v*) prodit, vbi

Carmine, inquit, *et arma dabo venanti*, *et proſequar artem*

Armorum caſſesque plagarumque ordiar aſtus.

Ideoque memoratur Ovidio *x*) his verbis:

Aptaque venanti Gratius arma daret.

De ſtilo ipſius vere iudicat Barthivs, *y*) feliciſſimum Latinorum ſeculum in eo facile cognoſcendum eſſe. Nihil enim vulgare aut ineptum ſcripſiſſe, et omnia eodem filo grauitatem et elegantiam ſeruare. Et Borrichivs z) *notamus*, inquit, *in hoc ſcriptore eruditionem non poenitendam, iudicium acre, lectam dictionem, ſed humiliorem ſubinde charactere epico, neque id iniuria, quum argumentum operis id depoſcat.* Pari modo Ivl. Caesar Scaliger: *a*) *duo elegantes poetae venationis praecepta poemate tractarunt, Gratius et Nemeſianus. Nemeſiani ſtilus candidus, nec vulgare ſonans*; *Gratii vero caſtigatior.* Illud Gratii ſcriptum Actius Sannazarius primum e Gallia ſecum attulit et lucem vt videret publicam effecit. Prodiit vero primum *Venetiis* 1534. 8. apud Paulum Manutium, cum Ouidii halieutico. Eodem anno eademque forma *Auguſtae Vindelicorum* cura Georgio Logo Sileſio, cui et Gratium et Halieutica

s) Verſ. 40.

At contra noſtris imbellia lina Faliſcis
Hiſpaniaque alio ſpectantur Saetabes vſu.

Idem ad nomen ſuum alludit v. 74. et 216. *t*) Ex Ponto lib. 4. epiſt. vlt. *v*) Verſ. 23. *x)* Loco citato. *y*) Aduerſ. lib. 1. cap. 16. *z*) De poetis Latinis diſſ. 1. §. 25. *a*) Poetic. l. 6. cap. 7.

lieutica Ouidii et Nemeſianum nos debere, praefixa illius ad Antonium Fuggerum epiſtola docet: qua teſtatur ſe illos auctores Romae accepiſſe a Iohanne Lucretio Aeſiandro Germano, qui deſcripſerit illos e vetuſtiſſimo codice, quem Sannazarius Longobardicis literis ſcriptum e Gallia in Italiam aliquando ſecum attulerit. *b*) Prodiit deinde *Lugduni* 1537. 8. a Sebaſt. Gryphio. Gratium quoque cum Nemeſiano et Calpurnio notis illuſtratum P. PITHOEVS edidit inter veterum poemata, *Pariſiis* 1590. 12. recuſa *Geneuae* 1596. 8. ROBERTVS TITIVS *Florentiae* 1590. 4. CASP. BARTHIVS, tum duodecennus, *c*) *Hanouiae* 1613. 8. IOH. VLITIVS *Lugd. Batau.* 1645. 12. et 1653. 8. CHRISTOPHORVS WASIVS *Lond.* 1654. 12. ibid. THOMAS IOHNSON 1699. 8.

§. VII.

DECIMVS *d*) LABERIVS, eques Romanus, nomen Muſis dedit, quod inter mimorum ſcriptores praecipuum habuit. Annos ſexaginta natus, a Iulio Caeſare, vt ludos eius illuſtriores faceret, in ſcenam prodire et mimos a ſe conſcriptos agere cogitur. Quod ipſe luget: *e*)

Neceſſitas, cuius curſus auerſi impetum
Voluerunt multi effugere, pauci potuerunt.
Quo me detruſit pene extremis ſenſibus?
Quem nulla ambitio, nulla vnquam largitio,

b) Vid. etiam VOSSIVS de poetis Latinis cap. 2. FABRICIVS biblioth. Latin. lib. 1. cap. 16. p. m. 284. *c*) Vid. eius aduerſ. l. 57. c. 17. *d*) Perperam a CRINITO, qui vitam eius deſcribit lib. 2. de poetis Lat. cap. 21. et aliis *Decius* vocatur, cum id ipſum nomen Romanis, non praenomen fuerit. SVETONIVS vero praefixit Laberio praenomen *Decimi* in vita Iul. Caeſar. cap. 39. *e*) Apud MACROBIVM Saturn. lib. 2. cap. 7. Confer. argumentum GELLII noct. Attic. l. 8. c. 14.

Digitized by Google

Nullus timor, vis nulla, nulla autoritas
Mouere potuit in iuuenta de ſtatu:
Ecce in ſenecta vt facile labefecit loco
Viri excellentis mente clemente edita
Submiſſa placide blandiloquens oratio.

Ego bis tricenis annis actis, ſine nota
Eques Romanus lare egreſſus meo,
Domum reuertar mimus -- --

Et in ipſa actione, ſi quae fuit, occaſionem vlciſcendi captabat, inducto Syri habitu, qui velut flagris caeſus, exclamabat: *Porro, Quirites, libertatem perdimus*; et paulo poſt: *neceſſe eſt multos timeat, quem multi timent.* Quo dicto, vniuerſus populus ad Caeſarem oculos et ora conuertit, tacitusque notat potentiam eius et dominandi cupiditatem ea dicendi libertate perſibilatam. *f*) Quoniam vero in ſcenam prodire nefas erat equiti Romano, ea re, vtut cogeretur, perdidit ordinem ſuum: quem Caeſar *g*) ei reſtituere volebat, datis cum annulo aureo quingentis ſeſtertiis: quum inſuper iuberet ſeſſum ire in quatuordecim, ex quibus omnibus equeſtris ordo cenſebatur. *h*) Sed omnes equites ita ſe coarctauerunt, vt venientem non reciperent. Diem

f) Vid. MACROB. l. c. Sed ſuo damno haec Laberius in publico egit, victus a Syro: vt ſequenti paragrapho docebimus. Vsque adeo dicax fuit, vt ipſe TVLLIVS famil. lib. 6. epiſt. Trebatio ſcripſerit, ſi non augeat rem ſuam apud Caeſarem, ſatius eſſe vt Romam reuertatur, ne vacuus rediens rideatur a Laberio et Valerio. *g*) Licet eum Laberii maledicentia et arrogantia offenderet: ac ipſe Publii quam Laberii mimos acceptiores et probatiores ſibi eſſe praedicaret. vid. A. GELLIVS noct. Attic. l. 17. c. 14. *h*) SVETON. Iul. Caeſ. cap. 39. Confer. SENECA controu. 2. 18.

Diem obiit ſupremum Puteolis, vt teſtatur EVSEBIVS, *i)* decem menſibus poſt Caeſarem interfectum. Laberii mimos HORATIVS negat *k) pulchra poemata* fuiſſe. Quod Venuſini poetae iudicium vterque SCALIGER, pater *l)* et filius *m)* exagitauit: illis vero DANIEL HEINSIVS *n)* reſpondit. A. GELLIVS *o)* verſus illi tribuit quidem ſatis munde et graphice ſcriptos; paſſim tamen *p)* in vocibus praeter conſuetudinem adhibendis licentiam eius accuſat, et petulantiam, quum ea finxerit, de quibus, an Latina ſint, merito poſſit aliquis dubitare. *q)* Sunt autem, quae in dubium vocat, ſequentia: *mendicimonium* pro mendicitate, *r) moechimonium*, *adulterio* et *adulteritas* pro adulterio, *depudicauit* pro ſtuprauit, *abluuium* pro diluuio, *manuatus eſt* pro furatus eſt, et *manuarius* pro fure, *elutriare* et *lauandria* dicit lintea quae ad lauuandum ſunt data. *Calabariunculos* dicit, quos vulgus *talabarriones*, praecones concionem aduocantes in curiam Calabram. *Malaxare* pro emollire, *gurdus* pro ſtolidus, *s) gubernium* pro gubernatore, *planum* pro ſycophanta ſeu impoſtore, *t)* et *nanum* pro pumilione dicit. *Botulum* pro farcimine *v)* habet, et hominem

 leuen-

i) Vid. HIERONYMVS chron. Euſeb. ad olymp. 184. ann. 2. *k)* Serm. l. 1. ſatyr. 10. v. 6. *l)* Poetices l. 1. c. 10. *m)* Euſebianis animaduerſ. n. 1534. *n)* De Satyra Horatiana l. 2. p. 272. ſeqq. *o)* Noct. Attic. l. 10. c. 17. *p)* Vt l. 16. c. 7. *q)* Neſcio proinde quid ſibi velit I. C. SCALIGER poetic. l. 1. c. 10. vbi palam profiteri nullus dubitat, quod Laberius elegantia et ſermonis puritate omne Latium prouocarit. *r)* Vid. etiam NONIVS c. 2. n. 55. *s)* Confer. QVINTILIANVS inſtit. orat. l. 1. c. 5. *t)* Quamuis ea voce vtantur etiam CICERO pro Cluent. c. 26. HORATIVS l. 1. epiſt. 17. Et *nanum* inueniamus apud Propert. Iuuenal. Suetonium et alios. *v)* Confer. FESTVS h. v. et MARTIALIS l. 14. epigr. 72.

leuennam pro leui, et *cocionem* pro tardo. *x*) Nihil ex mimis Laberii exſtat, praeter memoratum prologum, quem MACROBIVS *y*) conſeruauit, et pauca fragmenta a ROB. STEPHANO z) collecta.

§. VIII.

PVBLIVS *a*) SYRVS a natione ſua dictus, poeta mimographus inſignis, cum puer ad patronum eſſet adductus domum, non minus ingenio et ſalibus, quam forma, eum ſibi beneuolum gratumque faciebat. Cumprimis delectabatur dominus illius iocis et dicteriis. Cum forte ſeruum ſuum hydropicum in area vidiſſet iacentem, et quid in ſole faceret, otio commotus ad iram interrogaſſet; Syrus reſpondit: *aquam calefacit.* Super caenam exorta ioculari quaeſtione, quodnam eſſet moleſtum otium: aliud alio opinante, Syrus *podagrici pedes* dixit. Ob haec et alia prudenter acute et ſuauiter dicta, liberaliter a domino ſuo bonae indolis et artium amantiſſimo manumiſſus eſt, vt maiori cura literis incumberet ac eam, quam expertus fuerat, ingenii ſolertiam Muſis conſecraret. Quod nec irrito conatu fecit, et bene eruditus ſcribere mimos, eosque maximo cum applauſu in variis Italiae oppidis agere coepit. Tandem eius fama commotus Iulius Caeſar, cum generis varii ſpectacula ederet, *b*) voluit eum eſſe Romae, vt mimum ageret. Hic omnes, qui ſcripta et operas in ſcenam locauerant, prouocauit, vt ſinguli ſecum, poſita

x) Vid. etiam FESTVS h. v. et PLAVTVS Aſin. 1. 3. 51. Milit. 3. 2. 29. *y*) L. 2. c. 7. *z*) In fragmentis poetarum Latinorum p. 138-144. *a*) Praenomen eſt eius, qui populo gratus fuit, quaſi *Popu-lius.* De mimographo noſtro videatur omnino MACROBIVS Saturn. l. 2. Vel qui eum exſcripſit LIL. GREG. GYRALDVS de poetar. hiſtor. dial. 8. oper. pag. 429. ſeq. *b*) Vid. SVETONIVS in vita Iul. Caeſ. c. 39.

ſita inuicem materia, pro tempore contenderent. Nec vllo recuſante, ſuperauit omnes, et inter hos Laberium, equitem Romanum ſenem, qui quod modo dictum eſt, in ſcenam prodire a Iulio cogebatur. *c*) Tantus Princeps Laberianam dicacitatem ferre non poterat, valde offenſus proteruia illius et arrogantia, vt fauorem in Syrum noſtrum verteret, et eius mimos acceptiores et probatiores eſſe quam Laberii palam confiteretur. *d*) Tum vero arridens ita pronuntiauit: *Fauente tibi me, victus es, Laberi, a Syro.* Statimque Publio illi Syro palmam, et Laberio annulum aureum cum quingentis ſeſtertiis dedit. Atque etiam Syrus tunc ad Laberium recedentem, *quicum*, ait, *contendiſti ſcriptor, hunc ſpectator ſubleua.* Laberius autem mimo nouo ſtatim hos verſus interiecit:

Non poſſunt primi eſſe omnes omni in tempore.
Summum ad gradum cum claritatis veneris,
Conſiſtes aegre, et citius quam aſcendas, decides.
Cecidi ego, cadet qui ſequitur. Laus eſt publica.

Olymp. CLXXXIV. anno ſecundo poſt exceſſum Laberii, penes Syrum, qui haud paruo iunior erat, omnis mimorum honos fuit. *e*) Tandem ille inſignem Principum Romanorum praeſertim Caeſaris fauorem expertus obiit, incertum quo Auguſti Imperatoris anno. A. GELLIVS *f*) totidemque verbis MACROBIVS *g*) Publii ſententias pleraſque lepidas, et ad communem vſum accommodatiſſimas eſſe praedicarunt. Ecquis negabit illas, quae adhuc in omnium manibus ſunt,

 maxi-

c) Iſtorum ludorum, Laberii et Syri meminit etiam CICERO ad famil. l. 12. epiſt. 18. fin. *d*) A. GELLIVS noct. Attic. l. 17. c. 14. MACROBIVS Saturn. l. 2. c. 7. *e*) Vid. HIERONYMVS chron. Euſeb. ad olymp. 184. an. 2. conf. G. I. VOSSIVS de poetis Latin. c. 2. p. 22. *f*) Noct. Attic. l. 17. c. 14. *g*) Saturn. l. 2. c. 7.

maximam partem eſſe acutas grauesque et dignas, quae a pueris ediſcantur. Perhonorifice illius vterque SENECA, Pater *h*) et Filius *i*) atque etiam alii, quos nunc ſilentio lubet praeterire, meminerunt. *k*) Stilus longe purior in ſententiis illius eſt, quam in Laberii: et nihil nouatum ab eo reperio, praeterquam quod *abdomini*, ſine quo nulla eius, poſtquam ſeruitutem exuerat, caena fuiſſe traditur, *ſuminis* vocabulum impoſuerit. *l*) Ex mimis eius ſententiae non paucae ab Seneca, A. Gellio, Macrobio et aliis conſeruatae ad nos peruenerunt. Illas euulgauit DES. ERASMVS, qui e codice Cantabrigienſi omnes recenſuit, caſtigauit ſuaque paraphraſi explicauit, *Baſil.* 1502. 4. *m*) Deinde GEORGIVS FABRICIVS illis viginti antea ineditas addidit in ſua ſententiarum collectione, *Lipſiae* 1550. et 1567. HENR. STEPHANVS illas quoque habet inter ſententias e comicis Graecis et Latinis, 1563. forma minori. Et THEODORVS ZWINGERVS in morum philoſophia 2. tomis edita *Baſil.* 1575. 8. IANVS GRVTERVS cum tragoediis Senecae apud Commelin. 1604. 8. Et in florilegio ethico politico ſententiarum ac prouerbiorum, cum notis Gruteri, tribus volum. edito *Francof.* 1610. 8. Etiam illae Syri ſententiae a M. VELSERO anno 1608. ex MS. Friſingenſi locupletatae et ſecundum litera-

h) Controu. 3. 18. *i*) In epiſtolis 8. 94. 108. *k*) Iudicia et teſtimonia veterum cum aliis, tum illi, quam celeberrimus WALCHIVS nuper cum Phaedro adornauit, ſententiarum editioni praefixa videri poſſunt. *l*) Apud PLINIVM hiſt. natur. l. 8. c. 51. *m*) Ipſe ERASMVS editionis ſuae meminit chil. 4. cent. 5. adag. 6. *Omnes fere Publianas ſententias video prouerbiorum vice fuiſſe celebratas: nec iniuria ſane. Nihil enim illis fingi poteſt nec argutius, nec iucundius. Cuius mimos ipſi nuper emendatos non grauati ſumus breuiſſimis ſcholiis explicare.*

literarum ſeriem digeſtae, cum notis ab ADAMO SARTORIO curatis, ſubiicitur Mureti orationibus et epiſtolis, *Ingolſtadii*, et *Lipſiae*, curante IACOB. THOMASIO, recuſis. Reiiciuntur porro a DIONYS. GOTHOFREDO ad calcem Senecae; a TANAQ. FABRO, et nuper a celeberr. WALCHIO ad calcem Phaedri. Prodierunt denique cum metaphraſi Graeca IOSEPH. SCALIGERI, *Marburgi* 1701. 8. Et omnium nitidiſſime *Lugduni Batauor*. 1708. 8.

§. IX.

CORNELIVS SEVERVS eſt poeta epicus, quem OVIDIVS *n*) ſcripta ad eum epiſtola, *magnorum Regum vatem* vocat *maximum:* et alibi *o*)

-- -- dedit Latio carmen regale Seuerus.

Ex quo colligere poſſet nonnemo, res geſtas maximorum regum ab Seuero carminibus celebratas fuiſſe. At VOSSIVS *p*) loco priori legere mauult:

Quod legis, o vates magnorum maxime vatum:

vt dicat, Marone, Horatioque et quibusdam aliis, iam vita defunctis, Seuerum inter magnos vates principatum tenere. Exſtat carmen eius *de Aetna, q*) perperam Virgilio tributum; et carminis fragmentum *in M. Tullii Ciceronis necem*, quod SENECA pater *r*) nobis conſeruauit, fortaſſis ex opere *de bello Siculo*: id enim, FABIO teſte, conſcribere ipſi animus fuerat. *Cornelius autem*, inquit, *s*) *Seuerus, etiamſi verſificator quam poeta melior, ſi tamen ad exemplar primi libri bellum Siculum perſcripſiſſet, vendicaret ſibi iure ſecundum locum. Sed eum conſumari mors imma-*

n) Ex Ponto l. 4. epiſt. 2. v. 1. *o*) Ex Ponto l. 4. eleg. vlt. *p*) De poetis Latinis c. 2. *q*) Quod Cornelii Seueri eſſe patet ex SENECAE epiſtola 79. ad Lucilium. Conf. quae ſuperius in catalectis Virgilii notauimus. *r*) Suaſoria 6. *s*) Inſtit. orat. l. 10. c. 1.

immatura non paſſa eſt, puerilia tamen eius opera et maximam indolem oſtendunt, et mirabilem praecipue in aetate illa recti generis voluntatem. Vtrumque Seueri carmen et alia eius fragmenta THEODORVS GORALLVS, vel, qui ſub ficto nomine latet, IOH. CLERICVS ſeparatim edidit *Amſtelodami* 1702. 8. cum perſpicua interpretatione et eruditis Scaligeri, Lindenbrogii ſuisque notis.

§. X.

C. PEDO ALBINOVANVS ſequitur Ouidii familiaris, ad quem ex Ponto *t)* epiſtolam ſcripſit. Poetam fuiſſe heroicum, diſcimus ex SENECA *v)* et FABIO. *x)* Altioris et magni ſpiritus fuiſſe, OVIDIVS *y)* innuit, qui *ſidereum* i. e. ſublimem eum vocat; SENECA philoſophus autem *z) fabulatorem elegantiſſimum*. In lucem edidit *Theſeida*, ſiue res geſtas Theſei, vnde OVIDIVS *a)* ad eum ſcripſit:

At tu, non dubito, cum carmine Theſea laudes,
Materiae titulos quin tueare tuae;
Quemque refers, imitere virum, -- --

Sunt quoque diuulgata ab iſto *epigrammata*, quorum MARTIALIS *b)* paſſim meminit. Contradicente VOSSIO, *c)* tribuitur illi *elegia in obitum Maecenatis*, poſt Ioſephum Scaligerum, ab HENR. MEIBOMIO, qui hanc elegiam notis illuſtratam commentario ſuo de vita Maecenatis inſeruit. *d)* Scripſit porro *de nauigatione Druſi Germanici* per oceanum ſeptentrionalem ſuſcepta, ex quo opere M. SENECA *e)* viginti et tres verſus refert. Supereſt et eius elegia ſatis elegans

t) Lib. 4. epiſt. 10. *v)* Suaſ. 1. *x)* Inſtit. orat. lib. 10. c. 1. *y)* Ex Ponto lib. 4. epiſt. vlt. *z)* Epiſt. 122. *a)* Ex Ponto l. 4. epiſt. 10. *b)* Lib. 1. praef. l. 2. epigr. 77. et l. 5. epigr. 5. *c)* De poetis Latinis cap. 1. Ariſtarchi l. 2. c. 27. *d)* Confer. quae ſupra in catalectis Virgilii de hac elegia notauimus. *e)* Suaſoria prima.

gans et hoc ſeculo digna, *de morte Druſi Neronis*, ad Liuiam Auguſtam: quamuis multum contradicente PASSERATIO. Omnes Pedonis reliquias THEODORVS GORALLVS, ſeu, qui ſub hoc nomine dicitur latere, IOH. CLERICVS recenſuit ac ſeorſim cum interpretatione et notis Scaligeri, Lindenbrogii, Heinſii propriisque ſuis edidit *Amſtelodami* 1703. 8. Alius ab hoc noſtro Pedone eſt Celſus Albinouanus, Tiberii Neronis ſcriba, quem HORATIVS *f*) familiarem habuit.

§. XI.

MARCVS MANILIVS, gente Romanus, poeta et aſtrologus celeberrimus, cuius ingenio debemus *aſtronomicon*, genere carminis epico ſcriptum, libris quinque: quorum tamen quintus ad nos non integer peruenit. De aetate illius admodum diuerſa eſt recentiorum opinio. SCIOPPIVS et MORHOFIVS *g*) eum adſcripſerunt linguae Latinae ex aetate argentea ſcriptoribus. GEVARTIVS *h*) nullus dubitauit Manilium hunc ad ferream aetatem relegare: et ipſe VOSSIVS *i*) dixerat primo Theodoſii ſenioris temporibus eum floruiſſe, et Iulium Firmicum, qui ſub Conſtantino M. vixit, imitatum fuiſſe. Poſtea vero *k*) ſententiam mutauit, eumque reiecit ad aeuum Auguſteum: legenti quoniam iterum iterumque Manilium, omnia Auguſti temporibus conuenire videbantur. Atque etiam OLAVS BORRICHIVS *l*) Manilium noſtrum aureae Romani ſermonis aetati reſtituit. Quod fecerunt item BVCHNERVS, *m*) BARTHIVS, SALMASIVS, plures alii. Certe nihil clarius eſt, vel ex ipſo auctore *n*) iam aliquot annis ante Octauiani Augu-

f) Lib. 1. epiſt. 8. *g*) Polyh. liter. l. 4. c. 12. §. 1. *h*) In electis. *i*) De arte grammatica l. 2. c. 26. *k*) De poetis Latinis cap. 2. *l*) De variis L. L. aetatibus pag. 10. §. 6. *m*) De commut. rat. dicendi pag. 326. *n*) Operis lib. 1.

ſti excellum, recenti adhuc Varianae cladis memoria, ſcripſiſſe. Imo, quod neminem latere poteſt, Caeſari Auguſto ipſi ſua ſcripta dedicauit. Neque diuerſus eſt forte a *Manlio Mathematico*, quem PLINIVS *o*) ait auratam pilam apici obeliſci addidiſſe in campo Martio ad deprehendendas ſolis vmbras inſtituti ab Imperatore Auguſto. Fatemur ſtilum eius aſperiorem nonnihil eſſe aeuo Auguſteo: ſed in cauſſa magis fuit res et materia difficilis ad modum et obſcura. Et ipſi SCALIGERO *p*) Manilius eſt *poeta ingenioſiſſimus, nitidiſſimus ſcriptor, qui obſcuras res tam luculento ſermone, materiam moroſiſſimam tam iucundo charactere exornare potuerit, Ouidio ſuauitate par, maieſtate ſuperior. Inprimis omnia eius prooemia et παρεκβάσεις extra omnem aleam poſita ſunt. Nihil illis diuinius, copioſius, grauius et iucundius dici poteſt.* Et BORRICHIVS *q*) *Opus*, inquit, *Manilii aſtronomicon eſt, et genethliacon libris V. verſu epico expreſſum, et ab Aegyptiorum diſciplinis magnam partem decerptum. Dictio terſa, genus dicendi mediocre, iudicium exquiſitum, promotum et facile eloquium in argumento Latinis verſibus antea intentato.* Hinc nulli dubitamus, eum vocabula aſtronomica Graeca pariter et barbara, eaque vix ante eum in Latio audita, in linguam Romanam patriamque ſuam intuliſſe. Et quibusdam idiotismis vſus eſt, quod ipſe excuſat, aſperitate materiae et egeſtate Latini ſermonis adactus. *r*) Manilium primus edidit POGGIVS Florentinus *Bononiae* 1474. fol. Deinde LAVRENT. BONINCONTRIVS cum notis ſuis *Florentiae* 1484. fol. Ab ALDO editus eſt *Venetiis* 1499. fol. Ab HERVAGIO *Baſileae*

o) Lib. 36. c. 10. *p*) In praefatione. *q*) De poetis Latinis diſſ. 1. n. 26. *r*) Confer. IOSEPHI SCALIGERI prolegomena in Manilium.

ſileae 1551. fol. cum Firmico, Arato, Graeco et Latina Germanici Caeſaris verſione, aliisque ſimilis inſtituti ſcriptoribus. Editus etiam eſt *Lugduni* apud Torneſium 1566. in 16. Tandem Ios. SCALIGER, cum in Manilio multa inquinata, corrupta, aut obſcura, deprehendiſſet, applicuit ſe ad emendandum et illuſtrandum auctorem illum, quem edidit cum animaduerſionibus ſuis *Pariſiis* 1577. 8. apud Mamertum Patiſſonum. Quae editio denuo prodiit *Heidelbergae* 1590. 8. apud Commelinum, FRANC. IVNII variis lectionibus et notis auctior. *Lugduni Batau.* 1600. 4. apud Raphelengium, cum ſecundis Ios. SCALIGERI curis: et *Argentorati* 1655. 4. cum notis SCALIGERI tertium auctis, et locis quibusdam adiectis THOMAE REINESII, et ISMAELIS BVLLIALDI animaduerſionibus, cura IOH. HENR. BOECLERI. Denique cum paraphraſi et notis MICH. FAYI, et obſeruationibus PETRI DANIEL. HVETII, figuris aeri inciſis et locupletiſſimo omnium vocabulorum indice, in vſum Delphini, *Pariſiis* 1679. in 4.

§. XII.

CAESAR GERMANICVS ſequitur ille Auguſti Imperatoris nepos, Druſi filius, *s)* indole forma, virtute, omnium excellentiſſimus: *t)* vt Auguſtus diu cunctatus an ſucceſſorem ſibi deſtinaret, eum Tiberio patruo adoptandum daret. *v)* Quaeſturam quinquennio ante quam liceret, et poſt eam ſtatim conſulatum geſſit cum C. Fonteio Capitone anno ab V. C. DCCLXIV. miſſusque ad exercitum in Germaniam, Auguſto vita defuncto, anno DCCLXVI. legiones propemodum omnes Tiberium Imperatorem pertina-

s) Errant SVIDAS et IVLIVS FIRMICVS, qui hunc Caeſarem fuiſſe Iulium Dictatorem crediderunt. *t)* Vid. DIO lib. 57. SVETONIVS Caligul. cap. 3. *v)* SVETON. l. c. cap. 4.

Digitized by Google

tinaciter recuſantes, atque ſibi reip. ſummam deferentes, ipſe compeſcuit; victisque Germanis DCCLXVIII. triumphauit. Conſul deinde rurſum deſignatus, antequam iniret eum honorem, profectus eſt in orientem, deuicit Armeniae regem et Cappadociam redegit in prouinciae formam. Tandem Antiochiae DCCLXXII. natus quatuor et triginta annos, obiit veneno, quod Tiberius Imperator iuſſit illi praeberi a C. Piſone Syriae praepoſito. *x*) Quid ille in diuina poeſi praeſtiterit, OVIDIVS *y*) innuit ſcribens ad eum:

Scimus et, ad noſtras cum ſe tulit impetus artes,
Ingenii currant flumina quanta tui.

Alibi: *z*)

Non potes officium vatis contemnere vates,
Iudicio pretium res habet iſta tuo.
Quod niſi te nomen tantum ad maiora vocaſſet,
Gloria Pieridum ſumma futurus eras.

Idem FABIVS *a*) quoque teſtatur, vbi *Germanicum*, inquit, *Auguſtum ab inſtitutis ſtudiis deflexit cura terrarum, parumque Diis viſum eſt, eſſe eum maximum poetarum.* Ingenii et doctrinae argumenta ſunt *Aratea*, ſiue Arati poetae Graeci phaenomena, quae, Ciceronis exemplum imitaturus, carmine Latino expreſſit. Opus illud lucem publicam vidit *Bononiae* 1474. *Venetiis* ſaepius ex officina Aldina. *Baſileae* ſaepius, et 1549. fol. apud Ioh. Heruagium cum Hygino, Palaephato, Fulgentio, ceterisque mythographis. *Pariſiis* 1559. 4. apud GVIL. MORELLVM, cum eius caſtigationibus, et 1589. 8. ex officina Sanct-Andreana. *Lugdu-*

x) SVETON. l. c. 1. et 2. Res geſtas eius prolixius deſcribit DIO l. c. et TACITVS annal. l. 2. et 3. et IOSEPHVS antiq. Iud. l. 18. c. 8.
y) Faſtor. l. 1. exord. *z*) Ex Ponto l. 4. epiſt. 8. *a*) Inſtit. orat. l. 10. c. 1.

Lugduni Batau. 1600. 4. in ſyntagmate Arateorum, ductu Ioſ Scaligeri adornato, ſuisque notis elegantiſſimis illuſtrato ab HVGONE GROTIO.

§. XIII.

Qui ſequuntur, nomine tantum inclaruerunt nobis. C. LICINIVS CALVVS, de quo nonnihil inter oratores commemorandi parte hujus tractationis altera erit locus, nomen etiam promeruit poetae. Hic fuit aequalis et amicus Catulli, qui vel ex amore,

-- *cum*, inquit, *b) mirifice Vatiniana*,
Meus crimina Caluus explicaſſet etc.

Alibi: *c) Ni te plus oculis meis amarem, iucundiſſime Calue.* Et HORATIVS *d*) meminit, nec ſine laude, huius poetae, vbi:

Nil praeter Caluum et doctus cantare Catullum.

Sed poeta fuit adeo maledicus, vt ipſi C. Caeſari non pepercerit: in quem verſus exſtant turpiſſimi apud SVETONIVM: *e*)

*Bithynia quicquid et paedicator *) Caeſaris*
Vnquam habuit.

De Pompeio dicit: *f*)

Faſciola qui crura ligat, digito caput vno
Scalpit, quid credas hunc ſibi velle virum?

Carmina, inquit SENECA, *g*) illius eſſe iocoſa, *h*) OVIDIVS *i*) laſciua. Praeconii Hipponactei meminit CICERO, *k*) id eſt, carminis iambici grauis et mordacis, quali Hipponax vſus eſt,

b) Epigr. 54. *c*) Epigr. 14. *d*) Serm. l. 1. ſatyr. 10. v. 19. *e*) Iul. Caeſar. cap. 49. *) *Paedicator* eſt puerorum corruptor. *f*) Apud SENECAM controu. 19. *g*) l. c. *h*) Vulgo quidem legitur *ioca*, ſed *iocoſa* procul dubio fuerunt, vt NICOLAVS FABER notauit ad h. l. et POLITIANVS miſcell. cap. 7. *i*) Triſt. l. 2. *k*) Ad famil. l. 7. epiſt. 25.

eſt, quem Caluus imitatur. Praeconium vero dixit, quia praeco Sardes venales pronuntiare ſolebat. Tantus adeoque epigrammatum ſcriptor fuit, quem iunior PLINIVS *l)* et GELLIVS *m)* non dubitarunt in cenſum eundem ponere cum Catullo, cuius etiam verſum ex hendecaſyllabis idem GELLIVS *n)* adducit. PEDIANVS *o)* elegantis hendecaſyllabi, a Caluo compoſiti in Curionem ſeu Curium notiſſimum aleatorem meminit. Et PLINIVS modo laudatus *p)* illum recenſet inter eos, qui et dignitate ornati, et moribus ſerii, nihilominus iocoſa et amatoria ſcripſerunt. Quintiliam adamaſſe ex PROPERTIO cognoſcimus. At PLINIVS *q)* auctor eſt, laminae plumbeae renibus admotae frigore ſolitum occurrere venereis incitamentis, atque vires corporis ſtudiorum labori cuſtodiuiſſe.

§. XIV.

C. MEMMIVS, Lucii filius, poeta doctiſſimus, qui iisdem praeceptoribus vſus eſt cum Lucretio, ipſi poema ſuum dedicante. Ob male obitam Bithyniae praeturam accuſatus eſt a Iulio Caeſare, ſed abſolutus, vt videtur, a iudicibus. Poſtea rurſum accuſatus fuit ambitus, et, quamuis defenderetur a Cicerone, condemnatus, vt exularet, in Graeciam miſſus eſt. Ab Cicerone *r)* refertur inter claros oratores: nec minus celebris, quamuis durus, *s)* poeta fuit. Vnde OVIDIVS: *t)*

Quid referam Ticidae, quid Memmi carmen, apud quem
Nomen adeſt rebus, nominibusque pudor?

TICIDA

l) Lib. 5. epiſt. 26. *m)* Noct. Attic. lib. 11. c. 9. *n)* Lib. 7. c. 12. *o)* Ad Ciceron. orat. in Anton. *p)* Lib. 6. epiſt. 3. Idem facetias et iocos illius praeter Catullum commendat, lib. 1. epiſt. 16. *q)* Hiſtor. natur. lib. 34. c. 18. *r)* In Bruto. c. 70. *s)* Vid. GELLIVS noct. Attic. l. 19. c. 9. *t)* Triſt. lib. 2. v. 433.

Digitized by Google

TICIDA poeta is eſt, qui elegias ſcripſit de Perilla, ſub cuius tecto nomine Metellam *v)* amauit. De VALERIO CATONE nonnihil notabimus diſſertationis huius capite ſequenti, quod de grammaticis illuſtrioribus ſcriptum eſt. Illi vero et inter poetas locus eſt propter carmina, ex quibus ***Lydia*** et ***Diana*** praecipue probabantur, ſi SVETONIVM *x*) audimus. *Diras* ad nos perueniſſe volunt, olim tributas Virgilio, in cuius catalectis etiamnum leguntur cum DOMITII CALDERINI Veronenſis commentario. *y)* Illas poſt Scaligerum auctori ſuo vindicare ſibi viſus eſt BOXHORNIVS, et cum animaduerſionibus ſuis edidit inter poetas ſatyricos minores de corrupto reip. ſtatu, *Lugduni Batau.* 1633. forma minori. Separatim etiam editae ſunt copioſo nec inerudito commentario illuſtratae a CHRISTOPHORO ARNOLDO, *Lugduni Batau.* 1652. 12. Sed vti, quid ſentiam, ingenue fatear: mihi quilibet poeta ex Virgilii aetate potius quam Valerius Cato iſtarum dirarum auctor eſſe videtur. Nam, ſi fides TRANQVILLO, *z)* Valerius Sullani temporis licentia valde iuuenis patrimonium amiſit: cuius iacturam auctor dirarum vt modo factam et recentem deplorat. Neque potuit Valerius vsque adeo deuouere, quod pridem ceſſerat, eodem TRANQVILLO teſte, creditoribus ſuis. Contra dirarum auctor de vi atque iniuria conqueritur, qua ipſe poſſeſſionibus ſuis exutus debuerit cedere militi, vt praemia virtutis capiat.

Exul, inquit, *ego indemnatus, egens mea rura reliqui,*
Miles vt accipiat funeſti praemia belli.

Cetera, ne prolixior ſim, lubens praetermitto.

§. XV.

v) Vid. APVLEIVS in apologia p. m. 338. *x)* De illuſtr. gramm. cap. 11. *y)* Vid. editio Virgilii antiquiſſima, quae Venetiis prodiit 1495. fol. 349. *z)* De illuſtr. gramm. cap. 11.

§. XV.

AVLVS SABINVS quae ſcripſerit, OVIDIVS *a*) docet: et ſunt epiſtola Ulyſſis ad Penelopen, Hippolyti ad Phaedram, Aeneae ad Didonem, Demophoontis ad Phylliden, Iaſonis ad Hipſipylen. Harum vero omnium nulla exſtat. Exſtant ſub nomine Sabini epiſtolae tres, tribus Ouidii, quibus vtplurimum adiunguntur, epiſtolis reſpondentes, Vlyſſis ad Penelopen, Demophoontis ad Phylliden, et Paridis ad Oenonam. Sed eiusmodi ſunt, quae non niſi iniuria magna alicui vel mediocri huius aeui poetae adſcribi poſſint. *Troezena*, ſiue vt alii legunt et amicam fuiſſe affirmant, *Triſenen*, faſtosque, ſiue dierum opus, morte praematura turbatus perficere non potuit; quod dolet OVIDIVS *b*) et

Quique ſuam, inquit, *Troezena, imperfectumque dierum*
Deſeruit celeri morte Sabinus opus.

§. XVI.

Temporibus iisdem ALBINVS quidam res Romanas carmine Latino cecinit, poſt maximas res geſtas a Pompeio: quod patet ex tribus his verſibus libri primi: *c*)

Ille cui ternis Capitolia celſa
Sponte Deûm patuere, cui freta nulla repoſtos
Abſcondère ſinus, non tutae moenibus vrbes.

Quae intelligenda ſunt de triplici Pompeii victoria ex tribus mundi partibus. *d*) Hic vero non confundendus eſt cum aliis eiuſdem nominis celebribus Romanis, qui multi fuere.

a) Amor. l. 2. eleg. 18. *b*) Ex Ponto l. 4. eleg. vlt. *c*) Apud PRISCIANVM lib. 7. *d*) Pl. vid. apud VOSSIVM de hiſtoricis Graecis l. 1. c. 20. de hiſtor. Latinis l. 1. c. 6. de poetis Latinis cap. 1.

Digitized by Google

ſuere. Alius namque ab hoc noſtro poeta eſt *Sp. Albinus.* orator, cuius CICERO meminit; *e)* alius *A. Poſtumius Albinus*, anno DCII. cum L. Licinio Lucullo conſul, qui res Romanas Graece ſcripſit; *f)* alius imperator, cuius vitam CAPITOLINVS aut SPARTIANVS reliquit. L. IVLIVS CALIDVS al. *Calidius g)* Attici amicus fuit, quem, CORN. NEPOTE auctore, *h)* poſt Lucretii Catullique mortem, multo elegantiſſimum poetam aetas illa tulit.

§. XVII.

Celebres quoque fuerunt L. VARIVS et PLOTIVS TVCCA, *i)* Virgilii et Horatii contubernales, qui et Aeneadum poſtea libros emendarunt, ſed ea lege, vt nihil adderent. Horum quantus fuerit Varius, ex HORATIO diſcimus, qui *k)*

Nulla, inquit, *etenim mihi te fors obtulit. Optimus olim*
Virgilius, poſt hunc Varius, dixere quid eſſem.

Idem: *l)*

-- -- Quid autem
Caecilio Plautoque dabit Romanus, ademtum
Virgilio Varioque?

Maecenati familiaris fuit, quocum ad caſtra Caeſaris transiit, vnde Venuſinus poeta rurſum *m)*

Pp *Flenti-*

e) De claris orat. c. 25. *f)* Vid. CICERO de cl. orat. c. 21. GELLIVS l. 11. c. 8. SVIDAS. VOSSIVS ll. cc. *g)* Vt VOSSIO de poetis Latinis cap. 2. *h)* In vita Attici cap. 12. *i)* Ita eum CORNVTVS, vetus Perſii interpres, vocat, qui et prius ait dictum fuiſſe *Tucetam*, poſtea Tuccam. HORATIVS autem ſerm. l. 1. ſatyr. 5. interpoſita particula inquit: *Namque*
Plotius et Varius Sinueſſae, Virgiliusque
Occurrunt.

k) Serm. lib. 1. ſatyr. 6. *l)* De arte poetica. *m)* Serm. l. 1. ſatyr. 5.

Flentibus, inquit, *hinc Varius diſcedit moeſtus amicis.* Et ipſi Auguſto Caeſari valde charus munera accepit tanta, quae HORATIVS, ſcripta ad Auguſtum epiſtola, *n*) laudare potuit his verbis:

At neque dedecorant tua de ſe iudicia, atque
Munera, quae multa dantis cum laude tulerunt
Dilecti tibi Virgilius Variusque poetae.

Scripſit tragoedias; ſed inprimis celebratur Thyeſte: modo ea fabula vel Maronis, *o*) vel Caſſii Parmenſis *p*) non fuerit. Alioqui aptus ad omnia; praeſertim carmine heroico, quod ab Homero, in eo genere poetarum principe, Maeonium vocatur, excellens. Quamobrem HORATIVS *q*) eum prae ſe dignum iudicat, qui bella ab Agrippa geſta decantet, vbi:

Scriberis Vario fortis, et hoſtium
Victor, Maeonii carminis alite etc.

§. XVIII.

Sub Auguſto Caeſare ſcripſit porro AEMILIVS MACER, Veronenſis poeta, de volucribus, ſerpentibus, et viribus herbarum. *r*) Familiaris admodum fuit Ouidio, quem perduxerat ſecum per Siciliam et nobiliores Aſiae ciuitates: quod ipſe praedicat OVIDIVS *s*) his verbis:

Te

n) Lib. 2. epiſt. 1. *o*) De quo leges apud DONATVM vel TRANQ. in Virgilii vita. *p*) Quod tradit vetus Horatii interpres. *q*) Carm. l. 1. od. 6. *r*) Inde OVIDIVS in triſtibus lib. 4. eleg. 10. v. 44.

Saepe ſuas volucres legit mihi grandior aeuo,
Quaeque nocet ſerpens, quae iuuat herba, Macer.

et CATO l. 2. praef.

— -- -- Quod ſi mage noſſe laboras
Herbarum vires, Macer has tibi carmine dicet.

s) Ex Ponto l. 2. epiſt. 10.

Digitized by Google

Te duce magnificas Aſiae perſpeximus vrbes:
Trinacris eſt oculis te duce nota meis.

Obiit in Aſia, anno ab V. C. DCCXXXVIII. triennio poſt Virgilium. *t*) Scripſit idem praeter memoratos de ornithogonia, ophiogonia et botanicis, etiam alios libros, vt παραλειπόμενα Homeri. Vnde OVIDIVS: *v*)

Tu canis aeterno quicquid reſtabat Homero,
Ne careant ſumma Troica bella manu.

Et alibi vocat eum *Iliacum*. *x*) An etiam conſcripſerit annales, VOSSIVM *y)* conſule. Nihil praeter pauciſſima eius fragmenta ſupereſt. Ille enim Aemilius Macer de herbarum virtutibus, qui hodie exſtat, longe alius eſt, et nullo modo conuenit cum hac aetate, quam virilem diximus, Latinae linguae. Quod vel ex eo demonſtrari poſſet, quod meminerit Plinii, qui non Auguſti, ſed Neronis et Veſpaſiani temporibus floruit. *z*) Et recte I. CAESAR SCALIGER *a*) *is*, inquit, *cuius opus in manibus habemus, neque poeta fuit, neque bonus medicus, neque ſincerus verſificator*. Neque confundendus eſt Aemilius noſter cum C. Licinio Macro, qui quaeſtor erat anno DCLXV. et repetundarum accuſatus a Cicerone praetore, damnationem metuens voluntaria morte periit: et reliquit filium Licinium Macrum Caluum, poetam nobilem et illuſtris ingenii oratorem, qui cum Cicerone iniquum de principatu eloquentiae certamen diu habuit. *b*)

t) Vid. HIERON. chron. Euſeb. Olymp. CXCI. an. 1. *v*) Ex Ponto l. 2. epiſt. 10. quae tota ad Macrum ſcripta eſt, confer. idem amor. l. 2. eleg. 18. ab exord. *x*) Ex Ponto lib. 4. epiſt. 16. *y*) De hiſtoricis Latinis l. 1. cap. 16. extr. *z*) Plura vide apud VOSSIVM de poetis Latinis cap. 2. *a*) In hypercritico. *b*) De quibus VOSSIVS agit lib. 1. cap. 1. de hiſtoricis Latinis. FABIVS inſtit. orator. l. 10. c. 1.

§. XIX.

TITIVS SEPTIMIVS lyricus et tragicus poeta, de quo HORATIVS *c*) ad Iulium Florum ſcribit:

Quid Titius Romana breui venturus in ora?
Pindarici fontis qui non expalluit hauſtus;
Faſtidire lacus, et riuos auſus apertos:
Vt valet? vt meminit noſtri? fidibusne Latinis
Thebanos aptare modos ſtudet, auſpice Muſa?
An tragica deſaeuit, et ampullatur in arte?

De Titio quaerit, qui breui celebrandus propter verſus ſuos a populo Romano: quum non dubitauerit fluidam Pindari eloquentiam ſermone Latino imitari. etc. Ad quae verba vetus interpres: *Titius Septimius carmina et tragoedias ſcripſit; ſed libri eius nulli exſtant. Huius autem inſigne monumentum eſt infra Aritiam.* T. VALGIVS poeta maximi nominis hoc ſeculo fuit, et, ſi TIBVLLO *d*) fides,

-- -- *Aeterno propior non alter Homero.*

Eundem HORATIVS *e*) cum Virgilio, Vario, Maecenate et aliis coniungit, quibus ſi poſſet placere, ineptorum hominum ſe morari iudicia negat. Plures quidem alii fuerunt poetae, quorum operae et ingeniis cultura Latinae linguae multum debet. Sed illos omnes perſequi prohibent tum aliorum prolixiores de iſtis commendationes, *f*) tum magnitudo voluminis, et feſtinatio, vt explicem quoque ea, quae in ſcriptoribus oratione proſa clarioribus notari merentur.

CAPVT

Macer et Lucretius legendi quidem, ſed non vt phraſin, i. e. corpus eloquentiae faciant: elegantes in ſua quisque materia, ſed alter humilis, alter difficilis. *c*) Lib. 1. epiſt. 3. *d*) Lib. 4. eleg. 1. ad Meſſalam. *e*) Serm. l. 1. ſatyr. 10. *f*) GYRALDI, CRINITI, VOSSII, BORRICHII, ceterorum ſcripta.

Digitized by Google

CAPVT V.

De Latinis Grammaticis virili aetate celebrioribus.

ſ. I.

GRammaticorum officium et 2. praeſtantia notatur. 3. Iulius Caeſar de analogia ſcripſit. 4. M. Terentii Varronis vita, 5. theſauri, 6. ingenium et dictio, 7. libri, 8. eorum editiones recenſentur. 9. Diuerſus ab illo fuit P. Terentius Varro Atacinus. 10. Agitur de Nigidio Figulo. 11. Lucio Aelio. 12. Seruio Clodio. 13. Saeuio Nicanore. 14. Aurelio Opilione. 15. Antonio Gniphone. 16. Pompilio Andronico. 17. Orbilio Pupillo. 18. Atteio. 19. Valerio Catone. 20. Cornelio Epicadio. 21. Laberio Hiera. 22. Curtio Nicia. 23. Lanaeo. 24. Quinto Caecilio. 25. Verrio Flacco. 26. Lucio Craſſitio. 27. Scribonio Aphrodiſio.

ſ. I.

Ad grammaticos, Latinae linguae cuſtodes et maxime ſolicitos aeſtimatores progredimur. Artis illius infantia *grammatice* a Graecis, *literatio* a) ab Varrone vocatur; et eſt vel methodica, vel hiſtorica, vel mixta. b) Methodica in loquendo et ſcribendo, hiſtorica in legendo et enarrando, communis vel mixta in iudicio eſt. Vulgo ab hac arte cum faſtigiis menſuraque ſua literae atque ſyllabae dependent; dependent orationis partes cum proportione vel inaequalitate ſua; orthographia, pedes, metaplas-

 mi

a) Nec alius grammaticus Graece, quam qui Latine literatus vocatur. vid. SVETONIVS de illuſtr. gramm. cap. 4. b) Vid. ANGEL. POLITIANI panepiſtemon. operum pag. 471.

Digitized by Google

mi, tropi, ſchemata, notae, diſtinctiones, vocis elatio, depreſſio, flexus, concitatio, mora. Atque etiam illa arte docemur, qui legendi, qui reiiciendi, qui cuique praeponendi; quid in vnoquoque probandum, quae ſit in omnibus oeconomia, quodue decorum. Sunt vtique partes hae grammaticorum, vt omne ſcriptorum genus excutiant atque enarrent, theologos, iureconſultos, medicos, philoſophos, hiſtoricos, oratores atque poetas ab malis bonos dignoſcerent, et nihil prorſus intactum relinquerent. Tantum auctoritatis olim certe apud antiquos hic ordo habuit, vt cenſores eſſent ſoli grammatici, et omnium ſcriptorum iudices, quos proinde criticos vocabant. Tum verſus cenſoria quadam virgula notare, libros falſo inſcriptos et ſpurios familia ſubmouere, auctores ipſos in ordinem redigere, aut numero prorſus eximere ſolebant. Iniurii ergo ſunt in bonas literas, qui grammaticorum nomen in ludum triuialem, tanquam in piſtrinum detrudunt, et eos tantum eſſe volunt, qui prima docent elementa: cum apud Graecos hoc genus hominum, non grammatici, ſed grammatiſtae, apud Latinos, non literati, ſed literatores nominarentur. *c*) Veteres grammatici etiam rhetoricam docebant: aut certe quaedam genera inſtitutionum ad eloquentiam praeparandam habebant: ne ſicci omnino atque aridi pueri rhetoribus traderentur. E grammaticis quidam e ludo ſtatim in forum tranſierunt, et in numerum praeſtantiſſimorum patronorum recepti ſunt. *d*)

§. II.

c) ANG. POLIT. lamia, operum pag. 460. Conf. omnino SVETONIVS de illuſtr. grammat. cap. 4. QVINTILIANVS inſtit. orator. l. 1. c. 9. et l. 2. c. 1. *e*) SVETON. l. c. fin. Luculenta grammatices elogia vide apud FABIVM inſtit. orat. l. 1. c. 4. CASSIODORVM l. 9. epiſt. 21. et plures alios.

§. II.

Cum ergo clauis omnium diſciplinarum fuerit grammatica; neque artes aut ſcientias tradere potuerint, niſi hauſta accuratiori ſermonis cognitione, quae demum praeceptores recte intelligere nos docet: nemini fore dubium putamus, quod apud veteres Romanos, licet primum ſeruilis conditionis eſſent, illi magiſtri tamen fuerint habiti in maximo honore; vt ſummae dignitatis viri etiam hoc ſtudium amplecterentur. Ita TRANQVILLVS: *e) magis ac magis et gratia et cura artis increuit: vt ne clariſſimi quidem viri abſtinuerint, quo minus et ipſi aliquid de ea ſcriberent: vtque temporibus quibuſdam, ſuper viginti celebres ſcholae fuiſſe in vrbe tradantur: pretia grammaticorum tanta, mercedesque tam magnae: vt conſtet Lutatium Daphnidem -- ducentis millibus nummum Quinto Catulo f) emtum, ac breui manumiſſum: Lucium Appeleium ab Eficio Caluino equite Romano praediuite, quadringenis annuis conductum, multos docuiſſe.*

§. III.

Grammaticorum, ſed quantus heros, IVLIVS CAESAR agmen ducit: quem nulla iniuria maximum et imperatorem et polyhiſtorem dixeris. Vitam eius et in bonas artes merita ſuperius enarrauimus, vbi promotores literarum et linguae ſuae liberales celebrati fuerunt. Hic quamuis totus rebus maximis, imperio belliſque gerendis intentus eſſet, nullus tamen dubitauit etiam grammaticis ſtudiis ſedulam nauare operam, et ſcribere de *analogia* libros

e) De illuſtr. gramm. c. 3. f) Hic bis repulſus, tandem conſulatum geſſit cum C. Mario IV. conſule, anno poſt Romam conditam DCLI.

bros duos: *g*) quos Ciceroni, tanquam huius artis principi et Ariſtarcho ſuo dedicauit. *h*) SVIDAS *i*) hos libros τέχνην γραμματικὴν vocare videtur. A. GELLIVS *k*) ideo Caeſarem excellentis ingenii ac prudentiae virum nominat, quod in primo de analogia libro ſcripſerit, habendum ſemper in memoria atque in pectore, *vt tanquam ſcopulum, ſic fugias inauditum atque inſolens verbum.* Alibi: *l*) *Caius Caeſar ille perpetuus dictator Cn. Pompeii ſocer vir ingenii praecellentis, ſermonis praeter alios ſuae aetatis caſtiſſimi, in libris, quos ad M. Ciceronem de analogia conſcripſit, HARENAS vitioſe dici exiſtimat; quod HARENA nunquam multitudinis numero appellanda ſit, ſicuti neque COELVM, neque TRITICVM: contra autem QVADRIGAS, etiamſi currus vnus equorum quatuor iunctorum agmen vnum ſit, pluratiuo ſemper numero dicendas putat; ſicut ARMA, et MOENIA et COMITIA, et INIMICITIAS.* Atque etiam paulo poſt ipſius Caeſaris verba citat, quibus cauſſae rationem demonſtrauit. Neque potuit clariſſimum hoc Caeſaris elegantiſſimi de Latina lingua monumentum Atticus ſilentio praeterire: *m*) *in maximis*, inquit, *occupationibus quum ad te ipſum* (Ciceronem, illum enim alloquitur) *de ratione Latine loquendi accuratiſſime ſcripſerit, primoque in libro dixerit verborum delectum originem eſſe eloquentiae* etc.

§. IV.

Poſt Iulium Caeſarem CICERO ſummus orator nominandus eſſet, cui praeceptis etiam grammaticis limatam et

g) Vid. SVETONIVS in Iul. Caeſ. cap. 56. *h*) A. GELLIVS noct. Attic. l. 19. c. 8. confer. CICERO de claris oratoribus cap. 72. *i*) In Γάϊος Ἰούλιος. *k*) Noctib. Attic. l. 1. c. 10. *l*) l. 19. c. 8. *m*) Apud CICERONEM de claris oratoribus cap. 72. ſeqq.

Digitized by Google

et magis politam ornatioremque Latinitatem debemus, quam perduxit omnino ad eam perfectionem, vt prorſus nihil addi potuerit deinceps a ſequentibus grammaticis. Sed cum tanti viri memoria in alium locum ab nobis reſeruata ſit; Caeſarem proxime excipiat nunc togatorum, quotquot fuere, doctiſſimus MARCVS TERENTIVS VARRO, *n*) quem ex grammaticis omnibus maxime ſolicitum Latinitatis, tantique in Romana prouincia laboris ſocium Tullius habuit: vt viribus coniunctis vterque maximo ſtudio patrium ſermonem ad id, quod ſummum eſt, perducere laborauerit, ac praeſtiterit feliciter quicquid in illo negotio literatus orbis laudare et admirari non ſatis poteſt. Natus eſt Terentius noſter Romae, anno ab V. C. DCXXXVIII. Literarum ſtudioſiſſimus, ſimul ac in forum cauſſas dicturus venit, ad Ciceronis amicitiam ſe contulit. Deinde vt ſe corroborauit in arte dicendi, amplexus eſt ſtudium philoſophicum maximo et ingenio et induſtria. Atque etiam mature aſſumtus eſt in ſocietatem publicanorum, qui vectigalia redimere, et conducere portoria ſolebant. Sed non ſine maximo damno, quo affectus eſt tum temporis, vt bonorum iacturam faceret. Nihilominus pergit optima et fide et fama verſari in vtriſque ſubſelliis, h. e. in priuatis atque publicis cauſſis, quarum alterae ad maiora ſubſellia ſiue curulia; alterae ad minora, in quibus ſedebant praetores aut triumuiri, cognoſcebantur. Tandemque magiſtratuum petitioni ſe dedit, et quaeſtor factus eſt M. Bruti, quem Iulius Caeſar Galliae Cisalpinae praefecerat, *o*) quo

n) De vita Varronis data opera ſcripſerunt M. VERTRANIVS MAVRVS et AVSONIVS POPMA. vid. etiam HANCKIVS de Rom. rerum ſcriptoribus lib. 2. c. 6. *o*) CICERO ad famil. l. 6. epiſt. 6.

Digitized by Google

quo commendatus a M. Tullio abiit. *p*) Poſtmodum aliis atque aliis muneribus functus triumuir, tandemque tribunus plebis creatus eſt. *q*) Cn. Pompeio familiariter vtebatur adeo vt primum conſuli deſignato cum M. Craſſo, rogatus iſagogicum de officio ſenatus habendi librum conſcripſerit: cum iſte per militiae tempora ſenatus habendi conſulendique ac rerum vrbanarum expers plane eſſet. *r*) Proinde etiam in bello ciuili Pompeianas partes tueri ſtrenue conatus eſt. Extremo tamen Caeſari victori ſe permiſit, et in gratiam ab eo receptus, Graecis atque Latinis bibliothecis comparandis ac digerendis praeficitur. A quo tempore delituit propemodum in otio literario, atque libris conſcribendis ſe totum tradidit. Amicitiam vero contraxit cum maximis in republica Romano-literaria viris, ab quibus ille ſuſpiciebatur, et *doctiſſimi* inter omnes famam obtinebat. Quam familiaris et amicus fuerit Ciceroni ex eo patet, quod Varro illi ſuos de lingua Latina libros, et hic viciſſim iſti academicas quaeſtiones dedicauerit, *s*) ac miſſae fuerint crebriores vtrinque epiſtolae, quarum nonnullae hodieque in Ciceroniano ſyſtemate ſuperſunt. *t*) Anno ab V. C. DCCX. ſeptuagenario maior, vna cum Cicerone, ab Antonio proſcriptus quidem euaſit, *v*) attamen bibliothecis direptis grauem iacturam paſſus eſt. *x*) Reliquum vitae tempus, interpellante nulla vi, totum in literis peregit, ac prope nonagenarius, anno V. C. DCCXXVII. diem obiit ſupremum.

§. V.

p) Vid. omnino CICER. ad famil. lib. 13. epiſt. 10. *q*) Vid. ipſius Varronis verba apud A. GELLIVM noct. Attic. lib. 16. cap. 12. *r*) GELLIVS l. 14. c. 7. *s*) Vid. ipſi libri, et CICERON. ad Attic. l. 13. epiſt. 2. 3. 4. ad famil. lib. 9. epiſt. 8. *t*) Ad famil. l. 9. epiſt. 1--8. *v*) Conf. VELLEIVS PATERC. l. 2. c. 71. *x*) Vid. A. GELLIVS l. 3. c. 10. fin.

§. V.

Prouerbialiter CICERO *y*) *non*, inquit, *ſi Varronis theſauros haberem, ſubſiſtere ſumtui poſſem.* Sed quis opulentus ille Varro fuerit, non conſtat. Sunt, qui opinantur, librum Varronis reſpici, quem περὶ πλούτου ſcripſit. *z*) Certe M. Terentius Varro noſter inter diuites numeratus non eſt.

§. VI.

Neminem eſſe puto, licet in optimorum ſcriptorum lectione mediocriter verſatum, qui neſciat, quantis laudibus clariſſimi quique ex omni antiquitate viri Varronem noſtrum euehunt: quem etiam, cum adhuc in viuis eſſet, ac plurimum valeret aemulatio, ne dicam inuidia, *doctiſſimum* omnium togatorum appellarunt: cuius proinde viuentis imago poſita eſt in bibliotheca, quam, Plinio *a*) teſte, primum de manubiis Romae Aſinius Pollio publicauit. Equidem non minore gloria, cum ex ingenti, quae tum Romae fuit, ingeniorum multitudine, illa corona ſoli daretur Varroni, quam ſi magnus Pompeius ipſi ex piratico bello naualem dediſſet. Hanc ſingularem gloriam elogio ſuo Tvllivs *b*) quoque confirmauit, vbi diſputationem profitetur ſe habuiſſe cum M. Varrone, homine omnium facile acutiſſimo, et ſine vlla dubitatione doctiſſimo. Atque cum inter alia praedicaret Varronis literaria opera: *nos*, inquit, *c*) *in noſtra vrbe peregrinantes, errantesque tanquam hoſpites, tui libri quaſi domum reduxerunt, vt poſſemus aliquando, qui et vbi eſſemus, agnoſcere.*

 Tu

y) Ad famil. l. 11. epiſt. 10. *z*) Vid. Seb. Corradvs et Vitvs Amerpachivs ad h. l. *a*) Hiſtor. natur. l. 7. c. 30. *b*) Academ. quaeſt. l. 1. c. 1. *c*) Ibid. cap. 3.

Digitized by Google

Tu aetatem patriae, tu deſcriptionem temporum, tu ſacrorum iura, tu ſacerdotum, tu domeſticam, tu publicam diſciplinam, tu ſedium, regionum, locorum, tu omnium diuinarum humanarumque rerum nomina, genera, officia, cauſſas aperuiſti. Alibi *d)* quum L. Aelium nominauerit virum egregium ac eruditiſſimum literis Graecis et Latinis, item antiquitatis Romanae, et in rebus inuentis, et in actis, ſcriptorumque veterum literate peritum: *eam*, ſubiungit, *ſcientiam Varro noſter acceptam ab illo, auctamque per ſeſe vir ingenio praeſtans, omnique doctrina, pluribus et illuſtrioribus literis explicauit.* Quem etiam ante *e)* diligentiſſimum inueſtigatorem antiquitatis appellauerat. A. GELLIVS: *f) Aetas M. Ciceronis et C. Caeſaris praeſtanti facundia viros non paucos g) habuit; doctrinarum autem multiformium variarumque artium, quibus humanitas erudita eſt, columnia habuit M. Varronem et P. Nigidium. Sed Varronis quidem monumenta rerum ac diſciplinarum, quae per literas condidit, in propatulo frequentique vſu feruntur.* Et ARNOBIO *h)* teſte, multiformibus eminens diſciplinis et in vetuſtatis indagatione rimator excellentiſſimus fuit. Vt minus mirari debeamus etiam AVGVSTINVM *i)* M. Varronem noſtrum ſupra omnes eruditione claros extollere: quem ait tam multa legiſſe, vt aliquid ei ſcribere vacaſſe mirandum ſit; tam multa ſcripſiſſe, quam multa vix quenquam legere potuiſſe, credere debeamus. Terentius hic Varro, vir-cum

d) De claris oratoribus cap. 56. *e)* Ibid. cap. 15. *f)* Lib. 19. cap. 14. confer. lib. 4. cap. 9. *g)* Rei veritate conuictus *non paucos* lego, contra quam textus vulgarus habet, vbi particula *non* omittitur. *h)* Lib. 5. p. 161. confer. LACTANTIVS diuin. inſtit. lib. 1. cap. 6. vbi neminem Varrone vnquam doctiorem, ne apud Graecos quidem, nedum apud Latinos vixiſſe. *i)* De ciuitate Dei lib. 6.

cum Graecis Latiniſque literis perfectus, tum antiquitatis praecipue imitator diligens, *fros*, *pos*, *mos*, alias voces ſine litera N ſcripſit: quas hodie omnes *frons*, *pons*, *mons* etc. proferimus. *k*) Quod ipſe VARRO *l*) ſatis clare prodidit his verbis: *videtur etiam pos potius pontem ſignificare, quam potentem.* Quid enim pons, vt nos dicimus, cum potente poſſit habere commune, non video. Sic NONIVS MARCELLVS *m*) quoque *fros* pro *fronde* teſtatur fuiſſe ab Varrone vſurpatum. Vbi quidem deprauate *frons* legitur imperitorum audacia expreſſum. Enimuero quid Nonio venerit in mentem, tam ſerio bis admonere, *frons* pro *fronde* veteres dixiſſe: cum in allatis exemplis etiam *fros* recto caſu inueniatur. Ex antiquitatis ſtudio, cui maxime deditus fuerat, Varro noua ſuis temporibus reperta vocabula aequo animo ferre non potuit: quibus adeo non mediocriter offenſus, et propemodum indignabundus ſcribit: *n*) *quotusquisque iam ſeruos habet priſcis nominibus: quae mulier ſuum inſtrumentum atque vaſa auri, veteribus vocabulis appellat? Inductis non tam iraſcendum, quam huiusce prauitatis patronis.* Voluit enim, cum ſtudioſiſſimis Latinae linguae, illam vt caſtam virginem cuſtodiri ab omnium luxuriantium incomta voce. Ipſe tamen, ſi PLINIO *o*) fides, a Muſis ficto vocabulo, primum vſus eſt *muſinari*, pro commentari et ſcribere, dichten/ künſtlich ausſinnen. SALMASIVS *p*) obſeruat, nonniſi inuitum Varronem Romanarum dictionum origines e Graeco arceſſere,

k) Vid. SOSIPATER CHARISIVS in v. fros. Confer. LIPSIVS variar. lect. lib. 3. cap. 19. *l*) De Latin. lingua lib. 4. ſub initium. *m*) Cap. 8. n. 20. *n*) De lingua Latina l. 8. c. 17. *o*) Hiſt. natur. praefat. *p*) De vſuris pag. 3.

adeo vt plerumque ineptire malit, quam veras originationes fateri. Scilicet grammaticus ille omnium doctiſſimus fruſtra vidit pleraque dictionis Latinae vocabula ex Graecis deriuari: neque tamen potuit Celto Scythicas illorum radices reperire, atque adeo veras indicare cauſſas, quas immemorabilis antiquitas et monumentorum inopia dudum obliterauerat. Maluit ergo linguam ſuam velut cum gentibus indigenis natam conſiderare, et ex aliis eiusdem vernaculae ſuae nominibus alia deriuare, quam ex vicina forſan parum antiquiori et incerta protrahere. *q*)

§. VII.

Libros Varro in omni ſcientiarum genere plurimos confecit: *r*) ita vt ipſe duodecimam annorum hebdomadam, h. e. ſeptuageſimum et octauum aetatis annum ingreſſus moneret, ſeptuaginta hebdomades librorum, h. e. CCCCXC. libros conſcripſiſſe. *s*) Et PLINIO *t*) teſte, adhuc ſcripſit octogeſimo et octauo aetatis anno. Ab CICERONE *v*) vero iam tum homo πολυγραφώτατος dictus eſt. Prae ceteris clarum eſt opus, quod *de lingua Latina* ſcripſit, *x*) libris XXIV. e quibus VI. tantum, neque integri ſuperſunt. Omnis pertractationis tres fecit partes. Prima, quemadmodum vocabula impoſita eſſent rebus; ſecunda, quemadmodum ea in caſus declinarentur; tertia, quemadmodum coniungerentur. *y*) Inſtitutis ſex libris,

q) Confer. diſſert. noſtra de origine Latinae linguae c. 5. §. 10.
r) Quorum ex parte catalogum reddiderunt VOSSIVS de hiſtor. Latinis lib. 1. cap. 12. FABRICIVS biblioth. Lat. l. 1. cap. 7. pag. 80. ſeqq. Alii. *s*) Apud GELLIVM noct. Attic. l. 3. c. 10. in fin. *t*) Lib. 29. cap. 4. *v*) Ad Attic. lib. 13. epiſt. 4. *x*) Hoc Varronis opus reſpicit VITRVVIVS lib. 9. cap. 3. *y*) Vid. ipſe VARRO de lingua Lat. lib. 6. in fine, et lib. 7. in pr.

Digitized by Google

bris, quemadmodum rebus Latina nomina eſſent impoſita, demonſtrauit; ex quibus tres priores ſcripſit P. Septimio, qui illi fuit quaeſtor; tres poſteriores M. T. Ciceroni, z) in quibus ipſas verborum Latinorum origines perſequitur. Hi exſtant, vt et Liber VII. VIII. et IX. licet hinc inde quibusdam hiantes lacunis. Ex reliquis pauciſſima fragmenta circumferuntur. a) Superſunt praeterea *de re ruſtica* libri III. quos ad Fundaniam vxorem ſcripſit, annos octoginta natus. Ideoque ſibi eſſe properandum in operis limine dixit. *Quod, vt dicitur, ſi eſt homo bulla, eo magis ſenex. Annus enim octogeſimus admonet me, vt ſarcinas colligam, antequam proficiſcar e vita.* Hi libri Catonis de re ruſtica lucem ſaepius viderunt cum Catonis, Columellae, et Palladii ſcriptis de eadem materia commentationibus. Ex Varronis nouem voluminibus diſciplinarum *de arithmetica* librum adhuc ſuperſtitem ſe Romae vidiſſe apud Laurentium Stroſſium Cardinalem, Vertranivs Mavrvs in Varronis vita teſtatus eſt.

§. VIII.

Marc. Ter. Varronis de Lat. lingua commentarius primum prodiit anno 1474. per Iohannem de Colonia et Iohannem Manthem de Gherrezen. *Venetiis* 1483. fol. cum Nonio ac Feſto lucem vidit. 1498. 4. ex Pompon. Laeti et Rholandelli recenſione. 1514. fol. ad calcem cornu copiae Nic. Perotti annexus, cui ſubiiciuntur etiam Feſtus et Nonius. *Mediolani* 1500. *Romae* 1557. cum caſtigationibus Antonii Auguſtini. *Pariſiis* 1519 fol. 1528. in 8. 1565. 8. primum Ioſephi Scaligeri praeclara in Varronem coniectanea lucem viderunt. Varronis opera extant apud Henricum

z) Idem lib. 6. cap. 7. a) Vid. Gothofredi auctores Latinae linguae pag. 1. ſeqq. et pag. 106. ſeqq.

Digitized by Google

ricum Stephanum 1569. 1573. 1581. 8. cum Ioſephi Scaligeri in libros de L. L. coniectaneis, Anton. Auguſtini emendationibus et Turnebi notis, itemque Scaligeri in libros de re ruſtica notis. *Lugduni* 1535. 8. cum Bentini caſtigationibus, adiunctis Pſeudo-Catonis originibus. 1563. 8. apud heredes Seb. Gryphii, cum eruditis M. Vertranii notis. *Geneuae* 1595. 1602. et 1622. 4. cum notis Dionyſii Gothofredi, inter auctores Latinae linguae. *Baſileae* 1526. fol. cum caſtigationibus quibusdam Bentini, ad calcem cornu copiae Nicol. Perotti. Ibidem prodiit ſeparatim 1536. in 8. *Francof.* 1566. cum emendationibus et comment. Adr. Turnebi poſtumis, apud Wechelum in 8. *Amſtel.* 1623. 8. apud Ioh. Ianſon. *Lugduni Batau.* 1601. 8. cum notis Auſonii Popmae, ex officina Plantin. *Dordraci* 1619. 8. apud Ioh. Brerewoud. *Ingolſtadii* 1605. 8. e recenſione Gaſp. Scioppii.

§. IX.

P. TERENTIVS VARRO olympiadis 174. anno 3. *b*) natus vico Atace in prouincia Narbonenſi, ſedulo diſtinguendus eſt ab Varrone togatorum doctiſſimo. Varro Atacinus demum annos natus XXXV. ab V. C. DCCVII. quo Caeſar bellum in Aegypto confecit, ac Pharnacen deuicit in Ponto, Graecis literis operam dedit. Scripſit libros quatuor *Argonauticon:* in quibus Apollonii Argonautica ita expreſſit, vt alieni operis non aſpernendus interpres fuiſſe, QVINTILIANO *c*) viſus ſit. Inſuper ſcripſit belli Sequanici libros *d*) et Europam. *e*)

§. X.

b) Vid. B. HIERONYMVS in chron. Euſeb. ad h. a. *c*) Inſtit. orat. l. 10. c. 1. *Atacinus Varro in iis per quae nomen eſt aſſecutus, interpres operis alieni, non aſpernendus quidem, verum ad augendam facultatem dicendi parum locuples.* *d*) Libri ſecundi meminit PRISCIANVS lib. 10. p. 877. *e*) Pl. confer. VOSSIVS de hiſt. Lat. l. 1. c. 16. de poetis Latinis cap. 1. et GYRALD. dialogo 4. de poetis p. 202.

Digitized by Google

§. X.

Poſt Varronem collocari optimo iure debet P. NIGIDIVS FIGVLVS, quem Ciceronis aetas cum iſto doctrinarum multiformium variarumque artium columnam propemodum atque fulcrum habuit, ſi GELLIO *f*) fides, qui et alibi *g*) iuxta Varronem iſtum hominem vocat doctiſſimum: rurſus, *h*) hominem in omnium bonarum artium diſciplinis egregium, et *i*) impenſe doctum, et *k*) hominem in ſtudiis bonarum artium praecellentem, quem M. Cicero ingenii doctrinarumque nomine ſumme reueritus eſt. Scripſit praeter alia commentariorum grammaticorum libros, quorum viceſimus quartus ab A. GELLIO *l*) citatur. Multae commentationes eius vel propter obſcuritatem ſubtilitatemque in vulgus prodire non potuerunt. *m*) Ab nonnemine et iſti annales adſcripti fuerunt: de quibus nec immerito VOSSIVS admodum dubitauit. *n*) Ex reliquis fragmenta IANVS RVTGERSIVS in variis ſuis non modo collegit, verum etiam digeſſit et emendauit. Haereſin eius grammaticam ex A. GELLIO *o*) notat REIMMANNVS *p*) quod, *nomina verbaque non poſitu fortuito, ſed quadam vi et ratione naturae ficta eſſe*, docuerit.

§. XI.

LVCIVS AELIVS *q*) grammaticus, *Praeconinus* *r*) et *Stilo* *s*) cognominatus, floruit circa annum vrbis DCLIV.

f) Lib. 19. cap. 14. princip. *g*) Lib. 4. cap. 9. *h*) Lib. 10. cap. 11. *i*) Lib. 13. cap. 10. *k*) Lib. 11. c. 11. et lib. 13. c. 24. *l*) Lib. 13. c. 24. *m*) Teſte A. GELLIO lib. 19. c. 14. *n*) De hiſtoricis Latinis lib. 1. c. 12. *o*) Lib. 10. c. 1. *p*) Hiſtor. vocabul. pag. 19. *q*) De quo SVETONIVS illuſtr. gramm. cap. 3. *r*) Quod pater eius praeconium fecerat. *s*) Quod orationes nobiliſſimo cuique ſcribere ſolebat.

Digitized by Google

DCLIV. Q. Metelli Numidici temporibus, quem cum optimatibus nimium adhaereret, populari factione patria pulſum in Aſiam comitatus eſt. *t)* Is inter alia, cum ſui temporis doctiſſimus eſſet, A. GELLIO *v)* teſte, ***nouiſſimus*** et ***nouiſſime***, tanquam nimium nouis et improbis vocabulis, vti vitauerat. Quamobrem Ciceroni quoque idem affirmat religioni fuiſſe, haec et alia vſurpare, quorum poſtea frequens vſus fuit. Enim vero, quod contra Gellium notari poteſt, CICERO hanc vocem vsque adeo non reſpuit, quin ipſe ſcripſerit: *x)* ***ne in nouiſſimis quidem erat hiſtrionibus.*** De Ciceronis aequalibus non eſt quaeſtio: nam et iſtos Gellius notat; et ***Marcus***, inquit, ***Cato, et Salluſtius, et alii quoque aetatis eiusdem verbo iſto promiſcue vſitati ſunt; multi etiam non indocti viri in libris id ſuis ſcripſerunt.*** In hunc cenſum venirent PLANCVS Imperator, qui ad Ciceronem ſcribit: *y)* ***nouiſſime vt ab omni omnium ſollicitatione aduerſus eos, tales vobis praeſtare poſſem, quales adhuc fuerunt.*** SERGIVS GALBA: z) ***recipere me nouiſſimus coepi ad caſtra.*** D. BRVTVS: *a)* ***poſt nouiſſimum Hircii ſermonem*** etc. Q. CASSIVS: *b)* ***nouiſſime Corycum ſe contulit.*** Vt OVIDIVM, *c)* VIRGILIVM, *d)* CATVLLVM, *e)* CORN. NEPOTEM, *f)* et alios ſilentio tranſeam.

§. XII.

SERVIVS CLODIVS eques Romanus, ſed grammati-

t) Vid. LIVIVS lib. 69. Auctor de viris illuſtr. cap. 62. VALER. MAX. l. 4. c. 1. n. 13. *v)* Lib. 10. c. 21. *x)* Orat. pro Roſcio Comoedo c. 11. *y)* Vid. CICER. ad famil. l. 10. epiſt. 24. z) Ibid. epiſt. 30. *a)* Ibid. l. 11. epiſt. 1. conf. eiuſd. libri epiſt. 20. *b)* Ibid. l. 12. epiſt. 13. *c)* Metamorph. l. 2. v. 363. l. 3. v. 361. *d)* Aeneid. l. 6. v. 231. *e)* De Phaſelo carm. 3. *f)* Eumen. c. 1.

Digitized by Google

maticus, *g)* cum librum ſoceri nondum editum fraude intercepiſſet, vel propter plagium iſtud repudiatur. Hinc taedio et pudore ab vrbe ſeceſſit, ac incidit in podagrae morbum: cuius impatiens crura veneno perunxit, et enecuit ita, vt, ea parte corporis quaſi praemortua, vixerit poſtea, et omni ſenſu caruerit. *h)*

§. XIII.

SAEVIVS NICANOR, Marci libertus et poſthumius ab ſe vocatur in ſatyra, quam ſcripſit: *i)* et is eſt, qui primus ad famam dignitatemque docendo peruenit; ſed extremo ob infamiam, neſcio quam, ſeceſſit in Sardiniam, ibique exſpirauit.

§. XIV.

AVRELIVS OPILIO *ἀπὸ τῦ οἰπόλυ* dictus, paſtor ouium fuiſſe videtur, is enim ea voce notatur. *k)* Deinde cuiusdam Epicurei libertus philoſophiam, mox rhetoricam, et vltimo grammaticam docuit. Dimiſſa autem ſchola, P. Rutilium doctum et philoſophiae deditum virum, et ſummae innocentiae, cum in exilium mitteretur, *l)* in Aſiam ſecutus Smyrnae conſenuit, et variae eruditionis volumina compoſuit: quae vero nunc ſimul omnia interiere. *m)* Citatur a FESTO, *n)* forſan et aliis.

§. XV.

M. ANTONIVS GNIPHO, *o)* in Gallia natus et expo-

g) Vid. SVETONIVS de illuſtr. gramm. cap. 3. conf. PLINIVS hiſt. nat. l. 25. cap. 3. *h)* Teſte M. Varrone apud PLIN. et SVETON. ll. cc. *i)* Apud SVETON. de illuſtr. gramm. cap. 5. *k)* Vid. COLVM. 7. 3. SERVIVS ad Virgil. eclog. 10. v. 19. *l)* De quo vid. OVIDIVS ex Ponto l. 1. epiſt. 3. v. 63. faſt. l. 6. v. 563. SENECA de benef. 6. 37. VAL. MAX. 6. 4. 4. alii. *m)* TRANQ. de illuſtr. gramm. cap. 6. *n)* In voc. *ratitum*, *ſedum*, *fomites*. *o)* Vid. omnino TRANQ. de illuſtr. gramm. cap. 7.

expoſitus a nutritore ſuo inſtituitur, et, quod magni ingenii doctusque eſſet, manumittitur. Docuit primum in Iulii Caeſaris adhuc pueri domo: poſt in ſuis aedibus ludum aperuit. Cum profiteretur artem rhetoricam, eloquentiae praecepta quotidie tradidit, nundinis vero tantum declamauit, eam naturae facilitatem comitatemque teſtatus, vt nunquam poſtularet mercedem, eoque plura ex liberalitate diſcentium conſequeretur. Scholam eius, quam aſpernatam vix clariſſimis fuiſſe legimus, etiam Cicero, ſummus orator, cum praetura fungeretur, frequentare ſolebat. *p*) Scripſit multa, et haec inter de Latino ſermone volumina duo, quae cum ceteris deſideramus. Citant eum FABIVS, *q*) MACROBIVS *r*) et alii.

§. XVI.

M. POMPILIVS ANDRONICVS, Syrus cum eſſet natione, Romae docuit, M. Antonii Gniphonis aequalis, a quo et ſimilibus cum induſtria vinceretur, Cumas tranſiit et ibi vixit in otio, ſed inops atque egens adeo, vt ſcriptos ab ſe *s*) annales ſedecim millibus nummum cuidam vendere coactus fuerit: quos deinde Orbilius redemit et euulgandos auctoris nomine curauit. *t*)

§. XVII.

ORBILIVS PVPILLVS Beneuentanus, *v*) vna die parentum orbus, primum in bello ſtipendia meruit: tandem vero ad literarum ſtudia reuerſus eſt, quae in iuuentute non leuiter attigerat. Haec diu profitetur in patria, donec

p) MACROBIVS ſaturn. l. 3. c. 12. *Antonius Gnipho, vir doctus, cuius ſcholam Cicero poſt laborem fori frequentabat.* *q*) Lib. 1. *r*) Saturn. l. c. *s*) Apud SVET. legunt alii opuſculum annalium Ennii elenchorum: quod placet etiam VOSSIO de hiſt. Latin. l. 1. c. 10. extr. *t*) Vid. TRANQ. de illuſtr. gramm. c. 8. *v*) TRANQ. l. c. c. 9.

donec anno quinquageſimo, conſule Cicerone, Romam tranſiret. Hic praeceptor etiam fuit Horatii, qui mentionem illius fecit, vt vehementis in diſcipulos, et plagoſi: *x*)

-- -- memini quae plagoſum mihi paruo
Orbilium dictare.

Et DOMITIVS MARSVS: *y*)

Si quos Orbilius ferula ſcuticaque cecidit.

Neque ſolum diſcipulis ſuis plagas intulit ſatis acerbas; verum etiam moroſus fuit in antiſophiſtas, quos omni ſermone lacerauit: imo nec viris principibus pepercit. Cum aliquando ignotus frequenti iudicio teſtimonium diceret, interrogatus a Varrone, diuerſae partis aduocato, quidnam ageret, et quo artificio vteretur; gibberoſos, reſpondit, de ſole in vmbram transferre: quod Maraena gibber erat. Ita SVETONIVS. *z*) Aliter paulo MACROBIVS *a*) rem narrat, ſcilicet quod Orbilius in reum teſtis prodierit, quem Galba vt confunderet, diſſimulata eius profeſſione, interrogarit: *quid artium facis?* ipſe reſponderit: *in ſole gibbos fricare ſoleo.* Sed nihil inde lucratus, perſenex iam pauperem ſe profeſſus eſt, et ſub tegulis habitare. Mediocris enim fortunae homines aedium ſuarum partem ſuperiorem locare inquilinis, imam ſibi retinere ſolebant. Illi vero, qui omnium tenuiſſimi erant, coenacula tegulis proxima conducebant. *b*) Vixit prope ad centeſimum aetatis annum, amiſſa iampridem memoria: vnde *litterarum ob-*

x) HORAT. l. 2. epiſt. 1. v. 70. confer. MIDDENDORPIVS de academiis l. 1. c. 13. *y*) Apud SVETON. l. c. *z*) l. c. *a*) Saturn. l. 2. c. 6. *b*) Confer. interpretes, quos ad illud PLAVTI Amph. A. 3. S. 1. v. 3. *in ſuperiori qui habito coenaculo*, TAVBMANNVS allegat. LIPS. ad Senec. epiſt. 80. TORRENT, comment. in Horat. l. 1. epiſt 1. v. 91. LIVIVS l. 39. c. 14.

liuio a Bibaculo vocatur. Statuam ipſi mortuo Beneuenti poſuerunt marmoream, habitu ſedentis ac palliati, additis duobus ſcriniis. Eiusdem nominis filium reliquit, qui grammaticam itidem profeſſus eſt.

§. XVIII.

ATTEIVS, *Philologus* ab ſemetipſo propter multiplicem variamque doctrinam dictus, libertinus fuit et patria Athenienſis, ſed grammaticus Latinus *c*) et rhetor. Antonium Gniphonem audiuit: poſtea et ipſe aperuit ſcholam a multis et claris iuuenibus frequentatam. Nobilibus hiſtoricis duobus, Salluſtio et Aſinio Pollioni familiaris fuit; hunc vero etiam de arte dicendi praeceptis inſtruxit. Inter eius ſcripta Hylen notari meretur, quam omnis generis in libros octingentos coegerat. *d*) Citatur a FESTO *e*) PRISCIANO, *f*) CHARISIO. *g*) Sed nihil hodie illius ſupereſt.

§. XIX.

VALERIVS CATO, is de quo iam aliquid inter poetas capite praecedente notauimus, cum iuuenis valde parentibus eſſet orbus, et Sullani temporis licentia facilius ab creditoribus exueretur patrimonio, quibus Tuſculana villa cedere debebat: ſolatium in literis habuit ac refugium, quae multos et nobiles docuit, peridoneus praeceptor illis praeſertim ad diuinam poeſin properantibus; vt diceretur de eo:

Cato grammaticus, Latina Siren
Qui ſolus legit, ac facit poetas.

In

c) Vid. omnino TRANQVILLVS de illuſtr. gramm. cap. 10. *d*) Plura de eo vide apud VOSSIVM de hiſt. Latin. l. 1. c. 17. *e*) In verb. *Ocrem, Orchitin, Naucum, Stroppus, Tudites,* et *Vacerra.* *f*) Lib. 8. vbi quidem vulgo legitur *Alpheus Philologus.* *g*) Lib. 1.

In ſumma pauperie et inopia propemodum, abditus modico gurguſtio ad ſenectutem extremam vixit. *h*) Scripſit praeter *indignationem*, vt aiunt, et poemata, libellos grammaticos, qui ſimul omnes interiere.

§. XX.

CORNELIVS EPICADIVS, grammaticus, libertus fuit Lucii Cornelii Sullae, cuius, quum eſſet ipſi filioque Fauſto gratiſſimus, praematura morte praerepti libros de rebus geſtis ſuis nondum perfectos ſuppleuit. *i*) Citatur Macrobio, *k*) Charisio in cognominibus, Maximo Victorino in metris.

§. XXI.

LABERIVS HIERA, emtus ſuo hero de cataſta, *l*) et propter literarum ſtudia manumiſſus tanta honeſtate profitebatur, vt temporibus Sullanis proſcriptorum liberos ſine vlla mercede in diſciplinam ſumſerit. Docuit inter ceteros etiam Brutum et Caſſium, clariſſimos viros.

§. XXII.

CVRTIVS NICIA, Cous fuit grammaticus, Cn. Pompeii et Caii Memmii familiaris, ita quidem vt Pompeii odium incurreret eiusque domo prohiberetur, cum de ſtupro Memmii codicillos ad Pompeium pertuliſſet. Accuſatus erat Nicias a Vidio quodam creditore, quos inter Cicero iudex conſtitutus litem animi cauſſa ad P. Dolabellam

h) Plura vid. apud Svetonivm de illuſtr. gramm. cap. 11. *i*) Vid. Sveton. de illuſtr. gramm. cap. 12. confer. Vossivs de hiſt. Latin. l. 1. c. 9. *k*) Saturn. l. 1. c. 11. *l*) Vid. omnino Sveton. de illuſtr. grammat. cap. 13. *Cataſta* erat pegma ligneum, in quo ſeruos ſuos venales collocabant, cum exponerentur nudi, vt omnia membra conſpici poſſent. confer. Tibvllvs 2. 3. 64. et Martialis l. 10. epigr. 76.

lam ſcribit: *m)* vnde cognoſcimus communem vtriusque amicum fuiſſe, ab quo et Sophia Septimiae, quam in matrimonio Nicias habebat, laute nuper fuerint excepti conuiuio. Tantum porro fuiſſe magiſtrum, vt Planco Burſae propemodum inuideat, apud illum literas didiciſſe. Cauſſam ipſam ita proponit, vt criticorum conſuetudine et allegoria hinc eleganter traducta eam inuoluat. Alterum ſc. Vibium, duobus quaſi verſiculis, libello poſtulatorio protuliſſe expenſum Niciae, i.e. pecuniam in rem eius expoſitam, et ita ſibi debitam; Alterum ſc. Niciam, vt olim Ariſtarchus grammaticus verſus Homeri, iſtos ſibi ab creditore oblatos veru notaſſe tanquam delendos, i.e. debitum negare; ſemetipſum vero tanquam criticum antiquum eſſe iudicaturum, vtrum iſti verſus ſint ab ipſo poeta ſcripti, an interiecti alterius manu: i.e. an ſint Niciae debitoris ſe obligantis, an ab alio ipſi praeter meritum affiicti. Valde etiam familiaris fuit Attico, ad quem idem CICERO: *n) De Nicia, quod ſcribis, ſi ita me haberem, vt eius humanitate frui poſſem, inprimis vellem mecum illum habere: ſed mihi ſolitudo et receſſus prouincia eſt. -- Praeterea noſti Niciae noſtri imbecillitatem, mollitiem, conſuetudinem, victus. Cur ego illi moleſtus eſſe velim, cum mihi ille iucundus eſſe non poſſit? Voluntas tamen eius mihi grata eſt.* Idem et Niciam quendam Smyrnaeum ſe complecti ad Quintum fratrem ſcribit. *o)*

§. XXIII.

LENAEVS, *p)* ſeruilis conditionis puer in domo Pompeii

m) Ad famil. l. 9. epiſt. 10. conf. SVETONIVS de illuſtr. grammat. cap. 14. *n)* Lib. 12. epiſt. 1. fin. *o)* Lib. 1. epiſt. 2. *p)* Ληναῖος, ἀπὸ τοῦ ληνοῦ *lacu torculari vinario*, vulgo dicitur Bacchus. vid. DIODORVS SICVLVS lib. 5. p. m. 76. OVIDIVS metamorph. l. 4. verſ. 14.

Pompeii magni, cum adhuc oſtiarii munere fungeretur, catenis ſubreptus in patriam refugit: perceptisque liberalibus diſciplinis, pretium domino ſuo retulit: qui gratis eum doctrinae cauſſa manumiſit. Libertus poſtea continuo adhaeſit Pompeio et propemodum omnibus illius expeditionibus interfuit. Poſt obitum Pompeii et filiorum, in Carinis ad Telluris aedem, *q*) in qua regione domus Pompeiorum fuerat, ſcholam aperuit. *r*)

§. XXIV.

QVINTVS CAECILIVS Epirota, ſeu Epiri incola, T. Pomp. Attici libertus, cuius filiam Marco Agrippae nuptam docens patroni ſuſpicionem incurrit, ac remouetur ab officio. Itaque ad Cornelium Gallum ſe recipit, et familiariſſime cum eo viuit. Quod ipſi Gallo inter alia crimina ab Auguſto Imperatore obiectum fuit. Poſt ſupplicium iſtius Galli, cuius vitam ſuperius *s*) expoſuimus, Caecilius aperuit ſcholam Romae, ac non ſolum primus omnium Latine diſputauit ex tempore, ſed etiam Virgilium et nouos poetas alios ſtudioſae iuuentuti praelegere coepit. *t*)

§. XXV.

M. VERRIVS FLACCVS, conditione libertinus, arte grammatica inclaruit, et praefectus ab Auguſto Caio et Lucio nepotibus ſuis Romae in palatio docuit. Totam vero ſcholam eo ſecum tranſtulit; ſeſtertiaque centena in annum accepit. Teſte EVSEBIO in chronicis, ante obitum Auguſti anno quarto grammaticus hic inſignis habitus eſt. Exactae aetatis tandem, imperante Tiberio, diem obiit ſupremum.

VIRGILIVS georg. l. 2. v. 4. Vnde *Lenaei latices* ibid. l. 3. v. 510. et *honor Lenaeus* pro vino. Aeneid. l. 4. v. 207. *q*) Confer. VALERIVS MAX. l. 6. c. 3. n. 1. *r*) Vid. omnino SVETONIVS de illuſtr. gramm. c. 15. *s*) cap. 4. §. 5. *t*) Teſte SVETONIO de illuſtr. gramm. c. 16.

premum. *v*) Scripſit rerum memoria dignarum libros, *x*) Saturnalia, *y*) de obſcuris Catonis, *z*) de verborum ſignificatione, *a*) epiſtolas, *b*) carmina: *c*) quorum omnium fragmenta ab viris doctis collecta proſtant. *d*) An idem ſit auctor Faſtorum Capitolinorum, *e*) quos ONVFRIVS ſub Verrii Flacci nomine edere non dubitauit, adhuc ſub iudice lis eſt. *f*)

§. XXVI.

LVCIVS CRASSITIVS Tarentinus, ordinis libertini, Paſides et Panſa cognominatus, mimographos primo iuuit ac in ſcena verſatus eſt. Deinde in pergula docuit, donec Smyrnae commentarium ederet, quo ita inclaruit, vt fidei ipſius multi et nobiles, et in his, ne videretur Verrio Flacco eſſe impar, Iulius Antonius, Triumuiri filius, traderentur. Attamen repente ſcholam dimiſit, atque tranſiit ad Quinti Septimi philoſophi ſectam. *g*)

§. XXVII.

SCRIBONIVS APHRODISIVS, Orbilii ſeruus atque diſcipulus, mox a Scribonia, Libonis filia, quae prior Auguſti fuerat vxor, *h*) redemtus et manumiſſus, eodem, quo Verrius, tempore docuit, eiusque libros de orthographia reſcripſit.

CAPVT

v) SVETON. l. c. cap. 17. *x*) GELLIVS l. 4. c. 5. *y*) MACROBIVS Saturn. l. 1. c. 4. paſſim. *z*) GELLIVS l. 17. c. 6. *a*) Idem l. 5. c. 17. et 18. FESTVS paſſim. *b*) SERVIVS ad Virg. Aen. l. 8. *c*) PRISCIANVS lib. 8. *d*) Inter auctores Latinae linguae ab DION. GOTHOFREDO in vnum corpus redactos pag. 109. ſeqq. *e*) De quibus vid. FABRICIVS bibl. Latin. l. 4. c. 5. §. 1. *f*) Vid. VOSSIVS de hiſtoricis Latinis lib. 1. c. 9. et 20. et HANKIVS de Romanarum rerum ſcriptoribus p. 203. *g*) Vid. SVETONIVS de illuſtr. grammat. c. 18. *h*) SVET. l. c. cap. 19. conf. eiuſd. vita Auguſti cap 62. et TACITVS annal. lib. 2. c. 27.

CAPVT VI.
De claris Rhetoribus.

§. I.

De variis rhetorum nominibus, et quomodo differant ab oratoribus. 2. *De Otacilio Pilito,* 3. *Epidio,* 4. *Sexto Clodio,* 5. *Albutio Silo,* 6. *Cicerone,* 7. *Rhetoricorum libris ad Herennium,* 8. *Portio Latrone,* 9. *Arellio Fuſco,* 10. *Blandio.* 11. *Primae partis epilogus.*

§. I.

Quum de claris rhetoribus nunc diſſerere inſtituamus, a propoſito diſſertationis argumento alienum non erit, ſi quaedam praemittamus de nominibus, quae ex antiquitate habuerunt. Artem ipſam a Graecis hauſerunt, atque adeo mirum nemini videbitur, illos Graecam denominationem ex profeſſione ſua retinuiſſe. Eſt autem ῥήτωρ ab ῥητορεύω *eloquor*, qui praecepta dicendi tradit. *a*) Aliquando etiam vocatur *ſophiſta*, σοφιστὴς, vt Theon et Aphthonius. *b*) Conſtat enim auctorum lectione veteribus quarumuis artium peritos, theologos, iureconſultos, medicos, poetas, alios, praecipue vero philoſophos, quosuis denique viros graues et ſapientes *ſophiſtas* appellatos fuiſſe, nomine honorifico et dignitatis pleno. Idem enim *ſophiſta* erat, et *ſophus* ac ſapientiae conſultus. Hinc Euripides *c*)

Ss 2 Μισῶ

a) Cicero de oratore l. 1. c. 18. *b*) A. Gellivs noct. Attic. l. 17. c. 5. *Rhetoricus quidam ſophiſta vtriusque linguae callens. Sophiſtas vero et dicendi facultate et multa praeclararum rerum ſcientia valere arbitror.* Confer. Vossivs de natura et conſtit. rhetoricae c. 1. et Walchivs parerg. academ. p. 107. ſeqq. *c*) Apud Ciceronem ad fam. l. 13. epiſt. 16.

Μισῶ σοφιστὴν, ὅστις οὐχ αὐτῷ σοφός.

Odi ſapientem, qui ſibi non ſapit.

Sed quum philoſophi ſequerentur magis gloriolam et lucrum, quam veritatem; ſophiſtarum nomen in odium inuidiamque abiit: vt omnes qui id agere et vanam pompam captare videbantur, ſophiſtae appellarentur, et id nominis apud ſcriptores paſſim deriſum et infamatum eſſet. ERASMVS SCHMIDIVS *d*) exiſtimat, voces rhetoris et oratoris idem ſignificare, adeo vt iſta ſit Graeca, haec vero Romana, nullaque inter rhetorem atque oratorem debeat admitti differentia. Atque adeo fruſtra diſtinctum fuiſſet a nobis rhetores inter, quos maluimus coniungere cum grammaticis, *e*) in ea quam de adoleſcentia L.L. dedimus, commentatione, atque oratores, peculiari capite tractandos. Etiam fateor SCHMIDII ſententiam ſatis eſſe probatam, ſi Graecos rhetores cum Latinis oratoribus comparare velimus. Vtrum vero apud Romanos quoque rhetores et oratores eiusdem conditionis ſemper fuerint, ſalua ſcriptorum auctoritate, affirmari ab nemine poteſt. *Oratores*, qui et legati olim dicebantur, in publicum prodire et in concione dicere apte, ornate et diſtincte, atque adeo conuertere in praxin ſtudebant, quae rhetores, illi enim, vt cum vulgo loquar, theoretici erant, praeceptis ſuis ad facultatem dicendi obtinendam inculcauerant. Quid ergo rhetor,

d) Obſeruat. ad Pindarum Pyth. §. 9. p. 191. *e*) SVETONIVS de illuſtr. gramm. cap. 6. *Veteres grammatici et rhetoricam docebant: ac multorum de vtraque arte commentarii feruntur, ſecundum quam conſuetudinem poſteriores quoque exiſtimo, quanquam iam diſcretis profeſſionibus, nihilo minus vel retinuiſſe, vel inſtituiſſe et ipſos quaedam genera inſtitutionum ad eloquentiam praeparandam, vt problemata, periphraſes, elocutiones, ethologias, atque alia hoc genus; ne ſcilicet ſicci omnino atque aridi pueri rhetoribus traderentur.*

rhetor, ſophiſta, et orator diſtent, MARIVS VICTORINVS *f*) demonſtrat, et inter alia, *RHETOR*, inquit, *eſt qui docet litteras atque artis traditor eſt eloquentiae. SOPHISTA eſt apud quem dicendi exercitium diſcitur. ORATOR eſt qui in cauſſis priuatis ac publicis plena et perfecta vtitur eloquentia.* Idem: *g*) *ORATOR duo habere debet, vt artem tradat dicendi, vt ipſe ex arte dicat. Sed officium hoc verum eſt, vt ex arte dicat. Illud autem accidens, vt artem dicendi tradat, quod RHETORIS officium ſolum eſt.*

§. II.

Rhetoricen Romae primum docuiſſe Plotium, demonſtrauimus, *h*) cum de robore fatisque Latinae linguae iuuenilibus ageremus. Primus vero quaedam de arte rhetorica M. Cato Cenſorinus ſcripſit, *i*) quaedam etiam M. Antonius inchoauit. *k*) Secuti ſunt eos breui poſt plures alii, qui ſua doctrina ſcriptisue hoc ſeculum nobilitarunt. Primo loco memoratur ab SVETONIO *l*) poſt Lucium Plotium LVCIVS OTACILIVS PILITVS, *m*) homo ſeruilis conditionis, at propter ſtudia ingeniumque manumiſſus. Hic Marii atque Sullae temporibus floruit: ſub quibus rhetoricam publice profeſſus eſt, et ipſum Cnaeum Pompeium magnum,

f) Prooem. expoſit. in 1. rhetor. Ciceronis. *g*) Ead. expoſit. ad verba Cicer. *Verum oratori minimum illud eſt, de arte loqui* etc. Vid. etiam VOSSIVS de natura et conſtit. rhet. c. 1. Et celeb. WALCHIVS pererg. academ. p. 110. ſeqq. *h*) Diſſert. de adoleſc. L. L. cap. 4. §. vlt. *i*) Vid. QVINTIL. inſtit. orat. l. 3. c. 1. Confer. diſſert. noſtra cit. cap. 5. §. 7. p. 186. *k*) QVINT. l. c. vid. etiam citata diſſert. noſtra c. 5. §. 18. *l*) De clar. rhetor. cap. 3. *m*) Siue, vt in veteri editione Mediolanenſi eſt, *Octacilius Pilutus.* confer. G. I. VOSSIVS de hiſtoricis Latinis lib. 1. cap. 9. Corrupte in chronico HIERONYMI vocatur *Vultacilius Plotus.* Vtrum vero apud Euſebium Pilitus, an potius apud Tranquillum Plotus reſtitui debeat, Voſſius ipſe dubitauit.

reip. magnum vulnus inflixit: cuius horreum Sicilia ob ingentem ſuam fertilitatem quondam habita eſt. *s*)

§. V.

CAIVS ALBVTIVS SILVS, *t*) Nouarienſis rhetor, aeuo Auguſtaeo in L. Munacii Planci oratoris et M. Ciceronis diſcipuli contubernio egit. SVETONIO auctore, *v*) primum in patria fungebatur aedilitate, ſed pedibus, cum aliquando ius diceret, e tribunali detractus ab iſtis, contra quos pronuntiauerat, patria relicta, Romam contendit. Vbi ſtatim ſuſceptus a Planco, vt ſibi declamaturo aſſiſteret, vel prologi cuiuſdam veluti perſonam ſuſtineret. Quod officium praeſtare viſus eſt tanta facundia, vt orator ipſe in comparationem venire non potuerit cum illo. *x*) Quamobrem clarus in vrbe Albutius propria ſua inſtituit auditoria, et genere vario declamauit. Solitus autem eſt, controuerſia propoſita, ſedens incipere, et calore demum prouectus conſurgere et perorare. Etiam cauſſas egit, ſed inconſideratius et acerbius tanta vehementia, vt aliquando Marcum Brutum, cuius ſtatua in conſpectu erat, legum ac libertatis auctorem et vindicem inuocaret. Parum ergo abfuit, quin lueret poenas: ipſe vero metu vel pudore adactus foro poſtmodum renunciauit, et ſenior factus Nouariam rediit: vbi conuocata plebe et inſtituti ratione prolixe expoſita mortem ſibimet ipſi ſpontaneam inedia conciuit. Nonnihil

s) Confer. CICERO pro lege Man. cap. 12. LIVIVS l. 26. c. 40. *t*) SCHOTTVS ſcribere mauult, fretus lapidibus, neſcio quibus: *Albucius Sylo* vel *Silo*. Aliter B. HIERONYMVS in chron. Euſeb. vbi claruiſſe eum ſcribit anno imperii Auguſt. XXXII. *v*) De clar. rhetor. cap. 6. confer. AND. SCHOTTVS de claris apud Senecam rhetoribus pag. 4. append. Senec. edit. Pariſ. 1613. fol. *x*) De dictione illius vid. SENECA controuerſ. lib. 3. praefat.

nihil ſcripſit artis rhetoricae, quod FABIVS reprehendit. *y)* Alius Albutius eſt Canidiae veneficae pater; z) atque etiam alius eiuſdem nominis philoſophus, Epicuri diſcipulus. *a)*

§. VI.

Maxima hoc ſeculo arti rhetoricae incrementa fuerunt a M. T. CICERONE, licet hic longe melior fuerit orator, quam rhetor. Extant eius varii hac de materia libri, elegantia et rerum multiplici doctrina ſimul atque experientia incomparabiles: quos inter ordine primi ſunt *rhetoricorum libri*, vt vocantur a QVINTILIANO, *b)* ſed de inuentione vulgo inſcribuntur: quum ipſe auctor ſub exordium libri ſecundi profiteatur, plures ſe, quam duos rhetoricorum libros ſcripſiſſe; neque ſolam inuentionis doctrinam, ſed alia quoque in illis explicuiſſe. Excipiunt iſtos *de oratore* ad Quintum Fratrem libri tres, *Brutus*, ſiue de claris oratoribus, *orator* ad Brutum, *topica* ad Trebatium, praefatio *de optimo genere oratorum*, *partitiones oratoriae*.

§. VII.

De quatuor rhetoricorum libris ad Herennium, qui in fronte operum Ciceronis apparent, multi varie diſputarunt. Ipſi *Marco Tullio Ciceroni* illos tribuunt HIERONYMVS, *c)* PRISCIANVS, *d)* LEONARDVS ARETINVS, *e)* TRAPEZVNTIVS, *f)* VDALRICVS ZASIVS, *g)* plures alii. Idem MARINVS BECICHEMVS *h)* et GEORGIVS VALLA PLACENTINVS *i)* operoſe conati ſunt defendere. Sed refutarunt hanc ſententiam, nihil

y) Inſtit. orat. l. 3. c. 3. 8. et 16. *z)* De quo HORATIVS ſerm. l. 2. ſatyr. 1. v. 48. et ſatyr. 2. v. 67. *a)* De quo CICERO Tuſc. 5. c. 37. et de finib. l. 1. c. 3. *b)* Inſtit. orat. l. 2. c. 15. paſſim. *c)* Praefat. comment. in Abdiam. *d)* Lib. 6. 7. 9. et 10. *e)* In vita Ciceronis. *f)* Rhetor. lib. 1. *g)* Prooemio comment. in libr. rhetor. ad Herenn. *h)* Epiſtol. quaeſt. cap. 39. *i)* Praef. comment. in Cicer. partit.

nihil ipſi de auctore definientes, Angelvs Decembrivs, *k)* Corradvs, *l)* Franciscvs Floridvs. *m)* *Cornificio*, claro apud Fabivm *n)* rhetori, eos libros vindicarunt Petrvs Victorivs, Pavlvs Manvtivs, Maioragivs, Mvretvs, Sigonivs, Riccobonvs, qui ſingularem hac de materia aduerſus Mattium, eandem ſententiam oppugnantem, vulgauit tractatum. Hanc adſtruxit etiam G. I. Vossivs *o)* et C. S. Schvrtzfleischivs, qui de auctoritate rhetoricorum ad Herennium diſputationem conſcripſit et Witembergae 1703. ventilauit. Raphael quoque Regivs vel *Cornificii* eſſe putat, vel *Virginii Rufi*, vel *Timolai*. *M. Gallio*, qui inter rhetores ab Seneca reponitur, et clarus eſt apud auctorem dialogi de cauſſis corruptae eloquentiae, libros ad Herennium rhetoricos adſcripſit Ivlivs Scaliger. *p)* Aut *Ciceronis filium* auctorem eſſe, aut *Lauream* eius libertum, opinatur Nascimbaenivs: *q)* vt perficeret oratoriam artem, cuius partem tantum Cicero in duobus de inuentione libris tractarat. In eo diſſenſu, accedimus illis, qui hunc magiſtrum Herennianum Cornificium eſſe arbitrantur. Hunc enim titulus in exemplaribus antiquis auctorem praefert; hunc Fabivs memorat, et ipſa rei tractatio, quae conuenit vtrinque, confirmat. *Enthymema*, inquit ille, *r)* *quod nos commentum ſane aut commentationem interpretemur, quia aliter non poſſumus, Graeco melius vſuri, vnum intellectum habet, quo omnia mente con-*

k) Lib. 1. de politia literaria part. 10. *l)* In quaeſtura. *m)* Subciſiuarum lib. 1. cap. 4. *n)* Inſtit. orat. l. 3. c. 1. alibi. *o)* Cum varia lectione, tum de rhetoricae natura et conſtitutione cap. 13. *p)* In oratione pro Cicerone contra Eraſmum, et de re poetica lib. 3. cap. 31. et 36. *q)* In lib. 2. Cicer. de inuent. *r)* Inſtit. orat. lib. 5. cap. 10. init.

cepta ſignificat; ſed nunc de eo non loquimur: alterum, quo ſententiam cum ratione, tertium, quo certam quandam argumenti concluſionem, vel ex conſequentibus, vel ex repugnantibus: quanquam de hoc parum conuenit. Sunt enim qui illud prius epicherema dicant: pluresque inuenias in ea opinione, vt id demum quo pugna conſtat, enthymema accipi velint. Et ideo NB. illud Cornificius contrarium appellat etc. Id quod apparet in auctore, qui rhetoricam ad Herennium ſcripſit, *s*) nec obſcure innuit eundem Cornificium, non Ciceronem, aut alium fuiſſe, qui haec tradiderit. Et ſi quis libros ipſos, ſigillatim quartum rhetoris Herenniani legerit, vt qui totus in figuris conſumitur: videre facile poterit, eundem eſſe Cornificium, qui, teſte rurſum FABIO, *t*) doctrinam de figuris, ita vt Caecilius, Dionyſius, Rutilius atque alii, copioſius executus eſt, eandemque non vt partem operis transcurrit, verum proprie librum illi operi dedicauit. Paulo poſt *quaedam*, inquit, *omnino non ſunt figurae, ſicut ordo, dinumeratio, circumſcriptio: ſiue hoc nomine ſignificatur comprehenſa breuiter ſententia, ſiue finitio.* (aut, ſi mauis. *definitio.*) *Nam et haec Cornificius atque Rutilius ſchemata λέξεως putant.* Ita ſe res omnino habet in iſtis ad Herennium ſcriptis inſtitutionibus rhetoricis, vbi refertur ad ſchemata ſiue exornationes dictionis primo ſententia, *v*) deinde pari modo definitio, *x*) quae figura RVTILIO LVPO *y*) ὁρισμός vocatur. Argumenta plura ſuppeditat SCHVRTZFLEISCHIVS, *z*) eademque contra Mattium defendit: vt nemo tam iniquus eſſe facile poſſit, qui Cornificium audeat fraudare laude ſua, et quatuor

s) Lib. 4. cap. 18. *t*) Lib. 9. cap. 3. *v*) Lib. 4. cap. 17. *x*) Ibid. cap. 25. *y*) In FRANC. PITHOEI antiquis rhetoribus Latinis pag. 8. *z*) Diſſert. de auctoritate rhetoricorum ad Herennium §. 9.

Digitized by Google

tuor iſtos de arte rhetorica libros,ad Herennium multa cum diligentia ſcriptos, ac vtiliter ex Cicerone decerptos, et in ordinem ſingulari iudicio redactos, et apte diſpoſitos, auctori ſuo detrahere velit. Cornificium vidimus eſſe auctorem. Sed non item conſtat, qui iſte Cornificius. Fuit aliquis Ciceronis amicus et in auguratu collega, ad quem plures epiſtolas ſcripſit: *a*) quarum quidem prima ſuos illi de optimo genere dicendi commentarios commendat, et fatetur, eum ab ſe paululum diſſidere: magnifice vero concludit, *de ſummo*, inquiens, *ingenio, et de optimis tuis ſtudiis, et de iſte ampliſſimae dignitatis ita* iudico, *vt neminem tibi anteponam,comparem paucos*. Bello ciuili Caeſaris quaeſtor cum duabus legionibus pro praetore in Illyricum miſſus eſt. *b)* Deinde ab Iulio Caeſare praefectus Syriae prouinciae, *c*) in qua nuper tumultus inter Caecilium Baſſum et Sextum Iulium Caeſarem . Caeſaris propinquum ortus fuerat. Interemto tandem Caeſare, cum ſenatus partes ſequeretur, a Sextio in Lybia profligatus et caeſus eſt. *d*) Illius filius L. Cornificius, Octauiani Caeſaris partes ſecutus, M Brutum Caeſaris percuſſorem, teſte PLVTARCHO, pro tribunali accuſauit,ac bello Siculo ſtrenue Octauiano Caeſari operam nauauit,eo ſucceſſu, vt tandem fauore Auguſti adhuc triumuiri cum Sexto Pompeio DCCXIX. conſulatum obtineret. Vter iure potiori habendus ſit rhetoricorum auctor, definire non poſſum. Illum GLANDORPIVS, *e*) hunc VOSSIVS *f*) cenſet eſſe ſcriptorem. Neutrum fuiſſe illorum mihi videtur,

a) Vid. CICER ad famil. l. 12. epiſt. 17. ſequentes ad finem libri. *b*) Auctor comment. de bello Alexandr. lib. 4. ad continuat. Caeſaris de bello ciuili. *c*) CICER ad famil. l. 12. ep. 19. *d*) Vide APPIANVM lib. 4. et DIONEM lib 48. *e*) In onomaſtico. *f*) De rhetor. natura et conſtit. cap. 13.

Digitized by Google

tur, ſed alium eo nomine ab illis diuerſum: vt diuerſus etiam fuiſſe videtur Cornificius poeta, qui, teſte DONATO, verius TRANQVILLO, *g)* Virgilium ob peruerſam naturam non tulit, ſed maledictis et inimicitiis continuo laceſſiuit adeo, vt dixerit aliquando Virgilius ad amicum: *quam putas eſſe huiusce maleuolentiae cauſſam? nam neque vnquam Cornificium offendi, et eum amo. An Heſiodi ſententiae non meminiſti, architectum architecto inuidere, et poetam poetae?* Teſte HIERONYMO *h)* anno ſecundo olymp. CLXXXIV. Cornificius ille poeta a militibus deſtitutus interiit, quos ſaepe fugientes galeatos lepores appellauerat. Huius ſoror Cornificia quoque inſignia epigrammata ſcripſit. Quin Cornificium rhetorem Herennianum ex memoratis aliquem fuiſſe, atque adeo in maxima Latinitatis gloria ſuos libros condidiſſe, pro certo ſtatuere poſſim, ſtilus ipſe aduerſatur, qui longe diſtat ab Ciceronis et aequalium puritate et eloquentia. Talibus enim ſaepe ſua praecepta tradidit vocabulis, quae feliciſſima aetas illa nunquam recepit: quamuis imitandi induſtria quodammodo vel ipſi Ciceroni ſimilis eſſe voluit, ex cuius de inuentione libris multa, ne mutatis quidem interdum verbis, deſumſit. Nihil dicam de *barbariſmi* et *ſoloeciſmi* vocibus, *i)* nusquam a Cicerone Latina ciuitate donatis; vnde GELLIVS: *k) quod nunc barbare quem loqui dicimus, id vitium ſermonis non barbarum eſſe, ſed ruſticum, et cum eo vitio loquentes ruſtice loqui dictitabant. - Itaque id vocabulum, quod dicitur vulgo barbariſmus, qui ante diui Auguſti aetatem pure atque integre locuti ſunt, an dixerint, nondum equidem inueni.* Sed *irreligio* apud illum

g) In Virgilii Maronis vita. *h)* Chron. Euſeb. *i)* Rhetor. ad Herennium lib. 4. cap. 12. *k)* Noct. Attic. l. 13. c. 6.

lum *l)* voce noua et his temporibus L.L. felicioribus inaudita vocatur vitium ſuperſtitioni aduerſum et religionis defectus: quamuis extrema Auguſti aetate LIVIVS, *m)* poſt eum ſub Traiano PLINIVS *n)* et alii *irreligioſum* adiectiuum religioſo contrarium; et QVINTILIANVS *o)* *irreligioſius* aduerbium vſurpauerint. *Induſtria* nunquam ab Cicerone aut coaeuis plurali numero poſita fuit, et ipſa ratio obſtat. Nihilominus auctor ille: *p)* *Si vires atque velocitas egregia, honeſtis atque exercitationibus, et induſtriis dicemus comparatas.* Pari modo *gloriae* multitudinis numero apud illum *q)* exprimuntur, praeter conſuetudinem eorum, qui in maximo Latinitatis flore ſcriptitarunt. TACITVS vero *r)* *memorare,* inquit, *veteres Gallorum glorias*: et GELLIVS *s)* *flare inanes glorias* pro inaniter ſe iactare. Ibidem *t)* *poteſtatum* nomine vtitur ſecus ac illis in vſu fuit, qui Ciceronis aeuo floruerunt; et paulo poſt: *v)* *quemadmodum,* inquit, *habuerit in poteſtatibus gerendis animum:* pro ſummis in republica dignitatibus, quas optimi auctores per *imperia* et *honores* deſcribunt. Peculiare ipſi verbum eſt *mentitio* vel, vt alii codices habent, *mentio x)* pro *mendacio.* vbi *dolus,* inquit, *conſumitur in pecuniam, pollicitationes, diſſimulationes, maturationes, mentitiones* etc. quod vocabulum ne comici quidem vſurpare auſi ſunt. Nec ſatis proprie *prudentia,* inquit, *y)* *eſt CALLIDITAS, quae ratione quadam poteſt delectum habere bonorum et malorum:* illa enim ab Cicerone tantum ſumitur in ſenſu peio-

l) Lib. 2. cap. 21. Equidem ſcio legi hodie in multis editionibus *religio:* ſed in antiquiſſimis *irreligio* retinetur, quae corruptelas et vitia recenſentis rhetoris inſtituto magis conuenit. *m)* Lib. 5. c. 40. *n)* Lib. 9. epiſt. 35. *o)* Declamat. 8. *p)* Lib. 3. c. 7. *q)* Lib. 3. c. 6. *r)* Annal. lib. 3. c. 45. n. 4. *s)* Lib. 1. cap. 2. *t)* Lib. 3. c. 6. *v)* Lib. 3. cap. 7. *x)* Lib. 3. c. 2. *y)* Lib. 3. c. 2.

ri, et ipſi prudentiae opponitur. Diſerte inquit: z) *Scientia, quae eſt remota ab iuſtitia, calliditas potius, quam ſapientia eſt appellanda.* Rurſum: a) *Stulta calliditas, peruerſe imitata prudentiam.* Rarum etiam eſt, quod habet b) *haec cauſſa — non viſa eſt ſuperſedenda,* pro *omittenda:* quum *ſuperſedere* nihil aliud ſit proprie, quam ſuper re quadam ſedere: et magis dixiſſet emendate: *hac cauſſa non videtur ſuperſedendum eſſe.* Et quis non admiratur apud illum auctorem c) vocabuli monſtrum indignum plane, vt ad tempora Latinitatis feliciſſima referatur, *diſciplinabile?* quod digeri ex arte et certa methodo exponi poteſt. Neque nobis Graecorum, quod vſurpauit d) verbum *eclipſis* ſolis aut lunae magis arridet, quam Latinorum, et optimis comūne, verbum *defectus* aut *defectio.* Et cetera, quae recenſere longum eſt. Īmerito tamen SCHVRTZFLEISCH. e) reprehendit auctorem noſtrum, quod legatur apud iſtum *extraria res f)* pro *extrinſecus,* quae dictio non ſit Ciceroniana, ne Ciceronianae quidem aetatis, nam et TERENTIVS g) hanc vocem vſurpauit, et LVCRETIVS: h) vterque auctoritatis optimae et eiuſdem vel antiquioris paulo aetatis ſcriptor. Deinde putat, nomen adiectiuum *conflagratus,* quo Herennianus auctor i) vtitur nuſquam in ſcriptore idoneo, nedum in Cicerone, forma verbi patiente, reperiri, et eius vice fuiſſe *crematus* et *combuſtus.* k) Atqui, quod virum doctiſſimum latere non potuit, ipſe ille pater eloquentiae l) *vt gentem,* inquit, *Allobrogum in veſtigiis huius vrbis, atque in cinere deflagrati imperii collocarent.* Alibi: m) *fana flamma deflagrata.*

---

z) De officiis lib. 1. c. 19. a) Ibid. lib. 3. c. 32. b) Lib. 2. c. 17. c) Lib. 3. c. 3. d) Lib. 3. c. 22. e) De auctoritate rhet. ad Herenn. §. 5. f) Lib. 1. c. 14. in *aſſumtiua.* g) Phorm. A. 4. S. 1. v. 13. h) Lib. 4. verſ. 277. confer. DAN. PAREI lexicon Lucretianum in *extraria.* i) Lib. 4. c. 8. k) Loc. cit. §. 6. l) Catil. orat. 4. c. 6. m) Tuſcul. quaeſt. l. 3. c. 19.

grata. Et ne quis de auctoritate verbi *conflagratus* amplius dubitet. VITRVVIVS, eiuſdem aetatis ſcriptor, ſub finem operis ſui: *naues,* inquit, *malleolis confixae incendio ſunt conflagratae.*

§. VIII.

Eiuſdem aetatis eſt M. PORCIVS LATRO, ſub cuius nomine declamatio in Catilinam, ſed tanto viro indigna, circumfertur. *n)* SENECAE *o)* ſodalis atque amicus fuit, admiratus ab ipſo Ouidio, quamuis diuerſum genus dicendi ſequeretur. Ita enim laudatus SENECA, de iureiurando mariti et vxoris agens: *p) hanc controuerſiam,* inquit, *memini me videre Naſonem declamare apud rhetorem Arellium Fuſcum, cuius auditor fuit. Nam Latronis admirator erat, cum diuerſum ſequeretur dicendi genus; habebat enim ille conſtans et decens et amabile ingenium. Oratio eius iam tum nihil aliud poterat videri, quam ſolutum carmen. Adeo autem ſtudioſe Latronem audiuit, vt multas eius ſententias in verſus ſuos tranſtulerit, etc.* Apud PLINIVM *q)* clarus dicitur fuiſſe inter dicendi magiſtros; et apud FABIVM *r)* primus clari nominis profeſſor, qui ſummam in ſcholis opinionem obtinuerit. Atqui is etiam, ceu noui quid et inſoliti, recenſet ibidem, quod Latroni acciderit: cum illi cauſſa in foro eſſet oranda, impenſe petiiſſe, vti ſubſellia in baſilicam transferrentur: ita illi coelum nouum fuiſſe, vt omnis eius eloquentia contineri tecto ac parietibus videretur. Obiit anno V. C. circiter DCCL. cum, HIERONYMO *s)* teſte, ſemetipſum taedio duplicis quartanae interficeret.

§. IX.

M. ARELLIVS FVSCVS clarus Romae rhetor fuit, apud quem, ceu doctorem ſuum, SENECA pater *t)* Ouidium Naſo-

n) In multis Salluſtii editionibus. *o)* Quod ipſe teſtatur praefat. lib. 1. controu. *p)* Vid. SENECA controu. 11. lib. 2. *q)* Hiſt. nat. lib. 20. c. 14. *r)* Inſt. orat. lib. 10. c. 5. *s)* In chronico. *t)* Lib. 2. controu. 11.

Digitized by Google

Naſonem declamare vidit. De dictione ipſius idem SENECA, modo laudatus, ita ſentit: *v) erat explicatio Fuſci Arellii ſplendida quidem, ſed operoſa et implicita: cultus nimis exquiſitus: compoſitio verborum mollior* etc. NICOL. FABER *x)* et ANDR. SCHOTTVS *y)* arbitrantur, fuiſſe hunc eundem Fuſcum, quem PLINIVS *z)* prodit ſe vidiſſe motum equeſtri ordine ob inſignem calumniam, ex argento annulos habentem. Ad ſententiam vero illorum IOH. MASSON V.C. *a)* accedere vel ideo noluit, quod alii codices Aurelium Fuſcum exhibeant; nec vero ſimile ſit, Plinio viſum eſſe rhetorem ſub Auguſto in Ouidii adoleſcentia profitentem. Quod nobis etiam minime gentium fieri potuiſſe videtur.

§. X.

Iisdem cum Arellio Fuſco temporibus floruit BLANDIVS *b)* rhetor, qui licet eſſet Romanus eques, docere nullus dubitauit Romae: cum ante eum pulcherrimae diſciplinae continerentur inter libertinos praeceptores; et minime laudabili more, turpe eſſet docere, quod honeſtum erat diſcere. Fuit autem poſt Arellium Fabiani philoſophi praeceptor. *c)*

§. XI.

Hactenus de claris rhetoribus, in quibus recenſendis tanto breuiorem ſtudio me putaui eſſe debere, quod nobis inclaruere nominibus ſaltem, nihil vero ſcriptorum, vnde gloriam Latinae linguae liceret demonſtrare, poſteritati reliquerunt. Continuo ſequentur oratores, et in his eloquentiae parens Marcus Tullius; tum clarioribus monumentis immortales hiſtorici; tandemque ſtili characteres et virtutes, et ſi quae alia ad ſermonis Romani perfectionem et illam aetatem, quam diximus eſſe virilem, digna notatu facere videbuntur. Sed ratio fuit non vna, quae mihi perſuaſit, haec reſeruare ad aliud tempus et prolixiorem diſſerendi facultatem: vt prioris de virili aetate L. L. hic partis conſtituatur

F I N I S.

v) Controu. l. 2. praef. *x)* In not. ad citat. Senecae locum. *y)* De claris apud Senec. rhetorib. p. 6. *z)* Hiſt. natur. lib. 33. cap. 12. *a)* In Ouidii Naſonis vita pag. 49. *b)* Aliis dicitur *Blandus*, at minus recte, ſi iudicio ſtandum eſt AND. SCHOTTI de claris apud Senecam rhetoribus. *c)* Vid. SENECA praef. l. 2. controu.

MAG 2010700

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google